8.54.D.8

R. P. RICHARDI ARSDEKIN

Soc. Iesu Sac. Theol. Professoris

# THEOLOGIA

## TRIPARTITA VNIVERSA

*Complectens nunc* Bibliothecam *perfectam Viri Ecclesiastici.*

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

R. P. RICHARDI ARSDEKIN
Soc. Iesu Sac. Theol. Professoris

# THEOLOGIA
# TRIPARTITA VNIVERSA

*Complectens nunc* Bibliothecam *perfectam Viri Ecclesiastici, ordine sequenti.*

## *TOMVS PRIMVS.*

CONTROVERSIÆ HETERODOXÆ AC SCHOLASTICÆ

*Cum speciali Notitia rerum Modernarum, & Chronologia totius Monarchiæ Sacræ, & Sæcularis, Pontificum, Conciliorum &c Hæresium omnium, ac Propositionum damnatarum Mundi Sex Ætatum, Quatuor illius Partium &c. in fine huius Tomi I.*

## *TOMVS SECVNDVS. PARS I.*

THEOLOGIA SPECVLATIVA BREVI METHODO INTEGRE COMPREHENSA.

*Cum Quæstionibus nouis indicatis, & modernis Pontificum Decretis integrè expressis.*

## *TOMI II. PARS II.*

THEOLOGIA PRACTICA VNIVERSA.

*Cum adiuncta in fine Notitia Iuris Canonici, Ciuilis, Philosophiæ, Fori Ecclesiastici, ac Scriptorum in singulis Catalogo.*

## *TOMVS TERTIVS.*

APPARATVS PRACTICVS PRO OMNI PRORSVS FVNCTIONE VIRI ECCLESIASTICI.

*Concione omni per annum, tota Catechesi, qualibet Assistentia ægris, & sanis, praxi Meditationum, Ritibus Sacramentorum &c.*

EDITIONIS VNDECIMÆ.

Ab Authore in singulis Partibus plurimum locupletatæ, & in nouam Normam digestæ, noua, & vltima Editio in Germania.

VENETIIS, M. DC. XCVI.

Apud Io: Iacobum Hertz.
*SVPERIORVM PERMISSV.*

# DEDICATIO
## VIRIS APOSTOLICIS VNIVERSIS,

### Etiam in Ditionibus ampliſſimis IACOBI II. Angliæ, Hibern. &c. Regis Sereniſſimi.

ERENITATEM *nouam poſt tot turbines tibi*, Anglia, *gratulantur vniuerſi, ſub ſereniſſimo Sydere*, Iacobo, *verè* Secundo, *& in ſecundis verè* Pio, *in pietate* Forti, *in fortitudine* Clementi, *in cuius fauſta Coronatione plura hic gratulabundi cecinimus.*

*Gratulor & Ego vobis, cum huius Operis Dedicatione, Viri Apoſtolici vniuerſi, ſiue qui modò Angliæ, & Hiberniæ Vineam, tanto hactenus ſudore & cruore irrigatam, feliciter nunc excolitis; ſiue qui per reliquum Orbem latius profertis Chriſti Vexillum, modò candidum modò ſanguine veſtro purpureum.*

*Nec minus ad Vos gratulabundus accedo, Imperij illuſtres Miſſionarij, & Viri verè Apoſtolici, in quorum præcipuè gratiam factum arbitror, vt hoc Opus in varijs Germaniæ Academijs iterato prælo cum priuilegio Cæſareo, editum fuerit. Cæſar felicibus Armis, Vos Virtute Crucis armati, Orbe Catholico applaudente, Chriſti Imperium longe, latèque propagatis. Vos vt Imperijs nobiles Aquilæ, tot, tamque pretioſas animarum prædas Orci faucibus extorquetis. Non terminat Labores veſtros tota qua patet Hungaria, non Morauia, non Moldauia, non Moſcouia, Turcicam etiam* Lunam *meliori luce illuſtrare properantes. Quid igitur mirum, ſi ego Vos huius Operis ſingulares patronos agnoſcam, atque illud venerabundus ſub veſtris auſpicijs tam illuſtribus prodire exoptem.*

*Longius excurrentem ad Vos me reuocatis & rapitis Miſſionum Belgicarum Orbe toto illuſtres Athletæ. Vos, inquam, veri Machabei, qui pro Patria Religione ac Lege vbique terrarum tot labores exanlatis, tot cum Infidelibus, tot cum Heterodoxis prælia ſuſtinetis, nec hactenus ex campo tam arduo pedem retuliſtis. Quin potius anteriorum Pugilum labores & pericula, nouos ſemper ad eandem gloriæ, fideique Palæſtram ex omnibus Eccleſiæ membris, ſocios, atque æmulos peperere: de quibus in Dedicatione prioris Editionis, ad calcem huius Operis plura fuſius illuſtrantur.*

*Ad Vos denique accurro vniuerſos,* Orbis Vtriuſque *ſacros Pugiles, qui Romanam Fidem latiùs propagatis, quàm olim Romani Cæſares Imperium protulere Vos, vti hactenus, ita porrò illuſtribus apud DEVM hominesque meritis pergitis efficere, & Imperij* Aquilas *Altiùs euolare, &* Hiſpaniæ Leones *fortiùs procurrere, &* Gallica Lilia *formoſiùs aſſurgere, &* Angliæ Roſas *feliciùs efflorescere, &* Hiberniæ Lyram *lætius ſibi, orbique reſonare.*

*Ad veſtras igitur omnium Aras, Viri Apoſtolici, hæc ego Arma Litteraria, per vos validiùs ſtringenda, ſupplex appendo, vt vel ſic veſtri meriti, veſtræq; gloriæ ex parte aliqua conſors efficiar.*

*Veſter Cliens humillimus*
Richardus Arſde Kin in Hibernus Kil Kenienſis
*Soc. Ieſu in Prou. Flandro-Belgica Antuerpiæ Anno 1686.*

# FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

EGo infrascriptus Præpositus Prouincialis Prouinciæ Flandro-Belgicæ Societ. IESV ex potestate mihi facta à Reuerendo admodum Patre nostro Carolo de Noyille eiusdem Societatis Præposito Generali, concedo facultatem Ioanni Casparo Bencard Typographo Diligensi imprimendi librum, cui titulus *Theologia Tripartita &c. octauæ Editionis*, compositum à R. P. Richardo Arsde Kin eiusdem Societatis Sacræ Theologiæ Professore, & à Deputatis Societatis nostræ Theologis examinatum & approbatum. In quorum fidem has propria manu subscriptas & officij mei sigillo munitas dedi Antuerpiæ 6. Octob. 1686.

( *L. S.* )

AEGIDIVS ESTRIX.

---

# APPROBATIO CENSORIS.

COmmoditati communi pridem consulere volens R. P. Richardus Arsdec Kin Soc. IESV Theologus, edidit hanc Theologiam Tripartitam, in qua omne, quod ipse Titulus indicat, explicatur perspicua breuitate, modestia singulari, solidàque eruditione. Et quidem totum hoc peragitur adeò circumspectè, pariter & religiosè, vt non tradatur (quemadmodum fieri oportet) doctrina vel rigida nimis, vel nimis laxa. De cetero *OCTAVAE* iuxta titulum & Præfationem sunt iam vices, quibus Liber iste præli beneficio in publicum prodit. Vnde, cùm priores Editiones gratæ pluribus vti ( ex illarum frequentia patet ) fuerint: multò magis grata erit hæc Posterior; vtpote quæ multiplicibus adhuc instructa est materijs, alijs in ea ampliùs hinc inde enodatis, limatisue. Sanè de hac postrema Editione sic perfecta, meritò dicitur, illam esse *Bibliothecam* Viri Apostolici, siue Ecclesiastici, vti Opus illud pridem typis Academicis publicis inscriptum vidi. Complectitur siquidem in se quidquid ad spirituale Regimen potest desiderari, historias quoque selectissimas, tum sacras, tum prophanas, vt proin in plerisque necesse haud sit adire varios, magnosue Tomos: Si tamen eam, quæ hic traditur, materiam videre alicui placeret fusis deductam in altis voluminibus, horum loca annotata, is etiam inueniet in præsenti Tractatu. Ita examine præmisso competenti, iudico, confidens idem futurum iudicium candidi Lectoris: in prioribus enim Editionibus, si quæ displicuerint quibusdam, mutata ea sunt in hac potissimum Editione *OCTAVA*. Optandum idcirco, vt Theologia hæc Tripartita, adeò rursum in singulis Partibus ex multorum voto aucta, atque emendata, perueniat ad suum vsum vbique terrarum, non dubium, quin singularem adferet Lectori vtilitatem, ad DEI gloriam, & salutem animarum copiosè procurandam: quod vnicum laboris sui præmium desiderat Author, Studiorum hic Superiorum apud suos Præfectus. Desiderio illi, verè pio, innixus dedi perlubenter ego præsentem censuram, huic nouissimæ Editioni congruentem, Antuerpiæ 31. Ianuarij 1686.

Antonius Hœfflach Ecclesiæ Cathedralis
*Canonicus graduatus, Librorum Censor.*

PRAE-

# PRÆFATIO
## AD LECTOREM.

ADmissus pridem Dei gratia ex Philosophia Louanij, in Prouincia Flandro-Belgica, natione Hibernus, elaboraui primùm in Schola Theologica nostra Louanienſi, quantum ſinebat in ea Professoris munus assiduum, Opus aliquando Theologicum tam Missionarijs Apostolicis, quam alijs passim animarum Curatoribus opportunum, à viris patriæ nostræ primarijs ad hunc laborem impulsus. Huius Operis mille circiter Exemplaria paucorum mensium spatio distracta fuerunt, & plura passim desiderata, adeò vt in Academia Pragensi, tàm remota, essent qui Opus illud calamo exscriberent, defectu Exemplarium, vti disertè habet Præfatio Editionis *Pragæ* Typis Academicis cum Priuilegio Cæsareo, inscio Authore, tunc primùm institutæ, quàm plures per Germaniam Editiones breui tempore sunt subsecutæ, quæ infra distinctè indicantur.

Posteà plusculum hic nactus otij in præfectura studiorum Theologiæ ac Philosophiæ, varias Editiones à me desideratas elucubraui. Demum post Operis illius integras *Septem* Editiones variè auctas, & vndique auidius distractas quàm ego hic velim fusius exponere, conatus sum tandem hanc *Octauam* Editionem singulari sanè studio in singulis partibus ita vtiliter augere, perficere, ordinare, vt verè possit esse, vti ab alijs Opus illud inscribitur Bibliotheca nunc perfecta in quauis functione viris Ecclesiasticis, & omnibus Theologiæ, Iuris, aliarumque Facultatum studiosis in omni genere singulare subsidium: quod melius ipse beneuolus Lector ex sequentibus singularum Partium *Indicibus* perspiciet.

Cum porrò in librorum delectu nihil gratius accidere soleat, quàm si in eodem Opere simul concurrat succincta breuitas, scribendi claritas, rerum nouitas, materiæ varietas & ad omnem temporis vsum expedita vtilitas, ita nisi fallor, huius Operis partes singulæ sunt digestæ ac locupletatæ, vt hæc omnia singulari cum delectu & in mole non magna facilè & expeditè ad manum habeantur, cum omnibus modernis *Propositionibus*, & de ijs Pontificum *Bullis ac Decretis* integrè appositis.

Notanda quoque est singularum inter se Partium *Symmetria*, siue ad mutuum subsidium mutua connexio, quæ ad molem Libri minuendam, sic studiosè instituta est, vt vna Pars possit ad alterius Partis vsum aptè accommodari. Si enim in *prima Parte* siue *Tomo*, Controuersiam aliquam tractes, plurimùm ad eam illustrandam conducere possunt Quæstiones Theologicæ tàm Speculatiuæ, quàm Practicæ, quæ in secundo Tomo continentur. Si è conuerso in his *Tomo II.* Quæstio aliqua agitetur, datur in eodem genere ad *Controuersias* recursus. Si in *Tomo*

*III.* ex *Apparatu* Doctrinam ſacram, aut Chriſtianam populo ſagaciori proponas, facilè potes, vbi res requirit, fidei Controuerſias, aut Quæſtiones Theologicas ex aljs Partibus anterioribus inducere. Cæteris quoque Sacerdotis miniſterijs eadem poterit Praxis accommodari: prout ſingula in Operis decurſu notata, & digeſta reperies.

Et horum ſingula cum ea, vt ſpero, cautela deducta ſunt, vt non facilè aut temerè vllius Authoris perſona lædatur, ſed ipſa doctrina, qua decet moderatione exponatur: parùm enim hic conueniret, viros Apoſtolicos, quibus hic maximè prodeſſe cupimus, ad lites ipſis ſuperfluas incitare.

Sic denique totum Opus inſtitutum, atque ordinatum reperies, vt *Curatori* animarum copiosè ſit proſpectum ad ſingula ſua munia facilè & erudite peragenda: Siue enim in Controuerſijs fidei cum Sectario congrediaris, ſiue moderna inter doctiores dogmata tractes, ſiue populo fideli Sacramenta adminiſtres, ſiue in conſcientię tribunali ſententiam feras, ſiue præ roſtris populum grandiorem erudias, ſiue tenello gregi doctrinæ Chriſtianæ myſteria ex officio exponas, ſiue ſingulos hominum ſtatus priuatim inſtituas; inuenies in his, cæteriſque Sacerdotis Apoſtolici miniſterijs vberem hic rerum copiam, cum accuratis ad praxim documentis, & ſingula ſuis locis ex profeſſo tractata. Omnia ſubijciendo non tantùm Eccleſiæ, ſed etiam Lectoris candidi iudicio.

Opto plurimùm, vt ipſe Lector beneuolus ante omnia ſingularum Partium Indices percurrat, inuenturus (etiam de nouo) multo plura in omni genere magis exquiſita, quàm ego hic paucis poſſim exponere.

Ad extremum, vti ad Dei gloriam, & ad communem virorum Eccleſiaſticorum: meæque Patriæ vtilitatem, laborem hunc admodum operoſum aſſumpſi ita ſupplex rogo, vt illi viciſſim in huius Operis vſu me, nunc ætate & valetudine imbecillum, ſuorum apud Deum laborum, ac precum participem efficiant.

TYPO.

Digitized by Google

# TYPOGRAPHVS LECTORI

## Pro Notitia Speciali

### *Huius Octauæ Editionis.*

PRima Editio huius Operis, vndique desiderati, prodijt *Louanij* Typis hæredum Bernardini Masij, & dedicata Præsulibus & Clero Catholico Regni Hiberniæ &c.

*Secunda* Editio fuit in Vniuersitate *Pragensi* anno 1678. quo cum peruenissent paucula Operis istius Exemplaria, ita placuit eius materia, ordo, claritas, ac vtilitas singularis, vt decretum fuerit, Typis Academicis, cum Imperatoris Priuilegio, nouam illic Editionem instituì ad communem illius per Imperium vsum & vtilitatem, vti in istius Editionis Præfatione publica, quam habemus, amplius declaratur.

*Tertia* Editio publico data est in nostra Typographia Knobbariana *Antuerpiæ*, sumptibus nostris pro communi vndique postulantium desiderio, cum nouo Operis *Augmento* ab Authore obtento & studiosè elaborato.

*Quarta* Editio fuit rursus in *Germania*. Vix enim Editio Antuerpiana sic locupletata prodijt, cum in Vniuersitate *Colonienſi* Typis hæredum Ioannis VVcidenfeldt publica Cæsaris ac Superiorum authoritate noua & copiosa Editio adornata est, & magno numero breui tempore distracta.

*Quinta* quoque Editio *Ingolstadij* instituta, & ad alias partes vulgata fuit.

*Sexta* nihilominus Editio (licet 5. notata) mox in Belgio rursus *Antuerpię* instituta fuit. Deficientibus enim prioris ac recentis Editionis Exemplaribus, vt iterum multitudini illa hic & alibi postulantium satisfieret noua rursus Editio ex Typographia mea Knobbariana sumptibus nostris prodijt, eaque in *Tres Tomos* pro maiori commodo, & plurium voto distributa.

*Septima* Editio fuit rursus in Academia *Colonienſi* anno 1683. Distractis enim breui tempore tot priorum Editionum Exemplaribus, cum plura indies vndique efflagitarentur, iterum nona Editio in Typographia VVidenfeldiana redintegrata fuit, & magno numero breui distracta, quorum hic aliqua etiam extant Exemplaria.

*Octaua* hæc Editio nostra *Antuerpiana* prioribus omnibus succeſſit, estque nunc postrema, nouo ac copioso incremento, & ordine in singulis Tomis omni ex parte absolutissima, vt infra magis declarabitur. Quod infra alicubi in Tomo II. Editio illic Septima notetur, inde factum, quod illa Pars ante hanc Præfationem vt solet impressa fuerit.

Non videtur certè nostro tempore quod nouimus vllum prodijsse opus Theologicum istius molis, & pretij, & omni promotore ac Mecenate imò Authoris valetudine æque destitutum quod intra tam modicum temporis interuallum, tot, tamque copiosis Editionibus distractum, & vndique desideratum fuit, & in dies magis distrahatur & desideretur. Nec desunt forte aliæ alibi Editiones ad nos nondum perlatæ; plures certè sunt ab Authore postulatę. Quod si computum in eas omnium simul Editionum ac Librorum, inuenies iam nunc vltra sedecim millia Librorum siue Tomorum seperatim impressorum.

Quantum verò ad vsum communem passim comprobetur ac desideretur istius Operis singularis vtilitas & sincera soliditas, etiam in quęstionibus difficilioribus



Digitized by Google

ad communem captum commodissimè exprimendis, exponunt prolixè plurimæ, quæ præsto sunt virorum etiam Illustrium litteræ ac testimonia, quæ tamen Author (etsi moris id sit) vulgari non cupit, nisi maior Operis vtilitas ad Dei gloriam id requirat: Nec desunt etiam mihi de his aliqua magis publica testimonia aliunde communicata, vltra censuram communem infra expressam.

In ipsa porro Præfatione publica Editionum Germanicarum apertè pronunciatur, Opus illud verè esse viri Apostolici Bibliothecam: Iliadem in nuce contentam: optandum esse illius vtilitatem ad omnes partes etiam vltra Europam propagari. Certè litteris ex ipsa *India* occidentali huc datis aliquot istius Libri Exemplaria, assignato etiam pretio, solicitè depoſcuntur, vti ipsæ litteræ, quę in promptu sunt, attestantur.

In hac tamen nostra Editione OCTAVA, hic & nunc postrema, quàm multiplices, quantique momenti Additiones ab Authore acceſſerint ad absolutissimum huius Operis vniuersi complementum, facile colliges ex collatione sequentis Indicis Materię singularum Partium cum Indice priorum Editionum. Sic, vt per omnes tres Tomos nullus sit *Tractatus* qui non sit multum, singulariter, vtiliterque locupletatus. Extant autem apud Authorem additamenta illa singularum Partium in particulari *Indice*, suo ordine annotata, quem hic apponere, aut singillatim exprimere, nimis prolixum foret.

Accedit etiam nunc totius Operis ordo nouus ac singulariter commodus. Sic vt in *Tomo I.* appositæ sint proprio loco quæcunque desiderabantur nouę Controuersiæ, & in calce Notitia, & Chronologia Historiæ, & Monarchiæ tam sacræ, quàm sæcularis, Conciliorum, Pontificum, Scriptorum, Hæresum omnium temporum, cum suis Authoribus, Tempore, Refutatione, ad ordinem alphabeticum percommodè redacta. In *Tomo II.* appoſita est Theologia Speculativa vniuersa breui methodo comprehensa, cum recursu ad sequentem Practicam vniuersam, eamque in omnibus suis Partibus desideratis nunc integrè completam. Sic vt vtraque sic connexa ad Normam cursus Theologici commodissimè redacta, in scholis aut conferentijs priuatis à quibusdam vsurpari inceperit, cum maximo eorum commodo, ac nouarum in omni genere Quæstionum, ac Controuersiarum, pro omni functione delectu. In *Tomo* etiam *Tertio*, tam totius doctrinæ sacræ Apparatus, quàm cetera sequentia, nouis materiæ additamentis, nouoque ordine in singulis Partibus, complementum suum hic habent omnibus numeris absolutum.

Denique sedulò notandum, *Octauam* hanc Editionem uno quidem Volumine comprehendi, sed singulos tres illius Tomos sic impressos & distinctos esse, vt possint singuli seorsim & separatim in tribus Partibus compingi. Quod factum est pro maiori commodo illorum qui in missionibus, aut alibi, malint potius vnam Partem, quàm totum Volumen pro incidente vsu suo circumferre.

INDEX

# INDEX

## TITVLORVM, CAPITVM &c. TOMI I.

## PARS PRIMA

### De Controuersijs & Quæstionibus heterodoxis, etiam modernis, aliisque, facili methodo decisis.

### TRACTATVS PRIMVS.

*Methodus clara quemuis adducendi ad veram Ecclesiam.*


Cap. I. *VEra Religio commonstratur horum temporum Libertinis, pag. 1.*

Art I. *Rationes ex rebus creatis ad Creatoris fidem & cultum conuincentes. p. 2. & seq. per quinque paragraphos.*

*Viterius demonstratur Dei existentia, & sapientia suprema ex* Proportione *partium & operationum in homine & singulis creaturis. p. 4. nu. 6.* Quod si &c.

Articulus II. *Enernantur varia argumenta, & effugia contra hæc à Libertinis opponenda.* 7

*ANIMÆ IMMORTALITAS ex demonstrata superius Dei existentia, & ratione naturali deducitur, & nunc additi indicant numeri etiam in sequentibus.* 9

Articulus III. *Ex admissa Dei existentia, facili methodo demonstratur progressus ad diuina attributa, alia mysteria, & fidei nostræ Analysim. p. 11. per 4. paragr.*

Cap. II. *Ostenditur quemlibet, etiam Christianum, non posse in sua fide & secta saluari.* 14

Articulus I. *Status controuersiæ & argumenta proponuntur.* ibid.

Articulus II. *Occurritur nouo errori Sectariorum, maximè Protestantium, diuidentium Articulos fidei in essentiales, & accidentales, siue ad salutem non necessarios.* 16

Articulus III. *Ostenditur Protestantes, aliasque Sectas in articulis etiam fundamentalibus non conuenire.* 18

*Declarantur porrò prædicta (de discrepantia Sectariorum modernorum in fidei Articulis etiam fundamentalibus) ex ipsarum Sectarum confessione, & verbis manifestis, ac notatu dignissimis pro alijs etiam controuersijs.* 19. n. 17

Articulus IV. *Potest vera religio à falsis sectis facilè discernis, neque excusabilis est sectarius qui eam non inuestigat.* 21

*Ostenditur ex dictis, qualis ignorantia excuset ad hæresi formali. Ibidem additur, præparatio animi, & oratio disponens ad veræ fidei notitiam, & susceptionem.* 22 & 23. n. 14.

Cap. III. *Argumenta, quæ euincunt, solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, in qua salus possit obtineri.* 24

*Argumentum 1. Sola ostendit se potestatem suam à Christo deriuare.* ibid.

*Obiectio noua soluitur, scil. sufficere ad Ecclesiam*

*cleſiam Apoſtolicam, vt doctrina illi ſuccedat Apoſtolica, non verò ſucceſſio Apoſtolica Pontificum.* 26. n. 7.

*Argumentum 2. Eccleſia Chriſti eſt antiqua, omnes modernæ ſectæ ſunt nouæ.* 26

*Argumentum 3. Aliæ omnes ſectæ docent Hereſes in primitiua Eccleſia damnatas.* 27

*Argumentum 4. Communis omnium gentium conſenſus pro fide Romana.* 27

*Argumentum 5. Nulla eſt certa Eccleſia Chriſti in mundo, ſi non ſit Romana.* 28

*Noua argumenta pro certa Chriſti Eccleſia ſcil. Romana. pag. 29. n. 3. Idem breuiter.*

*Argumentum 6. Si Eccleſia Romana non ſit vera, vel perierunt in æternum maiores noſtri, Martyres, Confeſſores &c. per 12. Sæcula ante Lutherum, vel certa eſt fides Romanæ Eccleſiæ.* 29

*Argumentum 7. In ſola Eccleſia Romana perſiſtit gloria miraculorum à Chriſto veræ Eccleſiæ promiſſa.* 30

*Argumentum 8. Sola Eccleſia Romana habet infallibilem fidei regulam, & deciſionem Controuerſiarum.* 32

*Sectarios qui negant miracula eſſe veram Eccleſiæ notam ſeipſos manifeſtè iugulare.* ibid. n. 10. *His adde Concluſio. De notis ſingulis veræ Eccleſiæ, cum quarundam adhuc obiectionum diſſolutione.* ibid.

Cap. IV. *Oſtenditur ſolam Scripturam non eſſe regulam fidei, aut iudicem vltimum controuerſiarum.* 34

Cap. V. *Præcluditur effugium aſſerentium Scripturam per ſe claram eſſe & apertam.* 35

Cap. VI. *Fruſtra recurritur ad internum ſpiritus priuati teſtimonium.* 36

Cap. VII. *Oſtenditur traditiones neceſſariò eſſe admittendas.* 37

Cap. VIII. *Oſtenditur Eccleſiam Romanam cum ſuo capite eſſe regulam animatam & iudicem infallibilem controuerſiarum fidei.* 38

*§. 1. Probatur illa infallibilitas ex Scripturis.* 38

*§. 2. Eadem infallibilitas ratione manifeſta comprobatur.* 39

*§. 3. Vlterius infertur, contra Sectarios, Pontificis in fidei controuerſiis ſuprema & irrefragabilis auctoritas.* 40

*§. 4. Obiectiones aliquæ breuiter diſſoluuntur.* ibid.

Cap. IX. *Methodus breuis ex prædictis refutandi Sectarium in quauis fidei controuerſia.* 41

Cap. X. *Quædam dilemmata formantur, Sectario breuiter proponenda, & in illius principijs inſolubilia.* 45

CONTROVERSIÆ RECENTIORES.

*De auctoritate Pontificis & Conciliorum.*

QVæſtio I. *An auctoritas Concilij Generalis ſit ſupra auctoritatem Pontificis?* 47

Quæſtio II. *An Pontificis definitiones ſint infallibiles abſque aſſenſu Concilij generalis.* 49

Quæſtio III. *An Pontificis in definiendo auctoritas infallibilis extendat ſe ad omnes tam iuris, quam facti quæſtiones?* 51

Quæſtio IV. *An poſſit error cadere in Eccleſiæ, aut Pontificis definitionem de ſenſu Scripturæ Canonicæ, aut de doctrina alicuius Libri Catholici.* 52

Quæſtio V: *An poſſit Eccleſiæ aut Pontificis definitis eſſe erronea de ſenſu Libri hæretici, cuius doctrinam condemnat?* 53

Quæſtio VI. *An Pontifex ſit infallibilis in materia morum, canonizatione Sanctorum &c.*

Quæſtio VII. *Quæ ſint aliæ Pontificis Romani prærogatiuæ.* 58

*Quæſtiones aliæ ſingulares porrò notandæ de Pontificibus Romanis.* ibid.

*Ordo ſucceſſionis Romanorum Pontificum. Item Scriptorum Eccleſiæ ſex primis Seculis. Ac rerum in Eccleſia magis memorabilium poſtremis annis ferè ducentis.* 59

*Specimen* Prophetiæ S. Malachiæ *Archiepiſcopi Armacani in Hib. de Succeſſione futura ſingulorum Pontificum vſque ad finem mundi.* 64


QVÆ-

# INDEX CAPITVM.

## QVÆSTIONES RELIQVÆ.


De Conciliis generalibus, ac particularibus, cum varia eorumdem notitia. 66

§. 1. Spectantia ad conuocationem normam, ac poteſtatem Concilij generalis. ibid.

§. 2. Pertinentia ad Concilium Prouinciale, ac Diœceſanum. 67

§. 3. Exponitur ſeries & geſta omnium Conciliorum generalium quæ pro legitimis, aut illegitimis haberi debent. 68

Controuerſiæ Gallicanæ recentiores de Pontificis poteſtate. 73

Literæ Gallicanorum Epiſcoporum ad Pontificem Maximum Innocentium X. 76

Prærogatiuæ ſpeciales Pontifici Romano à Sanctis Patribus ac Conciliis omni ęuo attributæ, & hic ad ordinem alphabeticum redactæ. 77

Concluſio ex prædictis, & oratio pro illuſtratione diuina ad veram fidem. 80


## TRACTATVS II.


*De Controuerſijs particularibus modernis, Prop. 5. Ianſenij, ac nouis Sectariorum dogmatibus.*

CAput I. *Explicatur methodus in ſequentibus Controuerſijs præcipuè obſeruanda.* 81

Cap. II. *De fide, operibus, gratia, & prædeſtinatione.* 82

§. 1. Sectarij refelluntur. ibid.

§. 2. *De Prædeſtinatione Calainiana, accuratè expoſita, & refutata.* 83

§. 3. *De gratia Chriſti, operibus, Libero arbitrio Controuerſiæ recentiores.* 86

Prima Ianſenij Propoſitio cum cenſura Pontificia &c. ibid.

Secunda eiuſdem Propoſitio. 88

Tertia Propoſitio. 89

Quarta Propoſitio. 90

Quinta Propoſitio. 91

Cap. III. *De Chriſti præſentia in Sacramento Euchariſtiæ.* 94

Additiones, pro reali Chriſti in Euchariſtia præſentia, aliæ admodum ſingulares adducuntur. Addo aliud &c. 95

*Refelluntur de eadem inania modernorum effugia, & nominatim Doctoris* Morlæi *in Anglia, & alia eiuſdem infra.* 97

Cap. IV. *De impanatione Lutherana, & præſentia Chriſti in ſolo vſu.* 97

Cap. V. *De Sacrificio Miſſæ, & Communione ſub vtraque ſpecie.* 98

Cap. VI. *De Confeſſione ſacramentali.* 100

Cap. VII. *De Purgatorio.* 101

Cap. VIII. *De Indulgentiis.* 103

Cap. IX. *De Ieiunijs Eccleſiaſticis.* 104

Cap X. *De peccato originali, mortali, & veniali controuerſiæ.* 106

Cap. XI. *De cultu, & inuocatione Sanctorum.* 107

*De cultu Sanctorum, Doctoris* Morlæi *Angli noua quædam effugia eneruantur.* 108

*Appendix, De cultu Virginis Deiparæ quædam moderna refelluntur.* 109

Cap. XII. *De veneratione imaginum Chriſti, & Sanctorum.* 110

Cap. XIII. *De ſacris Reliquijs.* 111

Cap. XIV. *De numero Sacramentorum.* 112

§. 1. *De Confirmatione.* 112

§. 2. *De Extrema Vnctione.* 113

§. 3. *De Ordine.* ibid.

§. 4. *De Cælibatu Clericorum, & Votis Monaſticis.* 114

§. 5. *De Baptiſmo infantium contra Anabaptiſtas alioſque dogmata.* 115

§. 6. *De Matrimonij Sacramento contra Sectarios modernos.* 116

*Dogmata alia de ſingulis Sacramentis à Concilio Tridentino definita, & à Bellarmino fuſius explicata breuiter indicantur.* 117

§. 7. *De Cæremonijs variis quibus in pluribus vtitur Eccleſia Romana, contra illarum oppugnatores.* ibid.

Concluſio. *Aduerſus modernos vulgi errores à vera fide retrahentes.* 119

Genius fallax Nouatorum quomodo cauendus. 120

Epitome & coherentia Tractatuum præcedentium in vna demonſtratione euidenti, qua omnes Sectæ in toto orbe à Religione Romana diſſidentes manifeſtè conuincuntur. 121


TRA-

# INDEX CAPITVM.

## TRACTATVS III.

*Notæ manifeſtæ falſæ Eccleſiæ in Sectis modernis.*


ARticulus I. *Proferuntur varia loca Scripturæ Sacræ à Sectarijs fraudulenter deprauata.* 122

Articulus II. *Exhibentur inſignes Antilogiæ quibus Lutherus & alij in ſua doctrina ſibi contradicunt.* 124

*Et quomodo in Anglia ſecta noua repugnet antiquæ.* 125

In Hollandia *inter Doctores Heterodoxos oſtenditur de ipſo Deo, eiuſque attributis aperta repugnantia.* 126

Articulus III. *Confuſio & diſcordia ſectarum quæ ex Lutheraniſmo & aliis prodierunt.* 128

Articulus IV. *Calumniæ quædam apertæ contra doctrinam Eccleſiæ Romanæ à Nouatoribus confictæ.* 130

*Calumnia 1. In cultu Imaginum.* ibid.

*Calumnia 2. De ſigno Crucis.* 131

*Calumnia 3. De quadam Ioanna Papiſſa luculente refutatur.* 132

*Referuntur calumniæ quædam apertè à miniſtris præſertim in Anglia pridem confictæ.* 133

*Plures aliæ particulares impoſturæ, ac maledicentiæ Sectariorum contra principatum tam Eccleſiaſticum, quàm ſæcularem, ex ipſorum ſcriptis exponuntur, & reprobantur.* ibid.

*Oſtenditur impoſtura iniquiſſima* Antonij Egani *de quæſtu ſimoniaco Eccleſiæ Romanæ per Apoſtolicos miſſionarios.* 134

*Contra fatuam concluſionem* Andreæ Sall *pro Secta proteſtantium ſuſcipienda.* 136

*Refelluntur calumniæ Sectariorum in Anglia confictæ contra Patres Societatis.* ibidem. *Cum reflexione ad fidelitatem eximiam quam præ heterodoxis, Regi Carolo II. eiuſque fratri æquiſſimo Duci tunc Eboracenſi, exhibuerunt, conſtantiſſimè Catholici Angli & Hiberni.* 137

Articulus V. *Nouarum Sectarum dogmata particularia proponuntur.* 138

*Hæreſes Caluini cum Luthero communes.* ibid.

*Dogmata Caluino propria his addita.* 139

*Hæreſis Anglicana Proteſtantium, Puritanorum, Independentium.* 139

*Annotatio particularis ad ſectam Anglicanam, aliaſque modernas.* 140

*Secta noua, Tremblantium dicta.* 140

*Secta Anabaptiſtarum, & Mennoniſtarum.* 141

*Hæreſis Goumari, & Arminij.* 142

*Secta, & errores præcipui Turcarum ſiue Mahometanorum.* ibid.

*Græcorum Schiſma, & errores propoſiti, & refutati.* 143

*Ex dictis, proponitur Idea miſeranda modernis Sectarijs.* 144

*Bulla dogmatica Leonis X. In qua diſtinctè exprimuntur, & damnantur, errores Lutheri & ſequacium, cum cenſuris & pœnis annexis.* 145

*Articuli particulares in Ioanne Vvicleſo à Martino V. damnati.* 149


## PARS SECVNDA.

*Reſolutiones Theologicæ in Scholis controverſæ.*


COntrouerſia 1. *De varia in Deo ſcientia, ac præſcientia futurorum,* 150

§. 1. *Notio, ac diuiſio Scientiæ diuinæ.* ibid.

§. 2. *De Scientia media, controuerſiæ ſtatus, & origo breuiter exponitur.* 151

§. 3. *Explicatur, & probatur neceſſitas ſcientiæ Mediæ.* 152

§. 4. *Diſſoluuntur breuiter variorum argumenta contra ſcientiam Dei Mediam.* 154

Controuerſia 2. *An detur Prædeterminatio phyſica à Deo ad omnes actiones creaturarum.* 158

§. 1. *Status, & hiſtoria huius Controuerſiæ.* ibid.

§. 2. *Oſtenditur verius Prædeterminationem phyſicam non eſſe requirendam ad cauſas ſiue neceſſarias, ſiue liberas.* 159

Controuerſia 3. *An prædeſtinatio abſoluta ad gloriam facta fuerit ante præuiſa hominum merita, & reprobatio ante præuiſa demerita.* 162

§. 1. *Exponitur ſtatus Controuerſiæ, & de ea variæ Scholarum ſententiæ.* ibid.

§. 2. *Oſtenditur electionem ad gloriam factam fuiſſe poſt præuiſa electorum merita.* 164

§. 3. *Reijcitur electio ante præuiſa merita vt eſt coniuncta cum reprobatione non electorum.* 166

Controuerſia 4. *De Gratia Diuina.* 167

§. 1. *Quid ſit, & quotuplex gratia actualis, & quales*

# INDEX CAPITVM.


quales de ea errores Pelagij &c. ib.
§. 2. An possibile sit hominem condi instatu puræ naturæ absque dono supernaturali gratiæ. 168
Controuersia 5. An, & qualis detur gratia sufficiens. 169
§. 1. Exponitur status Controuersiæ. ib.
§. 2. Admittenda est gratia merè sufficiens. 170
§. 3. An detur gratia sufficiens omnibus, etiam obduratis, excæcatis, & facientibus quod in se est viribus naturæ? cum additione ex Doctore Angelico. 171. 172
Controuersia 6. De viribus naturæ sine adiutorio gratiæ diuinæ. 173
§. 1. Quid possit homo præstare absque gratia in seruanda lege naturæ, & tentatione superanda? ib.
§. 2. An homo possit habere aliquos Actus moraliter bonos absque gratia supernaturali. 175
§. 3. An solis naturæ viribus possit elici amor Dei super omnia? 176
Controuersia 7. De Gratia Efficaci, & in quo illa consistat, variorum sententiæ, discutiuntur. 177
Controuersia 8. De Iustificatione, & Gratia Habituali. 180
Controuersia 9. De Merito bonorum operum. 181
Controuersia 10 De Ecclesia, Pontifice, Concilio. 183
Controuersiæ aliæ, in reliqua Theologia, breui methodo resolutæ, ex Censuris, Decretis, aut Definitionibus Ecclesiæ, aut Summorum Pontificum. 183
§. 1. De operibus gratia, & meritis tam Hominum, quam Angelorum. ibid.
§. 2. De peccato Actuali, & Originali. 184
§. 3. De Fide, Spe, & Charitate. 185
§. 4. De iure & iniuria. 186
§. 5. De Christo, & Verbi Incarnatione. 186
§. 6. De Sacramentis, & eorum effectibus. 187
§. 7. Alia Puncta doctrinæ Modernæ ad Pœnitentiam spectantia. 188
Punct. 1. Necessitas Dilectionis Dei. ibid.
P. 2. Dolor ex metu gehennæ. ibid.
P. 3. Attritio in Sacramento. ibid.
P. 4. Satisfactio ante Absolutionem. 189
P. 5. Confessionis institutio. ibid.
P. 6. Dilatio Absolutionis. ibid.
P. 7. Consuetudo peccandi. ibid.
P. 8. Timor relapsus. ibid.
P. 9. Emendatio pro tempore notabili. 190
P. 10. Obseruatio remediorum. ibid.
P. 11. Dilatio absolutionis pro quouis mortali. ibid.
P. 12. Absolutio, & Confessio Venialium. 191
Exemplar Diplomatum Pontificiorum contra Propositiones Baianas. Et contra Doctrinam Iansenij. ibid.
Constitutio Alexandri VII. de sensu ab Authore intento, cum Annotatione. 192. & seq.


## NOTITIA GENERALIS

Tractatu integro, & operoso comprehensa, scil.


Dogmatum singulorum ab Ecclesia damnatorum, cum suis Authoribus &c. Item Hæreticorum singulorum cum tempore quo emerserunt. Item, singulorum Patrum ac Scriptorum à quibus prædicti in particulari confutantur. Et horum singula ad ipsos Dogmatum Titulos, ordine alphabetico studiosè, clerè, & commodissime redacta. 200


## HÆRETICI PRÆCIPVI.


Cum Annotatione Temporum ac Pontificum sub quibus singuli comparuerunt, aut damnati sunt, ex Historia Ecclesiastica hic ordine alphabetico distinctè constituti. 220


## SCRIPTORES SACRI.


Contra prædictos Hæreticos, eorumque errores, ordine Temporis, siue Antiquitatis exhibiti. 222


## NOTITIA BREVIS

### TOTIVS MONARCHIÆ SACRÆ AC SÆCVLARIS.


Cum Rerum memorabilium, Personarum, ac Temporum ordine accurato, à Mundi exordio, ad annum præsentem 1687. 224


## ARTICVLVS I.


Sex Mundi Ætates. Cum singularum annis, ordine, ac rebus gestis scitu dignissimis. ibid.


Pri-

# INDEX CAPITVM.


*Prima Mundi Ætas, ab Adamo ad finem Diluvii per annis 1656.* ibid.

*Secunda Mundi Ætas, à Noè usque ad egressum filiorum Israel ex Ægypto &c.* 225

*Tertia Mundi Ætas, ab egressu &c. usque ad annum primum conditi Templi Hierosolymitani per Salomonem.* 225

*Quarta Mundi Ætas, à principio ædificationis Templi usque ad illius exustionem, siue ad finem Captiuitatis Babylonicæ.* 226

*Quinta Mundi Ætas, à principio Monarchiæ Persarum &c. usque ad aduentum Messiæ, siue Christi Saluatoris.* 227

*Sexta Mundi Ætas, ab aduentu Christi usque ad illius reditum ad Iudicium extremum.* 228

## ARTICVLVS II.

*Monarchia Sacra Vrbis Romanæ, Pontificum, Conciliorum, & variis Vrbis status.* ibid.

## ARTICVLVS III.

*Monarchia Sæcularis Imperatorum, ac Regum Christianorum, cum Euentibus aliquot præcipuis per singula sæcula usque ad nostra tempora.* 230 & seqq.

## ARTICVLVS IV.

*Reges Hispaniæ ordine successionis per 12. postrema Sæcula.* 231

## ARTICVLVS V.

*Reges Galliæ ordine successionis per Sæcula ab anno Christi 400.* 236

## ARTICVLVS VI.

*Reges Angliæ, præcipuæ posteriores ex Stuartica familia.* 238

## ARTICVLVS VII.

*Reges Hiberniæ anteaquam Angliæ subiecta.* 239

## ARTICVLVS VIII.

NOTITIA BREVIS, *ac Diuisio Partium præcipuarum Orbis uniuersi, Asiæ, Africæ, Americæ, Europæ, cum huius Partibus præcipuis &c.* 240

Auctoris *recens Votum Regi* Iacobo II. *eiusque Regnis Angliæ, & Hiberniæ in solemni eius Coronatione metricè expressum.* 248

Elogia *mortis glorioſæ* Plunqueti *Primatis Hiberniæ*, Talboti *Arch. Dublin. aliorumque in Anglia, Germania &c. vide infra in fine Tomi III.*


PARS

# PARS PRIMA.

## RESOLVTIONES THEOLOGIÆ POLEMICÆ DE MODERNIS CONTROVERSIIS, & Quæstionibus facili methodo decisis.

## TRACTATVS I.

### Methodus clara quemuis adducendi ad veram Ecclesiam.

### CAPVT I.

*Vera Religio commonstratur horum temporum Libertinis.*

PRima ad salutem remora est effrænata vitæ licentia: hæc vti Mentem cæco impetu conuertit ed amorem creaturerum, ita eam penitus auertit à notitia, & cultu creetoris: fecilè enim error excæcet, quos libido dementet. Hinc fit vt nostro æuo plurimi passim reperiantur non tam Hæretici, quam Libertini, qui Religionis omnis expertes, & rerum creetarum Idolis effixi, nullam alterius vitæ curem admittunt. Serpit hæc dira contagio, non tentum inter humiles casas ignaræ plebis, sed vel maximè homines in speciem politos, populique duces, & ipsas Principum aules pedetentim inuadit: vbi à multis Deus vix colitur, nisi purpuretus; cura omnis in Curia versatur; multa de statu publico, nulla de priuata salute cogitatio. Fortunæ tantùm litare, viros principes vt Semideos coiere, & ab alijs coli, plurimis summa, aut vnica Religio est. Hominibus sic affectis, vt sopor ille lethargicus excutiatur, ante omnie necesse est, vt vlna summi Numinis, æternique iudicij cognitione perceiiantur. Habende igitur in promptu argumenta, quibus per res creatas ed egnitionem Creatoris, & per sensuum experimenta ad rerum à sensu remotarum fidem, emoremque traducantur: frustra enim hos, Catholicos reddere contendes, nisi prius veri nominis Christiani effieientur. Quin, & experientia docet, quoscumque Sectarios, imò, & Catholicos in fide iangnidiores, ex hac viuaci supremi Numinis, rerumque æternerum demonstratione, ad veræ Religionis inuestigandæ desiderium, firmamque in suscepta fide constantiem vehementer inciitari.

## ARTICVLVS I.

*Rationes ex rebus creatis ad Creatoris fidem, & cultum conuincentes.*

### §. I.

*Dico Primò; Ex Serie, & Dependentia Creaturarum colligitur neceſſaria Dei exiſtentia, & Religio illi debita.*

1. DEmonſtratur clarè, & breuiter hoc modo. Sicut mihi manifeſtum eſt meipſum, qui aliquando non eram, in hac rerum natura nunc exiſtere, viuere, operari; ita mihi certò innoteſcit exiſtere aliquam Cauſam primam, & ſupremam, cui ego quod ſim, aut viuam acceptum referre debeo. Non enim potuit hæc, qua conſto corporis moles, nullo Procreante, repentè ex nihilo proſilire: multò minus ego primus illius artifex eſſe potui, ac meipſum è ſpatijs imaginarijs in hoc orbis theatrum inducere: Si enim exiſtere deberem antequàm exiſterem, & creare antequàm eſſem creatus; quod fieri penitus, aut intelligi nequit. Neque poſſum exiſtendi exordium ab alia cauſa v. g. à meo parente deriuare, niſi ille pari modo ſuam originem ab alio hauſerit, & hic ab alio, perpetua ſerie progrediendo; donec tandem deueniatur ad Cauſam primam, & neceſſariam, à qua, & primus hominum parens, & ego, & omnes creaturæ principium aliquod exiſtendi acceperunt.

Fruſtra autem, ne ad Cauſam primam deueniatur, finget Atheus ſeriem infinitam cauſarum à ſe mutuò dependentium, in qua nihil primum, aut ſupremum reperiatur. Nam contra, vt rem obſcuram claro exemplo expediam. Tametſi in Catena ferrea alto protenſa concipias ſeriem infinitam annulorum ſe mutuò ſuſtentantium, neceſſariò tamen vel intra, vel extra illam ſeriem dabitur aliquid ſupremum à nullo ſuſtentante dependens, à quo annulorum omnium grauitas ſuſtentari debeat, cum nullus in tota catena annulus poſſit ſeipſum ſuſtentare. Sic etſi admitteretur poſſibilis ſeries cauſarum infinita, neceſſariò tamen ſi non intra, ſaltem extra illam ſeriem exiſtet cauſa aliqua prima, ac ſuprema, à qua ſic procedunt ac procreantur vniuerſa, vt ipſa per ſe exiſtens, à nullo debeat originis ſuæ primordia deriuare.

Vnde ſequitur, me huic ſupremo rerum omnium Conditori, ac meo primæuo Parenti, ipſo creationis iure, ſinceram fidem, cultumque debere; ac proinde ſi hunc præſtare omittam, debito ſupplicio eius arbitrio plectendum eſſe.

2. Neque tibi in mentem veniat, totam huius vniuerſi machinam, ſine alio principio, mole tantum ſua ab æterno ſubſtitiſſe, nec niſi ex varia corpuſculorum mixtura, motum, ſymmetria, nouas rerum ſpecies componi, potius, quam ab aliqua cauſa produci. Apage inane figmentum. Si enim mundus hic adeò longæuus foret, fatis ſanè ætatis haberet, vt ipſe pro ſe loqueretur, & illius æternæ, ac venerandæ antiquitatis teſtimonium aliquod exhiberet. Iam verò, ſi omnes mundi Annales conſulamus, ſic inter ſe conſentiunt vniuerſi, vt vltra ſex millia annorum, nulla anteriorum temporum mentio reperiatur. Quin potius, & nouas artes, & ſcientias, & regiones priſcis ſæculis incompertas, non ita pridem inuentas eſſe Annalium monumenta conſignant, & noſtra etiamnum ætas teſtatur. Quod ſi ante hæc tempora, infinita ſæculorum millia effluxiſſent, quo pacto immenſa illa annorum æternorum retrorſa ſeries artibus his excogitandis, aut regionibus inueniendis non ſufficiſſet?

Neque dicas, has artes, aut anteriorum ſæculorum memoriam intercidiſſe, ex aliqua priſcorum hominum incuria, quaſi prætermiſerint illi priorum temporum geſta, & monumenta poſteritati conſeuerare. Mirandum ſanè foret, tam re tanta, tam publica, tam naturæ conſentanea, commune illud, & pluſquam Pythagoricum totius orbis ſilentium. Nihil enim hominibus magis iucundum, & à natura inſitum eſſe ſolet, quam ſua, maiorumque ſuorum decora, monumentis perpetuò duraturis, toti poſteritati celebranda tranſmittere. Idque nimis manifeſtum eſt ex ſingularum Gentium annalibus antiquiſſimis, & Virorum illuſtrium præclaris facinoribus, non tantum in ſcriptis hiſtorijs, ſed etiam in viuis marmoribus, ac mauſolæis omni ſtudio ab obliuione vindicatis. Quòd ſi ante præteritorum temporum memoriam vltimam, per immenſi temporis durationem, cum mundo homines extitiſſent, illos quoque idem ardor, eadem antiquitatis explorandæ cupido rapuiſſet. De his verò vltra primum Adami ævum ſilent omnium gentium hiſtoriæ, omnia priorum ſæculorum monumenta conticeſcunt. Neque poteſt contra æternam mundi durationem, inſonare clarius teſtimonium; quàm

quàm altissimum istud totius æternitatis silentium.

II. Frustra autem, vt huius argumenti vim eludas, cum *Machiavelli* assectis, confugies ad ingentes aquarum eluuiones, & varia orbis incendia, quibus prætendas omnia prioria æui vestigia ante Adamum consumpta fuisse. Hæc enim commenta, cum nulla fide, aut historia sulciantur, ad fabulas & chimæras facilè relegantur.

Sed age, vt rem pressius vrgeamus, quæro, ex his eluuionibus & incendijs, aut hominum aliqui, aut nulli superfuerunt? Si aliqui, poterant illi rerum præteritarum memoriam in posteris conseruare. Si nulli, dic quæso, quo modo ad te, nullo qui referret superstite, harum eluuionum notitia peruenit? An non vides bellum istud esse commentum omni teste ac præsidio orbatum?

Tuo igitur testimonio machinæ istius æternæ tota moles incumbit. Faciamus porrò tecum per huiusmodi eluuiones, & orbis vniuersi conflagrationes, omne genus hominum absumptum aliquando fuisse, nullo superstite, qui anterioris ætatis notitiam propagaret. Sed hoc admisso, viterius inquiro, quo pacto potuerint homines aliqui post communem interitum, sine parente, sine conditore, in hoc orbe terrarum denuò comparere? Vis vt more *Deucalionis* nouum genus hominum ex saxis reparatum, aut potius ex orbe Innari delapsum credamus? Minimè, inquis, sed ex commixtione elementorum, ac calore solis, instar glirium aut ranarum, noui iterum homines è terra prosiliere. Si & hoc generis nostri probrum, potius quam Deum illius auctorem admittere non reformides: Dic quæso, cur non & hoc tempore reperiantur homines aliqui terrigenæ, more ranarum aut murium in campis, aut paludibus, ex eadem corpusculorum mixtura proseminati? Adest non minor quam olim influxus solis ac syderum, præsto est eadem natura ac symmetria corporum sublunarium: hæc omnia modis innumeris assiduò miscentur, & agitantur: neque tamen hactenus vnum nobis masculum, aut embrionem in orbe vniuerso, extra atheorum cerebrum, prosiliisse memorantur.

En quo tandem euanescant dementes Impiorum cogitationes! Quantumuis illi oblitione æterna omnia inuoluant, & hominum genus ad ranarum aut pulicum sortem abijciant, & mundum ipsum flammis & vndis penè enertant, ne sic quidem supremum vniuersi Conditorem effugiunt.

Cùm igitur hactenus ostensum sit, nec mundum, nec homines ab æterno extitisse; neque potuisse in tempore à seipsis, nec ab alio principio in infinitum procreari, manifestè conficitur, à prima rerum omnium causa ac conditore originis suæ primordia obtinere, cui proinde sincera fides, ac Religio debeatur.

## §. II.

Dico Secundò: *Ex ipsa Hominis conscientia, & rerum cæterarum Ordine perfectissimo, supremi Moderatoris prouidentia omnibus adoranda & colenda elucescit.*

IV. AC primò quidem, hanc supremi Numinis agnitionem intimis hominum pectoribus ab ipsa natura insculptam esse deprehendimus, ex stimulis *Conscientiæ*, sine tacita formidine, qua admisso graui flagitio v. g. homicidio, homines etiam ethnici concutiuntur, quantumuis illud in vasta solitudine, absque omni arbitro aut teste patratum fuerit. Quero enim, quem potest ille homicida violatæ legis vindicem formidare? Non primò seipsum, nullum enim à seipso supplicium pertimescit. Non alium hominem, qui crimen testetur, aut puniat: certus enim est, nullum mortalium sceleris sui conscium fuisse: & tamen tacitus illum tremor, & solicitus panor exagitat. Deum igitur vbique præsentem, Deum omnia etiam occulta inspectantem trepidando metuit, & metuendo agnoscit; ad quem nempe, vt auctorem naturæ pertinet, violatam naturæ legem in præsenti, aut futuro sæculo vindicare.

Hinc igitur agnosco, me in ipso mentis meæ tribunali adeò vinum circumferre supremi Numinis testimonium, vt si debitam illi fidem & obsequium non exhibeam, non tantùm Deum Iudicem, sed etiam meam conscientiam habere debeam contra me vindicem, testem, accusatorem.

V. Secundò: Si transfero oculos à me ipso in hunc *Orbem aspectabilem*, occurrit imprimis, hæc in qua consisto, Terræ, & Maris ingens machina, in medio Aere, nullo sustentante, librata. Hinc ascendo ad amplissimum globum Lunæ & Solis, qui constanti tot sæculorum cursu orbem vniuersum illuminat. Pergo hinc viterius ad reliquas Stellas, multitudine innumeras, iles, splendore eximias, miro & immutabili ordine in Firmamento collocatas. Considero denique ipsius Firmamenti amplitudinem immensam, & motum

præcipitem, tot tamen millibus annorum abſque errore minimo, in ſuo curſu ac tramite perſiſtentem.

Horum ſingula ſi cum Aſtrologis penitius contemplemur, comperiemus magnitudinem Solis pluſquam centies & quadragies totius terræ globum ſuperare: imò alij ad millies ſeptingenties cum Tacquetio noſtro extendunt. Tetræ autem totius ambitus prope ad viginti duo leucarum millia porrigitur. Stellas in firmamento nocte ſerena conſpicuas quis poterit numerando recenſere, quæ ad conſtellationes mille viginti duas reducuntur? Et tamen inter has, plures ſtellæ quæ dicuntur primæ magnitudinis, totam Terram pluſquam quadragies excedunt. Diſtantiam autem immenſam Stellarum Fixarum à Terra inde conjicies, quod ipſe Sol, multò nobis vicinior, diſtet vltra quatuor milliones milliarium; Luna verò vltra ſeptuagies mille milliaria Belgica. Mouentur autem aſtra firmamenti ſingula velocitate tam ſtupenda, vt ſingulis horis multos leucarum milliones conficiant, cum & ipſe Sol in circuitu multò inferiori, non minus quam millionem leucarum in horas ſingulas decurrat. Quæ omnia ad ampliorem longè numerum extendi cenſet Ricciolus, & ex parte G. Heſius, alijque viri accuratiſſimi.

Nunc inquiro, à quo tandem poſſunt exiſtere, & ordinari hæc quæ recenſui vniuerſa? Non eo pertingit Hominis induſtria, quæ vel in vnius familiæ gubernatione mirum quantum deſudat: nec opus eſt Angelicæ virtutis & intelligentiæ, anguſtis nempe ſpatijs, ac limitibus circumſcriptæ. Non igitur exiſtunt illa niſi à ſupremo, & perfectiſſimæ mentis Artifice, qui ſingula cum nondum eſſent, ex nihilo produxit, producta inter ſe aptiſſimo ordine diſpoſuit, & ſic diſpoſita in eodem tenore ad hunc vſq; diem continet, ac conſeruat. Non enim potuit ingens illa rerum machina per ſe, abſque ſupremæ cauſæ adminiculo, ex nihilo emergere, vt in §. 1. oſtendi; multoque minus abſque eiuſdem diſpoſitione ac conſilio in eam, quam deſcripſi, formam ordinemque fortuitò conſurgere. Vt ſi in vaſta ſolitudine occurreret palatium ampliſſimum, optimo ſingularum partium ordine conſtitutum, nemo eſt hominum, qui illicò non agnoſceret, talem fabricam non caſu fortuito, ſed ab Artifice mente & ratione prædito in talem ordinem formamque coaluiſſe.

Eodem modo vlterius inueſtigandum, quonam moderante dirigatur *Motus Solis* perpetuus in ſuo acceſſu, & receſſu, ad certos fines & vſus rerum ſublunarium, vt ver hyemi, veri æſtas, æſtati autumnus, ordine ac lege nunquam aberrante ſuccedat? Non poſſunt ſanè hæc omnia ab alio principio promanare, quam à ſupremo, ac ſapientiſſimo rerum omnium Moderatore, cui cutæ eſt tam varlo ſolis motu, ac temporum alternatione, hominum genus, reſque cæteras ab interitu conſeruare. Sol enim, cum ſit mentis & rationis expers, neque rerum ſublunarium exigentias intelligere, neque curſum ſuum certa lege ad earum vſum, vtilitatemque flectere, aut ordinare poteſt. Cernimus enim verò, nec Cymbam vnam, vtpote ratione carentem, abſque nauclero, nec Currum vnicum abſque auriga, ad deſtinatum locum motu ſe proprio, conſilioque dirigere. Multò minus potuit tam varius, tam diuturnus ſolis, ſyderumque motus, ſine ſupremo moderatore, per ſex millia annorum, ad fines adeò admirandos eæco impetu inflecti, nullo conſilio dirigi, nulla prouidentia gubernari. Inops ipſe ſit mentis qui hæc ſine mente perfectiſſima fieri poſſe arbitretur.

Qui ergo creaturas etiam rationis expertes ad fines ſuos tam accuratè dirigit, quomodo patietur hominem ratione præditum, ab vltimo ſuo fine, qui eſt Ipſe Deus, impunè recedere, & ab eius fide, & obedientia ſpontè aberrare?

VI. Quod ſi etiam in *Homine* (qui meritò *microcoſmus*, ſiue paruus mundus, dicitur) conſideres partium ſingularum ad ſe mutuo, ſuaſque operationes *Proportionem* & ſymmetriam admirandam; ſi etiam in ſingulis animalculis tot *Inſtinctus*, tam ſolerer inditos ad ſuam ſuæque ſpeciei conſeruationem; ſi in ipſis Arboribus, & plantis, imo in vnico *Floſculo* aduertas partium ſingularum ad ſuos fines ordinatiſſimam texturam; ſeminis ex quo paulatim formator vim, & energiam; ſtipitis vnde flos ſuperius conſurgit varios, & æquabiles plexus; ſi denique ſingularum particularum mirabilem, ſibique ſemper conſtantem ordinem & œconomiam penitùs perſpicias, illico profectò exclamabis, Hic digitus Dei eſt, hic ſapientia ſubliimiſſima, hic ſupremi Opificis artificium.

Idem illicò deprehendes ſi pergas ad Animantia ſingula, ac tantùm inquiras, quorſum præ alijs Ciconiæ, ac Grues collum, roſtrumque habeant longiſſimum? In promptu cauſa eſt, partium debita ad ſuos fines proportio. Quia cum animantia iſta præ cæteris pedes habeant oblongos, neceſſaria etiam fuit colli, roſtrique longitudo ſic proportionata, vt ad alimentum ſibi ex terra deſumendum extremum

mum roſtri porrigere valerent : hæc verò longitudine carent paſſeres , columbæ cæteræque volucres quæ pedes habent breuiores , adeòque roſtrum terræ viciuius.

Quorſum Animalia *terreſtria* equi, boues , leones , &c. quatuor pedibus ſuſtentantur , *volatilia* tantùm duobus fulciantur ? Quia illa quadrupedia terræ inſiſtunt , gramine aluntur , & grauiori conſtant corporis mole , quæ ad ſui ſuſtentationem quatuor pedes veluti totidem columnas requirit. *Volatilia* verò , cum maximè aerem incolant , muſcis pro alimento captandis alas potius , quàm tot pedes depoſcunt. *Piſcibus* denique non pedes, nou pili,uon plumæ , ſed ſquamæ denſæ, inſtar loricæ, aquarum frigori obſiſtentes , ac branchiæ tenues aquam diuidentes , corpuſque in ea librantes ſolertiſſimè attribuuntur.

Ac ne in ſingulis ad alia minutiora , qualis eſt vnius oculi fabrica admiranda , latius excurram , de ſolo corpore humano cum Anatomicis pronuntiat eximius olim *Auerroes* , adeò eminentem eſſe illius in particulis ſingulis ſtructuram ac ſymmetriam , vt non poſſit ab alio , quàm à ſupremo prorſus rerum omnium Artifice fabricari . Hoc artificium admirandum , in rebus creatis maximè obuium , & aſpectabile , ſi quis attentè contempletur , ſcalam habet expeditiſſimam , qua ad ſupremæ atque increatæ Sapientiæ non tantùm notitiam , ſed etiam ſummam illius admirationem, amoremque facilè conſcendat.

## §. III.

Dico Tertiò : *Spiritus à corporeo ſenſu ſeparati , vti, & Miracula vim naturæ exuperantia , ad diuinæ Potentiæ notitiam , cultumque manifeſtè adducunt.*

VII. PRimò quidem, Extra creaturas in hoc mundo aſpectabiles , occurrunt etiam *Spiritus inuiſibiles* à materia , ſenſuque ſeparati , vt ſunt Angeli , ac dæmones, qui in obſeſſis hominum corporibus ſeſe produnt per operationes admirandas , quæ à nullo hominum poſſunt exerceri . Nihil enim certius eſt , quàm dari artem Magicam , & occulta cum dæmonibus pacta, & commercia , ex quibus cogimur admittere Spiritus corporis expertes , maxima agilitate , intelligentia , ac potentia præditos , qua producuntur effectus , qui omnem poteſtatem naturæ viſibilis longiſſimè tranſcendunt . Sicut ergo inficiari non poſſumus exiſtere hoc Spiritus , qui ſub aſpectum non cadunt , à rebus corporeis ſeparatos ita neceſſe eſt agnoſcere Spiritum aliquem ſupremum,ac potentiſſimum, qui occulta virtute cætera omnia moderatur , quem Deum vocamus , etſi illum nec viſu , nec alio ſenſu percipiamus.

Secundò , ſupremi Numinis Maieſtatem nobis produnt,innumera omni æuo Miracula, quæ cum omnes naturæ vires excedant , à ſolo Deo ea prouenire neceſſe eſt: qualia ſunt tot manifeſti fauores ſinceris Dei cultoribus conceſſi ; tot pœnæ ſacrilegis, ac periuris repentè irrogatæ .

VIII. Quæro enim , A qua virtute aut poteſtate prodierunt ſupra vim naturæ tot Prodigia olim patrata , dum diuiſis inſtar muri hinc , & hinc Oceani fluctibus populus Iſraeliticus, duce Moyſe, profundum maris alueum ſicco veſtigio tranſmiſit : aut dum Ioſue inuocato Numinis auxilio , in medio æthere præcipitem ſolis curſum extempio frænauit . Et vt propinquiora memorem , quo auctore Chriſtus coram multis teſtibus Lazarum è monumento , filium viduæ è feretro , & plures alios luce orbatos ad vitam repentè ſuſcitauit ? Qua vi , aut potentia plures alij Dei cultores , omni æuo ad noſtra vſque tempora , paria ſuperioribus prodigia orbi palam ſpectanda exhibuerunt. Potuerunt ſcilicet elementa , potuit vis occulta naturæ ad huiuſmodi miracula ſufficere , quæ omnem naturæ poteſtatem manifeſtè tranſcendunt . Diu ſanè multumque vniuerſæ Naturæ opem implorabis , antequam ea opitulante vnius digiti vulnus momento obducas.

Sed ne tam potenti argumento ad præſtandum Numini fidem cultumque adigatis , hæc omnia vt hiſtorias falſas , aut oculorum ludibria , cum Machiauello dicere non erubeſces . Verùm non aduertis te pariter iuſano auſu omnium hiſtoriarum fidem , & humanum commercium è mundo relegare ? Geſta Regum , aut Cæſarum vnde nobis niſi ex conſcriptis maiorum monumentis receuſebis? At , ſi tecum iuſanire velim , repudiabo vniuerſa . Proferes teſtes ac tabulas plurimorum Auctorum fide , ac teſtimonio ad poſteritatem tranſmiſſa. Dicam illico , falſas hiſtorias , fictas tabulas , omnia hominum aſtu, & fraude adornata . Nulla ergo deinceps in tabulis , nulla in teſtibus , nulla in hominum dictis aut factis fides reſidebit . Quod aliud non eſt,quàm neceſſarium vitæ humanæ commercium , & omnem probandæ veritatis viam penitus interclude re . Eu quo deuenit iſta hominum veſania , quæ dum tentat è mundo tollere fidem diuinam ; omnem pariter deſtruit fidem humanam.

## §. IV.

Dico Quartò: *Ex prædictis apertè euincitur, quemlibet Dei agnitionem cultumque liberè auersantem, rectè inter homines fatuum, aut amentem reputari.*

IX. HOc vt demonstrem, assumo principium à Philosopho treditum 10. *Ethicorum*, & ab omnibus summo consensu receptum: *Quod vniuersis videtur, id verum esse debet*. Hoc enim principio sublato facile negabo, bonum esse vinere, malum mori; mel dicendum dulce, fel amarum. De hoc autem si dubitauero, fatuus illico appellebor, quia hoc, & vniuersis videtur, & natura ipsa loquitur, mel scilicet dulce, fel verò amarum esse: Nem vt verissimè Tullius, & quo omnium nature consentit id verum esse necesse est. Nunc vlterius subsumo: Atqui vniuersis mente sena prædictis semper videtur, semperque visum est, dari in mundo aliquod Numen debita religione colendum. Constat enim ex omnium gentium historijs, etsi inuentæ fuerint nationes, quæ vitem duxerint sine domibus, sine vestibus, alijsque hominum commodoac naturæ consentan eis; nusquam tamen extare gentem, aut vrbem, cui nullus sit Deus, nulli ritus, nulla sacrificia. Adeò vt inter regiones postremo sæculo in nouo quasi orbe repertas, nulla sine religione aliqua vixerit, quamuis in cæteris vix à belluis differre viderentur. Neque potest communis ille hominum sensus ac consensus ab alia causa enasci, quam à quadem luce, ac communi dictamine ab auctore naturæ omnibus impresso, vt illum tanquam primum originis suæ principium sibi quærendum ac colendum agnoscerent. Quod autem à natura duce, & ingenita omnibus luce proficiscitur; id absq; dubitetione verum certumque à quouis ratione prædito iudicari necesse est. Adeò vt si quis præfrictè obluctetur, aliud existimari nequeat, quam hominem illum læso turbatoque cerebro, vim iudicandi amisisse, qua solet verum à falso discerni.

X. Atque hinc vlterius conficio, contra cuiam debitam inquirendæ Religionis, ab auctoritate Libertinorum nullum posse prætendi ergumentum, quos hic in delirantium numerum redigendos esse iam demonstraui. Nulla sanè fatuitas est sine eliquo similis celebri patrono, neque temen rebus communi orbis iudicio receptis, quidquam derogare solent dissona paucorum deliria. Communis certusque est hominum sensus, vita suam cuilibet æstimandam; & tamen inuenti sunt aliqui, qui violentas manus sibi intulerunt. Quid magis certum, quam nos aliqnid certi cognoscere? id tamen à Scepticis præfractè negatur. Veritas est lumine naturæ nota, me non posse simul scribere, & non scribere, sed, & hoc à Parmenide pro falso habetur. Nulla denique veritas adeò lucida est, vt ad eam proterna qnorumdam ingenia non caligent: quod si ad obducendam veritati caliginem, illa paucorum cæcites sufficeret, iampridem omnis è mundo veritas exularet.

Hoc interea ex dictis liquet, in nullo rationis dictamine, communem orbis vniuersi sensum magis conuenire, quàm in admittendo aliquo Numine ac Religione, quam quisque ex sola naturæ luce ac magisterio sibi colendem esse decernit. Vnde demum conficitur, nihil posse obtendi quo minue inter fatuos, aut emotæ mentis homines esse censeantur, qui contra veritatem adeò apertam paucos sequuntur Libertinos, quos in hoc iudicij impotes esse, & in medie luce cæcutire, iam palam fecimus, & pluribus infra confirmandum erit.

## §. V.

Dico Quintò: *Ex argumentis hactenus allatis certò concluditur, ex neglectu Fidei, cultusq; diuini, sequi pœnam ignis æterni.*

XI. PRimò, Quia communi orbis consensu ex his, & sequentibus argumentis, Omnes non modò Christiani, sed etiam Iudei, Turcæ, ac pleræque Gentes Barberæ omni æuo hanc indubitatem intulere sententiam: *Qui negligit Deum in hac vita dignè colere, in altera vita condignè punietur*. Sicut ergo violatæ fidelitatis erge regiam Maiestatem condigna pœna est, ferri, aut flammæ tortura, definito tempore duratura, ita negiectus fidei debitæ Regi æterno, condignum supplicium est cruciatus iguis æterni. Quia Dei infiniti Maiestas, & excellentia, cuiuslibet Principis dignitatem infinitis gredibus antecellit.

Hoc cum ita sit, quomodo potero ego ad hanc totius Vniuersi vocem obsurdescere, aut in hoc præ omnibus vitæ negotijs curem, & cogitationem non intendero, vt diuinæ Maiestati debitam fidem, cultumque persoluam. Si enim in periculis vitæ præsentis breui finiendæ, omni studio remedia quæruntur tutissime,

tiſſimè, quanto magis id agendum eſt in præcauenda iactura vitæ æternæ, & vitandis pœnis perpetuò duraturis?

Secundò. Præter hanc totius naturæ vocem, Deus ipſe per voces Prophetarum hanc doctrinam omni æuo hominibus propalauit, & nouiſſimè locutus eſt nobis in *Chriſto* Filio ſuo, qui in teſtimonium *Huius veritatis* à ſe reuelatæ, in publica orbis luce, cæcis à natiuitate viſum, claudis inceſſum, mortuis plurimis vitam momento reſtituit. Qui in dæmones, in elementa, in morbos omnes, ſola voce, aut nutu, abſolutiſſimum exercuit imperium. In cuius morte ſupra omnem naturæ ordinem, orbis vniuerſus denſa tenebrarum caligine obductus eſt; & tota terræ machina horrendo tremore concuſſa, petris ſciſſis, & mortuorum ſepulchris diuina virtute reſeratis. Qui denique poſt mortem rediuiuus, pluribus palam ſpectandus, & palpandus apparuit: ac demum diuina luce refulgens, coram multis teſtibus, in cœlum propria virtute conſcendit.

Quæ omnia, pariter cum ſua doctrina probatiſſimis *diuinarum Scripturarum* monumentis, & innumeris per Euangelij præcones *Miraculis* confirmata, adeò omnibus manifeſta reliquit, vt maxima pars orbis, non vi aut armis, ſed aperta veritatis luce adacta, eius doctrinam quantumuis arduam accipere, & ſuo ſanguine conſignare non dubitauerit. Doctrinæ autem à Chriſto traditæ *Primum Principium* hoc eſt, Deum debita fide, & cultu agnoſcere recuſantibus, paratum eſſe poſt hanc vitam ſupplicium ignis æterni. Sic enim loquitur Chriſtus *Matthæi* 25. v. 31. Ite maledicti in ignem æternum & v. 46. Ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam.

XII. Dura, inquies, hæc ſententia eſt. At omnium ſententia eſt. Nulla Eccleſia, nulla inter Chriſtianos Secta vnquam dubitauit, ſine vera fide impoſſibile eſſe Deo placere, aut ignis æterni pœnas euadere, ſi quis eam ritè propoſitam ſua culpa admittere recuſet.

Nunc igitur animum collige, & apud teipſum expende. Quantum hactenus curæ adhibueris in deligenda illa Fide ac Religione, in qua poſſis Deo placere, & ignis æterni tormenta effugere. Quis viator ſine vllo examine ingreditur quamlibet viam primò occurrentem, niſi ſponte velit in errorem, & interitum incidere? Non ideò via ad ſalutem recta eſt, quia lata, quia iucunda, cum ipſa veritas moneat *Matth.* 7. v. 14. Anguſta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam. Quia nempe viam veræ fidei pauci ſeriò inueſtigant, ſed illam ingrediuntur, ad quam vel commodum vitæ, vel lucrum, vel officium, vel amicorum exemplum inuitat. Et tamen in altera vita, nec officium, nec lucrum, nec amici vlli, ſed Fides vera, & ſincera poterit te ab ignis æterni pœna præſeruare.

Interroga igitur teipſum his verbis quibus à Chriſto interrogaris *Matth.* 17. v. 26. Quid prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Cras fortè ſtabis ante tribunal ſupremi Iudicis, Fidei tuæ rationem redditurus, vbi in momento accipies extremam ſententiam, vnde pendet tota Æternitas. Adhibe ergo nunc in inquirenda veritatis via illam curam ac ſtudium, quod ſeriò à te adhibitum non fuiſſe, ſeriò lugebis: in hoc enim puncto, ad vitæ finem vltrò errare, aliud non eſt quam æternum perire.

## ARTICVLVS II.

### *Eneruantur variæ Argumenta, & effugia contra hæc à Libertinis opponenda.*

I. REſpondebunt pro ſua, ſuorumque errorum defenſione, Atheorum more, horum temporum Libertini: *Hominem* ex iure, & dignitate naturæ ſuæ in res ſublunares liberum dominatum, vſumque obtinere. Durum proinde videri, à ſuperiori aliquo Numine, nullo cogente, tot legum diuinarum vincula ſubire, quæ naturali hominis libertati ac felicitati in creaturarum vſu maximè præiudicant: ideòque nolle ſe ex doctrina ſibi incerta, de libertatis ſuæ certa poſſeſſione deturbari.

Sed vt tuo etiam, Libertine, commodo conſulamus, abs te quæro: An non tibi multò durius videatur eam de Deo, eiuſque legibus doctrinam abijcere, quæ ſi vera ſit, abſque vllo in futurum remedio, tibi allatura eſt calamitatem perpetuò duraturam; ſi verò falſa, nihil eam profitenti in hac, aut altera vita nocitura eſt? ſi enim nullum exiſtat Numen, nullus quoque erit hominum qui poſt hanc vitam, tuum tibi in colendo Numine errorem exprobrabit: illo autem exiſtente, vnà cum ſpreti Numinis vltione, conſurget aduerſum te tota hominum multitudo, quę ab orbe condito Deum ità coluit, tuæque vesaniæ, quod à communi orbis ſenſu vltrò aberraueris, meritiſſimo iure inſultabit. Securum igitur te reddit Numinis veneratio à grauiſſima pœna Atheis perpetuò formidanda atque inſuper ſpem parit ingentis præmij ſinceris Dei cultoribus,

bus, communi orbis iudicio, in perpetuum deſtinati. Et quamuis (quod fieri nequit) tnum de exiſtentia Numinis indicium eum communi orbis conſenſu falleretur, per hoc præſentis vitæ conditionem nihilo reddes deteriorem. Amens ergo fis ſi doctrinam omnibus adeò compertam amplecti recuſes, quæ te pœnæ ſecurum, ac perpetnò fælicem reddere poteſt, miſerum non poteſt.

II. At, inquies, quo modo in totius vitæ decurſu poſſum eſſe non miſerrimus, ſi in omni actione vindicem ſupremi Numinis manum mihi perpetuò imminentem agnoſcam, à quo dum in libero rerum creatarum vſu, aut abuſu futura ſupplicia pertimeſco, ſtatum præſentis vitæ ego mihi fabrico quouis gehennæ periculo deteriorem?

Pones facile hanc miſeriæ formidinem, quam præſentium illecebrarum ſpectra iniiciunt, ſi haud minorem eſſe hominis Chriſtiani quam Athei, etiam in præſenti vita, felicitatem, mecum æqua lance expendas. Vita hominis Athei, ſiue Libertini diuinum cultum aſpernantis, perpetuam patitur cum vera ratione luctam ac diſſidium, dum aduertit ſe, in repudiando Numinis obſequio, à communi orbis ſenſu diſſidere. Nullum habet in Dei prouidentia ſolatium aut aſylum, ad cuius præſidium in aduerſis confugiat: nullum illi intercedit cum veris Dei cultoribus Religionis vinculum aut commercium: omnium in hac vita odium, & opprobrium incurrit: ac poſt mortem nullam alterius vitæ fælicitatem expectat. His autem ſolatijs ac gaudijs homo Chriſtianus in præſenti vita iucundè perfruitur, ipſque intra conſcientiæ ſinum ſuauiſſimè oblectatur.

Liberum verò rerum creatarum vſum ſi ſpectes, hic quoque vſus in homine Chriſtiano, quantum neceſſe eſt ad benè beatèque viuendum, nulla ex parte deſideratur. Præſtò illi abundè ſunt oblectationes innumeræ diuina lege conceſſæ, quæ tantò ſuauius ac ſecurius mentem explent, quantò magis defæcatæ ſunt à belluinis cupiditatum illecebris, à quibus ipſa natura, & ratio abhorret. Non arcet illum ſua in Deum Religio à communibus fortunæ donis, à publicis in republica honoribus, ab opibus legitimè acquirendis, à clari nominis fama ad poſteritatem tranſmittenda, in nulla denique parte fælicitatis humanæ Chriſtianus Atheo aut Libertino concedit: in hoc ſemper diſpares, quòd homo Libertinus habeat plurimùm quod pòſt hanc vitam timeat, nihil omnino quod ſperare poſſit.

III. Si fortè dicas, Onus tibi maximum, & quauis Ætna grauius apparere; captiuum tradere intellectum ad obſequium fidei, in rebus captu difficillimis, quæ omnem intelligentiæ tuæ lucem effugiunt: vt eſt Deus vnus, & trinus; Animæ immortalitas, & alia non minus ardua fidei myſteria. At quid ſi ego palam fecero, dum onus hoc amoliris, & te nihil abſque ſenſuum experimento credere profiteris, aſſumpſiſſe te onus credendi myſteria multo magis abſtruſa, & ab omni ſenſu, & ratione remota, quam quæ tibi per Atheiſmum excuſſiſſe videris?

Age imprimis? Homo Chriſtianus credit exiſtere Deum, qui ſub eius ſenſum aut aſpectum non cadit; Atheus verò, vt Dei demonſtrationem eneruet, admittit ſeriem cauſarum infinitam, aut occultas atomos, ex quarum fortuito concurſu omnia coaleſcant: hanc autem ſeriem infinitam, has atomos occultas, hunc concurſum tam affabrè, & tamen fortuitò omnia formantem, nec illi viſus, nec ſenſus, nec ratio vlla vnquam ſpectandum exhibuit.

Secundò. Chriſtianæ fidei prof eſſer Animam hominis, quam nunquam ſpectauit, immortalem agnoſcit: Atheus animam poſt mortem in nihilum abire profitetur, quam tamen nunquam ſuis oculis in nihilum euaneſcere conſpexit. Chriſtianus aſſerit omnia in hoc orbe ſuprema Dei ſapientia diſponi: Atheus è contra ſuſtinet rea vniuerſas à ſolo Fato gubernari; neque tamen arbitror ipſum vllo hactenus ſenſu Fatum magis, quàm Deum percepiſſe. An non aduertis, Libertine, quàm recondita, & ab omni ſenſu aliena dogmata eum Atheo admittas, qui tamen profitetur, ſe nihil agnoſcere velle, niſi quod aperto ſenſuum teſtimonio comprobatur. Quod ſi in his figmentis tam abſtruſis, non dubitat captiuum tradere intellectum, quid illum in admittenda Numinis exiſtentia remoratur? Quam ratio demonſtrat, quam Doctorum auctoritas probat, quàm Gentium pænè omnium conſenſus apertè teſtatur.

IV. Nunc tandem, vt te propius conueniam quæro; An hanc doctrinam pro tua agnoſcas: *Veritas* omnem vitæ humanæ ordinem, iuſtitiam, honeſtatem peruertit: *Falſitas* optimum in mundo ordinem, iuſtitiam, honeſtatem induxit. Haud dubito, maleſanum hoc doctrinæ monſtrum confeſtim auerſaberis. Efficiam tamen paucis vt hoc naturæ immane monſtrum, mentis Deum auerſantis fœtum eſſe agnoſcas. Si enim verum eſt hoc quod ſupponit Atheus, Non eſt Deus, nun eſt Prouidentia, non eſt Religio quæ vlla ho-

hominum flagitia prohibeat aut puniat; liberum erit sine scelera etiam innocentem trucidare, aliena bona rapere, alterius thorum violare, per nocturna furta aut incendia quascumque domos & vrbes deuastare, quidquid furor, quidquid libido suggesserit, absque vllo crimine aut Numinis metu patrabitur. Sublato enim Deo tollitur lex diuina, sublata autem lege, omne flagitium legi contrarium, & constituta flagitio pœna penitus euanescit. Quinimò si Numen è mundo tollas, iam blasphemia, periurium, impietas, virtus erit maxima, ac laude dignissima? vtpote conformis primæ Atheorum veritati, qui diuinum Numen nihil nisi commentum aliquod vanum, ac chimæricum arbitrantur.

V. Ex aduerso, quidquid in rerum natura honestum, quidquid rectè ordinatum conspicimus, si Atheo credis, Falsitatis beneficio acceptum referamus oportet. Supponit enim Atheus dogma esse falsissimum, *Deus existit*. Et tamen ex Dei existentia ab hominibus credita profluunt actiones honestissimæ, vt fides in verbis, fidelitas in pactis, amor iustitiæ, obedientia legum, denique odium omnis flagitij, quod agnoscunt homines à Deo iusto iudice seuerè puniendum; vti credunt ab eodem amorem æquitatis, & omnis actionis honestæ æterno præmio remunerandum.

Quid autem magis distortum fingi aut cogitari potest, quàm rectissimam benè agendi normam ex errore falsissimo enasci, primam omnis æquitatis regulam, iniquissimo ficti Numinis cultu contineri: denique optimum in rebus humanis ordinem, pessimo totius naturæ monstro deberi? An non aperte vides, quo pacto ex vniuerso cerebri tui iudicio, totius vniuersi ordo euertatur.

Neque dicas, sepositâ cognitione, ac lege diuina, ipsi Naturæ humanæ innatum esse hunc æqui, rectique amorem, vt sponte sua actiones cum flagitio coniunctas auersetur, eamque esse legem quandam non aliunde acceptam, sed ipsi naturæ per se impressam.

Nam ego ex aduerso demonstro, illam rectè agendi legem non posse naturæ inesse, nisi eam aliundè ex perfectiori principio inditam fuisse agnoscas. Meminerit enim te, qui Deum naturæ conditorem inficiaris, Animam quoque homini incorpoream atque immortalem negare: teque totam hominis machinam, & quidquid in ea continetur ex fortuito quarundam atomorum concursu fabricare.

VI. Quæro igitur nunc, quo pacto ex fortuita illa corpusculorum congerie, quibus ex natura sua nihil rationis inditum est, prouenire possint illa perfectissimæ rationis principia, quæ etiam quandoque reluctante natura singulos homines docent: *Suum cuique tribuendum*: *Parentes honorandos*: *Alteri non faciendum quod tibi nolles fieri*, &c. Ea enim vis insita non est corporibus ex se stupidis, & ratione carentibus, vt in vnam molem conflata, talia conferant rationis lumina, quibus ipsa penitus destituuntur. Certissimum namque totius naturæ axioma est, Nullam causam posse producere effectum seipsa perfectiorem. Quomodo ergo suprema illa rationis principia, & nulli errori obnoxia, poterunt prouenire à sola symmetria, motuque corporum elementarium, quibus nihil magis proprium ac cognitum est, quam casus, error, & ignorantia? Sient igitur à Magistro inanis cerebri, ac nullis artibus imbuto, nemo scientiam hauserit indubitatam, & omnis erroris expertem, ita necessarium erit deficere, ac vaciliara prima illa rationis principia, quæ pro certissimis habentur, nisi à suprema ac perfectissima quadam Intelligentia deriuentur, qualem extra hanc quam cernimus corporum congeriem inquiras necesse est.

Atque hinc vt arbitror satis manifestè deprehendis, ipsa naturæ vim, in qua effugium quærebas, te ad supremum ac perfectissimæ intelligentiæ Numen sua sponte adducere, dum inuictè demonstrat, hæc ipsa rationis principia, quæ naturæ attribuis, non posse homini inexistere, nisi Deum, qui illa Animæ incorporeæ impressit, vt primum primæ veritatis fontem & auctorem agnoscas.

## ANIMAE IMMORTALITAS.

*Ex demonstrata Dei existentia, & ratione naturali deducitur.*

VII. PRobatur primò, ex diuina auctoritate & veracitate, quæ fallí aut fallere non potest, in Scripturis sacris à se dictatis animæ nostræ immortalitatem distertè declarante Patet *Matth.* 10. Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: Vbi verba illimitata, *Non possunt occidere*, satis etiam declarant animam ex natura sua, non ex solo Dei decreto absolutè esse immortalem. Patet idem *Matth.* 25. Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam. Idem denique Ecclesia vniuersa, Verbi diuini interpres à Deo constituta, declarat in Concilio *Lateranensi* 3. *sess.* 8.

his

his verbis. Cum diebus noſtris nonnulli auſi ſint dicere de natura animæ rationalis, quod mortalis ſit; ſacro approbante Concilio, damnamus, & reprobamus omnes aſſerentes, animam intellectiuam eſſe mortalem, &c. cum illa non ſolum verè, & eſſentialiter humani corporis forma exiſtat, verum, & immortalis, &c.

Probatur ſecundò, ex Iuſtitia Dei perfectiſſima ac ſapientiſſima, quæ proinde plectere debet improbos, & remunerari probos. Atqui id ſæpè non facit in hac vita, in qua cernimus improbos affluere delitijs, probos verò miſerijs multis affligi. Ergo id præſtare debet poſt decurſum huius vitæ mortalis. Vnde etiam ſequitur poſt illam debere animam ad minimum pro aliqua temporis duratione ſupereſſe. Si autem poſt ſeparationem à corpore permaneat aliquo tempore ſupereſſes, nulla eſt cauſa cur vnquam poſtea intereat, cum ex natura ſua nullum habeat contrarium à quo deſtruatur, neque per ſe ſit naturæ fluxæ, nec aliud aſſignetur quod exigat eam in nihilum reduci. Quin è contrà experimur animæ humanæ à natura inſitum eſſe appetitum quendam innatum ad quietem, & beatitudinem perfectam, adeòque perpetuam: hic autem appetitus fruſtraneus, & chimericus foret, cum nulla beatitudo poſſit eſſe perfecta niſi ſit cum perpetuitate coniuncta. Hoc argumento vſum fuiſſe S. Petrum aduerſus Simonem Magum, ad euincendam animæ immortalitatem, aſſtruit *D. Clemens lib. 3. Recognitionum*.

VIII. Probatur tertiò, ratione naturali. Ex eo quod Anima noſtra naturam habeat ſpiritualem, ſiue incorpoream, quæ proinde ex ſe nulli eſt obnoxia corruptioni. Incorpoream autem eſſe Animæ noſtræ ſubſtantiam, conuincunt 1. *Cogitationes humanæ*, quæ ſunt operationes animæ, & talis naturæ, vt nequeant illæ per ſe à potentia corporea exerceri. Verſantur enim cogitationes noſtræ circa res abſentes, imò nullo modo exiſtentes, circa rationes vniuerſales, & abſtractiones mathematicas, quæ ſub ſenſum non cadunt, circa res merè ſpirituales, circa ſpatia imaginaria, circa mundos alios poſſibiles, circa chimæras, circa infinitum, circa Angelos prorſus incorporeos, & circa ipſum Deum.

Atqui corpus tantum poteſt verſari circa id quod exiſtit, & ipſi præſens eſt, vti patet in vi magnetica quantumuis admiranda, & quauis alia vi corporea, quæ non agit niſi in certa ſpatij determinatione. Sicut, & in ſingulis ſenſibus corporeis, manus tantum poteſt tangere, oculus videre, guſtus, odoratus, & auditus tantùm percipere id quod actu exiſtit, imò quod ſic eſt præſens vt ſenſum afficiat.

Ergo Anima noſtra, quæ eſt principium effectiuum talium Cogitationum & operationum, non poteſt eſſe corporea, ſed purè Spiritualis, & ex natura ſua incorruptibilis; iuxta axioma commune Philoſophorum, *modus operandi ſequitur modum eſſendi*; ſed modus operandi eſt incorporeus, vti probatum eſt, ergo, & modus eſſendi.

Probatur quartò, & validiſſimè ex hominis *Libertate*: quia indifferentia qua Anima ſe determinat modò ad hoc, modò ad illud cogitandum, volendum, vel nolendum, item ex deliberatione prouia modò ad hoc, modò ad illud decernendum, concludendum, &c. non poteſt eſſe actus corporeus, qui ſemper eſt ad vnum determinatus, neque verſatur circa conſequentias, diuinationes; abſtractiones, & multò minùs circa ea quæ ſunt æterna, aut ſupernaturalia. Hinc etiam ipſe *Plotinus* antiquiſſimus Scholæ Platonicæ lumen *Ennead 2. cap. 4.* animam eſſe incorpoream ac immortalem neceſſariò concludit.

Idem conuincit *Imperium abſolutiſſimum*, quod anima, cum vult, in corpus, ac potentias illius corporeas exercet: vti dum contra naturalem appetentiam corporis, compeſcit illius oblectationes, frænat guſtum, domat libidinem, mortem etiam naturæ corporeæ terribiliſſimam pro Deo, ac virtute vltrò appetit. Quod ſanè vim maximam contra, & vltra omnem corpoream euincere, agnoſcit ipſe *Bertius*, & alij inter ethnicos Philoſophos naturæ exploratores accuratiſſimi. Idque in ſimili manifeſtè elucidatur: Quando contra decurrentis aquæ torrentem nauis propellitur, ſine dubitatione concludimus non vi aquæ defluentis, & nauigio reſiſtentis, illius motum in partem aduerſam vlterius impelli, ſed alia quadam validiori, ſiue remorum, ſiue ventorum &c. Quod in actibus illis humanis contra obluctantem corporis ſenſum, & appetentiam clarè eluceſcit: ab alio ſcilicet principio incorporeo actus illos promanare. Hinc ipſe qui diuinus dicitur *Plato in Phædone*. Animam humanam primo rectori, ſiue Deo, proprietatem ait, quia regit, rectorique primo aſſimilatur.

IX. Sed ne ad demonſtrandam hanc animæ immortalitatem, hic preciſius deductam, latiori ſtylo cogar excurrere, *Ciceronem* Oratorum principem, ex ipſo naturæ lumine, & pri-

& priſcorum ſæculorum Philoſophis, multa paucis complectentem hic breuiter ſubijcio, *libro de Senectute circa finem*, Sic, inquit, mihi perſuaſi, ſic ſentio, cum tanta celeritas ſit animarum, tanta memoria præteritorum, futurorumque prudentia, tot artes, tot ſcientiæ, tot inuenta, non poſſe eam naturam quæ res eas contineat, eſſe *mortalem*: cumque ſemper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia ſe ipſe mouet, nec finem quidem habiturum eſſe motus, qui nunquam ſe ipſe ſit relicturus: & cum ſimplex animi ſit natura, neque habeat in ſe quidquam admixtum diſpar ſui, atque diſſimile, non poſſe eum diuidi; quod ſi non poſſit, non poſſe interire.

Horum ſingula multo euadent elariora, ſi latiùs expendas *Intellectus* humani *Inuentiones* admirandas nulli naturæ corporeæ communes, nulliſque pænè limitibus circumſcriptas, circa tot vocum, & idiomatum diſſimillimorum inſtitutiones, tot ſcripturarum ſpecies, tot picturarum delineationes ſubtiliſſimas, tot muſicæ organa, vocumque inflexiones ordinatiſſimas, tot artium, totque ſcientiarum ſublimiſſimarum acquiſitiones; in aſtrologia, arithmetica, optica, geometria, aliaque tam multiplici rerum tàm humanarum, quàm diuinarum notitia: quæ omnia intellectus humani capacitatem arguunt quodammodò illimitatam.

Et quidem quod concernit ſolam hominis *Memoriam*, de *Mithridate* Rege Ponti ac Bithuniæ tradit *Plinius lib. 7. cap. 14.* illum linguarum viginti duarum adeò fuiſſe peritum, vt cum totidem Nationibus loqui, ac negotia quæque is tractare potuerit.

*Charmides* Græcus memoriæ ſtatim affixos habebat libros omnes quos legendo peruoluebat, vti tradit *Gellius lib. 17. c. 17.*

De *Seneca* conſtat, quod duo millia nominum conſequenter recitauerit eo ordine quo ipſi recitata fuerunt. Hoc ipſe de ſeipſo teſtatur in *Declamationum lib. 1.*

De quodam adoleſcente Padua à ſe cognito & viſo tradit *Marcus Antonius Muretus*, adeò admirandæ fuiſſe memoriæ, vt triginta & ſex millia nominum eodem tempore & decurſu recitare potuerit, quæ ipſi antea prædicta, aut prælecta fuerunt. Ita teſtatur ipſe *Muretus lectionum variarum lib. 3.*

*Cyrus* Rex Perſarum, cuius exercitus conſtabat ſexcentis millibus hominum, nouerat ſingulos milites proprio nomine ac cognomine compellare. Ita *Plinius ſupra lib. 7. cap. 14.* *Lucius Scipio* tantæ fuit memoriæ, vt ſingulos eiues Romanos, qui propè innumeri fuerunt, proprio nomine conſalutare potuerit: vti teſtatur idem *Plinius de viris illuſtribus.*

X. Hinc non immeritò perſpexit Doctor perſpicaciſſimus *S. Auguſtinus*, Memoriam hominis eſſe inſtar Abyſſi quæ nullo limite, nullo fine terminatur.

Nec minus eadem illimitata facultas animæ noſtræ perſpicitur in illius intellectu, ac *Voluntate*. Hæc enim ita fertur in bona alia atque alia non tantum ſenſibus obiecta, ſed etiam in ſupernaturalia, ac diuina, vt nunquam in bonis corporeis ſuum finem, aut quietem perfectam obtineat; vnde facile intelligitur, Animam noſtram omnem naturam corpoream longiſſime tranſcendere: ac proinde innatum illius appetitum ac voluntatem non niſi bono æterno ac infinito tanquam ſuo fine vltimo expleri. Idque omni ævo ab orbe condito non tantum Doctores, ac populi fidei lumine illuſtrati, ſed etiam ſummi Gentilium Philoſophi, *Plato*, *Ariſtoteles*, *Socrates*, alijque, ex ipſa naturæ luce agnouerunt.

## ARTICVLVS III.

### *Ex admiſſa Dei exiſtentia, facili methodo demonſtratur progreſſus ad diuina Attributa, & ex his ad reliqua Myſteria fidei, eiuſque Analyſim.*

VTI ex commonſtratis ſcientiarum principijs, concluſiones quædam obſcuriores facile eluceſcunt, ita ex demonſtrata ſupremi Numinis exiſtentia, mirum quanta menti humanæ lux oboriatur, vt per ſolida rationis principia ad reliqua fidei myſteria, facili compendio, gradum promoueat, ac tandem ſolidiſſimam fidei noſtræ Analyſim perueniat.

### §. I.

I. DIco igitur primò: Ex eo quod *Exiſtat Deus*, rerum omnium prima cauſa & origo, neceſſariò ſequitur illum eſſe *Ens à ſe*, hoc eſt, à nulla cauſa dependens, ſed vi naturæ ſuæ in ſe ab æterno ſubſiſtens. Quia apertè implicat illum eſſe rerum omnium primam cauſam, & ſimul exiſtere aliquam cauſam naturæ priorem à qua ipſe dependeat, ſic enim eſſet cauſa prima, & non prima.

Dico

Dico secundò: Ex eo quod Deus in existendo à nulla causa productiua dependeat, sequitur esse, Ens in sua essentia *Summè perfectum*. Quia limites perfectionis in re quauis oriuntur à voluntate, aut naturali dispositione causæ, quæ non potest communicare effectui perfectionem ampliorem, quàm ipsa in se contineat. Cum ergo Deus à nulla causa habeat quod existat, nihil omninò est, quod ipsi perfectionis suæ limites circumscribat; ac proinde vltra omnem quæ mente concipi potest entis creati speciem ac perfectionem sine fine protuberat. Præsertim cum ipse Deus manifestè reuelauerit hanc sibi perfectionem inesse; nihil autem enti à se, & nullius egenti, prodesse potest mendacium.

Dico tertiò: Ex hac *Naturæ diuinæ Perfectione illimitata*, ac nullis terminis definita conficitur, alia quoque eius *Attributa* debere esse sine fide perfecta, vt sapientiam, potentiam, iustitiam, &c. Quia hæ proprietates debent adæquari naturæ à qua eas emanare concipimus, quæ cum sine careat, non potest proprietates ex se profluentes vllo fine coarctare. Secundò, cum hæc Dei attributa non sint res aliqua ipsius naturæ superaddita, sed ipsa Dei essentia cum ordine ad varias quas producere potest operationes à nobis considerata non possunt singula attributa minus continere perfectionis, quàm ipsa Dei essentia, cum qua attributa illa reipsa in vnam, ac penitus indiuisam entitatem coalescunt.

II. Dico quartò, Ex attributis Dei omni ex parte illimitatis, & infinitis apertè concludimus, illum esse *Omnis boni & perfectionis* primæuum fontem & oceanum, in quo bonitas vniuersa quam in creaturis cognoscimus, & amamus, infinitis gradibus eminentiùs, atque excellentiùs continetur.

Hinc in Deo necessariò agnoscimus ac veneramur *Summam Sapientiam*, per quam in eius mente ab æterno in æternum immensa cum claritate relucent, non tantum omnea creaturæ quouis tempore existentes, sed etiam aliæ rerum species sine fine perfectiores, quas solo voluntatis nutu creare potest. Nulla est veritas tam recondita, nulla in mente humana cogitatio, aut machinatio tàm abstrusa, quæ possit omnia per scrutantem Dei cognitionem momento latere.

Huic Sapientiæ, vt perfectissima sit, respondet diuina *Omnipotentia*, per quam in quantauis multitudine ac perfectione producere potest quidquid veri entis extra Deum mens humana aut angelica concipere queat. Ex hac Dei potentia tanquam primæno fonte profluit omnis vigor & virtus agendi in causis creatis. Quidquid ingenitæ virtutis miramur in astris, in terra, in mari, in metallis, plantis, animalibus, tenuis quædam participatio est illius potentiæ, quam Deus in se nullis limitibus terminatam complectitur. Hæc est potestas illa suprema, quæ in homines impios perpetuò armata, illis gehennæ pœnas nunquam terminandas infligit; hæc eadem est, ad cuius præsidium quisquis cum fiducia recurrit, nihil habet vnde in præsenti, aut futura vita, omnes hominum, dæmonumque insidias pertimescat.

III. Hanc omnipotentiam comitatur thesaurus *Bonitatis*, in omni genere entis infinitus, sic vt nunquam desit copia inexhausta cœlestium donorum, quæ possit ac velit in omnes, suos præsertim cultores, larga manu perpetuò dispensare. Quidquid cogitatur in creaturis amabile, inanis est larua, aut deformis vmbra, si cum purissimo bonorum omnium fonte, & liquidissimæ eius voluptate conferatur. Ex hoc amplissimo diuinæ bonitatis thesauro proueniunt omnia illa naturæ, & gratiæ dona, quibus Homo ad beatum finem adiuuatur. Hac bonitate sibi innata adactus, creauit Deus ad hominis vsum ingentes cœlorum orbes, eosque varia astrorum luce ad stuporem adornauit. Totius terræ, oceanique commoda, ac diuitias, sustentandæ hominum vitæ destinauit. Quos non tantum ad necessitatem, sed etiam vsque ad delicias adamauit, dum tanta volucrum, piscium, fructuum, florum, metallorum, gemmarum, omniumque rerum varietate totum hunc orbem hominis causa locupletauit. Ac demum in tot amoris irritamentis hoc vnum sibi ab æterno propositum habuit, hominem ad sui agnitionem, cultumque adducere, eumque suo in cœlis complexu in perpetuum beare.

## § II.

His ita constitutis, Dico vlterius quinto, vt sapientia Dei perfectissima hominem ad hunc vltimum, beatissimumque finem per congrua media dirigeret, necesse fuit Deum cum hominibus *Commercium* habere, & locutione quadam externa aliqua mentis suæ consilia illis communicare. Frustra enim foret homi-

homine condere rationis lumine donatum, niſi eo fine vt conditori ſuo cultum idoneum perſolueret. Vt verò nouerit homo quem à ſe cultum conditor depoſcat, cum nequeat per ſe diuinæ mentis arcana intueri, neceſſe erat per medium aliquod ſenſibile Deum hominibus loqui, & mentis ſuæ conſilia manifeſtare. Ne verò hoc commercium errori obnoxium foret, neceſſarium inſuper erat, diuinæ locutioni ſigna quædam Deo propria adiungi, ex quibus ſecurè ac prudenter colligi poſſit, illam à ſolo Deo prouenire.

Hunc cum hominibus loquendi modum inſtituit Deus ab initio per oracula Moyſis, aliorumque *Porphetarum*, quæ cœleſtibus prodigijs, ac ſignis tam admirendis illuſtreuit, vt non potuerint homines prudenter dubitare, quin doctrina ijs oraculis expreſſa, à Deo inſpirata fuerit.

Secundò, Mentem ſuam, Legemque propalauit per monumenta *Scripturarum*, quas ipſe Scriptoribus ſacris dictauit tanquam publica inſtrumenta, in quibus voluit conſilia ſua ac decreta hominibus conſignate remanere.

Tertiò, In progreſſu ſæculorum, Fidem ſuam doctrinamque manifeſtauit per *Chriſtum*, eiuſq; *Eccleſiam*, quam non tantum ipſius Chriſti miraculis, ſed etiam deinceps omni æuo tot teſtimonijs, ac prodigijs ſuam eſſe comprobauit, vt in ea Deum ſibi loquentem totus pœnè orbis agnoſcere non dubitauerit.

## §. III.

DIco ſextò. His fundamentis hactenus ſtabilitis innititur tota Fidei diuinæ veritas certa, & inconcuſſa. Præſtat enim fidei noſtræ certitudinem falli neſciam reueletio diuina, qua Deus hominibus mentis ſuæ ſenſa manifeſtat. Nititur autem ipſe reuelatio Dei reuelantis Sapientiæ infinitæ, quæ non poteſt falli, cum nullius rei veritas eam poſſit latere, ac ſimul Boniteti voluntatis diuinæ, quæ neminem poteſt fallere, & vltrò in errore inducere: hoc enim ſummam Dei bonitetem dedecere facile agnoſcimus, quòd eb homine probo ſine crimine fieri non poteſt. Ad hæc igitur firmiſſima principia, omnia fidei noſtræ myſteria reducuntur, ex his in ſingulis quos prædicamus articulis, vltima credendi ratio peti debet, quod iam in praxi demonſtrabitur.

## §. IV.

DIco ſeptimò; Intellectus noſter his fundamentis ſiue motiuis inſtructus, facilè pertingit ad *Analyſim* fidei, qua omnium articulorum, quos credit, rationem vltimam ac ſolidiſſimem reddere valeat.

De quouis enim articulo fidei, vt ad ſolida principia reducatur, quæri poteſt hoc modo:

Cur credis fide diuina ver. gr. Deum eſſe trinum in perſonis? Ideò hoc credo, quia Deus hominibus reueleuit, ſe in perſonis trinum eſſe: Scio autem Deum non poſſe felli, cum ſit præditus ſumme ſapientia, neque velle homines fallere, cùm ſit infinitè bonus. Sed quomodo conſtat Tibi Deum reueleſſe, ſe trinum eſſe in perſonis, cum nunquam Dei loquentis vocem audiueris? Audiui ſanè, dum Eccleſiam percepi Dei nomine affirmantem, Deum eſſe trinum in perſonis. At vnde noſti Eccleſiam non errare, dum affirmat ſe Dei nomine docere Trinitatem perſonarum? Non errare mihi certum eſt ex eo, quod ipſe Deus Eccleſiam hoc affirmantem afficiat notis ac ſignis ſoli Deo proprijs, quibus teſtatur illam ſuo nomine, & ſe auctore id hominibus annunciare; quod aliud non eſt, quam ipſum Deum per Eccleſiam hominibus loqui, & de re quam ille proponit mentem ſuam manifeſtare. Deus autem ſiue per ſe, ſiue per alium loquens errare non poteſt. Vnde petet, ſingula fidei noſtræ myſteria non niti teſtimonio tantum humano, ſed in ipſa Dei loquentis auctoritate fundari, & ad eam per hanc claram facilemque fidei analyſim reuocandam eſſe.

IV. Si quæras, quænam ſint ſigna, quibus Deus Eccleſiam ſuo nomine loqui declarat? Sunt illa in primis, prodigia cœleſtie, vaticinia rerum futurarum, Eccleſiæ docentis Vnitas, & Sanctitas, & omnis generis miracula vim naturæ penitus exſuperentia, à Chriſto, ab Apoſtolis, aliſque Eccleſiæ membris omni æuo exhibita, ad comprobandam Eccleſiæ Dei nomine loquentis auctoritetem: de quibus tractat pereruditè P. Cornelius Hazart in Triumpho Rel. Flandricè edito. Si verò Eccleſia Dei nomine loquens, & tot notis ſoli Deo proprijs inſignita, eſſet errori obnoxia, hoc ipſo adimeret Deus omnem ſibi auctoritatem & feculteteм hominibus loquendi, ſiue per externa ſigna mentem illis ſuam ſine erroris ſuſpicione propalendi. Si enim liceat mihi ſuſpicari hanc Dei locutionem, adiunctaeſ-

que

que illi notas tam multas, tamque admirandas non esse à Deo, sed ab alia quapiam causa profectas, idem licebit pariter mihi suspicari de quauis alia ipsius locutione quibuslibet notis ac prodigijs insigoita. Cum ergo ad Dei perfectiooem pertineat, sic posse hominibus loqui, vt certi sint ipsum esse qui loquitur, eique teneantur fidem adhibere, spectat quoque ad necessariam ipsius prouideotiam, oe permittat illis suo nomine proponi doctrinam talibus notis insignitam, oisi per eam velit suam mentem palam indicare. Ex quibus demum aperte concluditur, taotam esse certitudinem ac firmitatem Fidei diuinæ per veram eius Ecclesiam propositæ, vt si illa vacillaret, necesse foret in agendo cum creaturis ipsam Dei potentiam, bonitatem, ac sapientiam deficere.

In quo autem cætu hominum inueniatur illa Ecclesia per quam Deus mentem suam, fidemque ad salutem necessariam mundo manifestare decreuit, deinceps accuratè inuestigandum suscipimus.

## CAPVT II.

### *Ostenditur, quemlibet etiam Christianum, non posse in sua Fide, & Secta saluari.*

### ARTICVLVS I.

### *Status controuersiæ, & Argumenta proponuntur.*

1. POst Libertinos ante omnes expugnaoda est secta Indifferentium, quorum errores mirum quantum hoc æuo inualescunt. Postquam hi allatis supra rationibus adducti Religionis erga Deum, ac porrò fidei Christianæ necessitatem agnouerą, nihil sibi vlterius inuestigandum rati, in qualibet Secta, quam illis vel locus, vel tempus, vel quæstus accommodat, securi conquiescunt. His sanè validò docentis hortatu, ac forti eleboro opus est, vt lerhalis iste veteroua excutiatur. In huius verò erroris barathrum duo potissimum hominum genera absorbentur. Primò, homines plebæi, qui solo Religionis nomine contenti, tam facile Fidem, quam domicilium commutant, eamque sibi Sectam arripiunt, quàm dominatam reperiunt. Alterum genus est hominum pomicis simulandi artibus apprimè imbutum, quos oon tam error abducit, quam propria cupiditas excæcat: his mollior vita, inuestigandi labor, fallax securitas, spes honoris, fauoria vmbra, omoem Religionis veræ, falsæque differentiam obliterat, non minus paratis, si res ferat, aliam Sectam, quam nouam vestem assumere.

II. Vt verò in soueam adeò latam plures præcipitentur, post *Seruetum*, & plures præsertim in Hollandia, & Germaoia, non dubitauit nuper in Anglia *Thomas Hobbesius* in Elementis Philosophicis, ad hunc errorem temerario ausu habenas laxare. Contra hos, atque alios huius temeritatis auctores.

Dico primò: Non potest quisquis, qui se Christianum profitetur, in qualibet horum temporum Secta saluari.

Probatur primò hæc veritas, auctoritate Sacrarum Litterarum, quas pro certissimo Dei verbo Sectarijomnes admittunt. Sic autem loquitur Apostolus *ad Ephes. c.* 4. Vous Dominous, vna Fides, vnum Baptisma: & *ad Hebr. cap.* 13. Doctrinis varijs & peregrinis nolite abduci. Ex quibus verbis hoc formabis argumentum. In Ecclesia Christi sicut vnus est Dominus, ita vnica est Fides, à qua prohibemur abduci. Sed diuersarum Sectarum non vna est Fides, numquam enim agnoscet Lutheranus se habere eandem penitus Fidem cum Caluinista communem. Ergo non omoes illæ Sectæ suot in Ecclesia Christi. Sed in coofesso est, extra Ecclesiam Christi oon posse obtineri salutem. Ergo non possunt omnes in sua fide, aut Secta saluari.

Declaratur secundò euidenti ratione. Qui enim asserit quemlibet credeotem in Christum posse io sua fide saluari, admittit etiam Hæreticos olim à primitiua Ecclesia damoatos potuisse in sua fide ad salutem peruenire. Nam ex illis plerique agnoscebant Christum Filium Dei, mundi Redemptorem, & alia ad eius personam spectantia. Saluari itaque poterunt in sua Secta Pelagiaoi à primæua Ecclesia reprobati, quia negabant peccatum origioale, & necessitatem gratiæ internæ; Christum verò eiusque diuinitatem semper admiseruot. Neque salute excludi poterunt Nestoriani, qui Christum vt Deum, & hominem, & Saluatorem colebant, sed duas in illo personas constituebant. Neque damnandi sunt Macedoniani, qui io Christum per omnia credebant, sed Spiritum Sanctum Filio minorem esse volebant. Neque reprobandi erunt Nouatiani, qui de Christo rectè senserunt sed tantùm lapsos ad pœnitentiam admittendos pernegabant. Hoc autem admittere aliud non foret, quam veram & primæuam Christi Ecclesiam, ac totius aotiquitatis consentum

erro-

erroris arguere. Si enim illi in sua fide saluari potuerunt, cur tanto molimine contra eos congregati sunt ex toto orbe Patres, & Concilia? Cur toties anathemate à Christi Ecclesia separati? Cur maluerunt omni suo Christiani potius exilia, tormenta, & ipsam mortem tolerare, quam eorum doctrinam aut Sectam profiteri?

Statuamus etiam hoc tempore aliquem ex iis, qui in Christum credunt, negare infernum damnatis omnibus esse constitutum, aut asserere dœmones aliquando ad cœlum peruenturos: Neminem credo reperies, qui admittet talem Sectarium ad salutem posse peruenire. Quantumuis profiteatur se alia Christianæ Fidei dogmata retinere.

Dico secundò: Non sufficit etiam ad salutem admittere fidei articulos in Symbolo Apostolorum comprehensos, nisi paratus sis recipere reliqua à Deo reuelata, dum legitimè proponuntur.

III. Probatur, ex aperto primæuæ Ecclesiæ testimonio, cui nulla potest secta refragari. Sic autem pronunciat *S. Augustinus* contra Faustum *lib.* 13. *cap.* 3. qui in Euangelio quod vultis creditis, quod vultis non creditis, vobis potius quam Euangelio creditis. Consentit *S. Athanasius* in suo Symbolo: Quicumque *(inquit)* vult saluus esse, ante omnia opus est vt teneat Catholicam fidem, quam nisi quisque *Integram*, inuiolatamque seruauerit, absque dubio in æternum peribit. Atqui symbolum fidei quod recitat Athanasius, & Euangelium cui integrè credendum asserit Augustinus, præter fidem in Christum, plurimos continet alios fidei articulos ad salutem necessarios: Ergo qui credit in Christum, & alia fidei mysteria repellit, absque vlla dubitatione æternæ salutis iacturam incurrit.

IV. Et verò si solis Symboli articulis fidei Christianæ limites circumscribuntur, quorsum Apostolus Gentium propter fidem Circumcisionis tam acerba sententia Galatas percellit, & à salutem per Christum obtinenda penitus excludit? Nullum illi Symboli apicem relegabant, totam Christi fidem, legemque prono assensu susceperunt. Hoc vnum illis obstabat, quod insuper crederent, cum fide Christi Circumcisionem sibi ad salutem esse necessariam. Et tamen illis diuino spiritu Paulus testatur ad Galatas primo: *Quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Ergo admissa Symboli doctrina, vnius error circa alios fidei articulos à Christo penitus rescindit, & instar modici fermenti, vt ibidem loquitur Apostolus, totam fidei massam corrumpit.

Huius ratio ceiui considerati manifesta, hæc est. Ideò admittis necessarium esse ad salutem credere in Christum, aut ea quæ in Symbolo Apostolico continentur, quia illa sunt à Deo hominibus reuelata: Diuina enim authoritas, & reuelatio vnicum fidei fundamentum est. Sed alia quæ in Scripturis continentur, sunt etiam à Deo hominibus reuelata, vtpote in verbo Dei hominibus proposita. Ergo necessarium est ad salutem credere etiam alia quæ in Scripturis sacris continentur, cum nia æquè sint à Deo asserta, eiusque authoritate infallibili nitantur. Sicut enim ille qui legem aliquam à Principe latam negligit, aut contemnit, hoc ipso spernit authoritatem legislatoris; sic qui liberè negat aut reiicit vnum articulum à Deo reuelatum, hoc ipso violat primam ac supremam Dei reuelantis authoritatem.

V. Quam verò facilis fallendi prætextus captari possit ex ipso Symbolo priuatis Sectæ alicuius sensibus accommodato, manifestè docet solidissimum illud Ecclesiæ oraculum *Sanctus Augustinus lib. 3. contra Donatistas cap* 14. *Fieri potest vt aliquis peruersus integra teneat verba Symboli, & tamen non rectè credat, siue de ipsa Trinitate, siue de Resurrectione, &c.* Idemque sedulo monet de Fide, & Symbolo, cap. 1. tom. 3. *Sub ipsis ergo paucis in Symbolo constitutis, plerumque Hæretici venena sua occultare conati sunt.* Vnde manifestè patet hanc, quam prætendunt Aduersarij in Articulis Fidei determinandis normam, deuium esse tramitem à recta credendorum fide ac salute æterna fallaciter abducentem.

Ex quo viterius deducitur, illum qui existimat sibi satis esse tali modo in Christum credere, nequidem credere in Christum fide diuina. Si enim Christi personam reciperet ex motiuo reuelationis, & authoritatis diuinæ, admitteret etiam alios articulos, qui sub eodem motiuo in Dei verbo, & Ecclesia ritè proponuntur. Hos autem qui non admittit, neque vera fide Christo adhæret, neque diuinæ authoritati acquiescit, sed suæ voluntati, ac lubentiæ, per quam fidei articulos sibi cudit, ac recudit, format ac reformat, eamque Sectam eligit, quam suo genio, ac commodo magis conformem esse deprehendit.

V. Dices, Christus Patrem cœlestem sic alloquitur Ioan. 17. v. 13 *Hæc est vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum; & quem misisti Iesum Christum.* Ergo si hæc duo agnoscas, nihil ad vitam æternam refert, cui postrò doctrinæ, aut sectæ adhæreas.

Respon-

Reſpondeo, ex illo argumento ſequi, ne quidem eſſe neceſſarium ad ſalutem, vt credas in Spiritum Sanctum, cum in allegata ſententia tantùm Patris & Filij mentio habeatur. Vnde ſatis oſtenditur alia ad ſalutem requiri, quam quæ ibi explicitè memorantur. De cætero, methodum generalem reſpondendi ad alias huiuſmodi Scripturas in hac & ſequentibus controuerſijs, vide infra cap. 9. methodo 2. 3. 4.

Ad extremum huius infauſti dogmatis Architectos, atque aſſeclas paucis interrogo: Si cuiuis ſectæ ſub Chriſtiano nomine militanti pateat communis ad ſalutem via, quorſum intra ipſa Sectariorum caſtra tanta exardeſcunt Religionis diſſidia, ac cruenta certamina? Vt alia taceam externa, cur in Anglia Puritani damnant Proteſtantes, cur hos inuadunt Independentes? Cur à paucis annis pro ſua vtrimque religione armati, legitimi Principis nece, ac mutuo ſanguine, velut Cadmæi fratres, ſua tela cruentarunt? Poterant, te arbitro, Sectæ illæ ſua quæque ſemita ad eandem ſalutis metam pertingere: quid igitur tanta animorum, atque armorum contentione, ad aliam credendi normam adigenda fuerunt? An non vides [Adiaphoriſta] Sectas ipſas quas tueri prætendis, ſuo tibi facto, ac iudicio aduerſari: teque cauſam tam infelicem ſuſcepiſſe, vt neminem ex omnibus habeas patronum, qui cupis ſingulis patrocinari?

Verùm in hoc dogmate fabricando, de alijs parum te ſolicitum exiſtimo, tua te intus cauſa & conſcientia remordet, qui dum aduertis, è commodo tuo non eſſe, Sectam cui adhæres in meliorem commutare, hoc demum agis, vt potius tibi Eccleſiam, quam te Eccleſiæ accommodes, eamque ad tua vota vltra ſuos limites ſic in immenſum extendas, vt ſi non intra veram, ſaltem non extra imaginariam Eccleſiam te conſtitutum credas: at caue quæſo ne imaginaria quam fingis Eccleſia, te ad gehennam veram, æternamque abducat.

## ARTICVLVS II.

*Occurritur nono errori Sectariorum, maximè Proteſtantium, diuidentium articulos fidei in Eſſentiales, & Accidentales ad ſalutem non neceſſarios.*

VII. DVm Sectarij his argumentis ad angustias rediguntur ex quibus nulla pateat elabendi via, vt rimam ſibi aliquam aperiant nouum fingunt diſcrimen, inter Articulos fidei diuina credendos, vt alij ſint qui ſubſtantiam fidei conſtituant, alij verò ſint accidentales ſiue leuioris momenti, quos liberum ſit admittere, vel repudiare ſalua fidei integritate. Hanc autem diſtinctionem moliuntur eo conſilio, vt perſuadeant, diſſidia inter varias ſectas Proteſtantium, aliorumque Nouatorum, non tollere neceſſariam vnitatem veræ Eccleſiæ, nec conſiſtere in fidei fundamentis quæ cuilibet ad ſalutem ſufficiant. Hunc labyrinthum ingreſſus eſt cum pleriſque ſectariis recentioribus Antonius de Dominis Apoſtata lib. 7. de republ. Eccleſiaſtica cap. 9. & 10. cuius hodie veſtigijs fermè inſiſtit in Anglia Stillinfletus, & in Hollandia paſſim moderni Nouatores. Hos vt ex ſuis latibulis, in claram veritatis lucem educamus.

Dico primò: Hæc diſtinctio circa articulos fidei nulla veritatis ſpecie defendi poteſt.

Probatur, quia omnia, quæ Deus loquitur & hominibus proponit ſunt æqualiter vera, & certa: Quia infinita Dei reuelantes authoritate nituntur. Atqui omnes articuli noſtræ fidei, quos vocas accidentales, Deiloquentis authoritate proponuntur: hoc enim ſi neges iam fruſtra ſupponis illos inter articulos fidei vllo modo numerari. Ergo articuli quos vocas accidentales, æqualem cum fundamentalibus veritatem, certitudinem, ac Dei reuelantis authoritatem ſortiuntur. Ergo ſine vllo dogmatum diſcrimine Deo reuelanti iniuriùs, & æternæ damnationi obnoxius eſſe conuincitur, qui vel vnum articulum, quem cognoſcit à Deo reuelatum, admittere recuſat. Nec minus erit Deo rebellis, qui animas à Purgatorijs pœnis, quam qui Sanctos à cœleſti gloria excluſerit.

VIII. Quin & vlterius aſſero, prorſus impoſſibile eſſe, vt Deus velit, aut poſſit nos eximere ab obligatione, firmiſſima fide credendi quemuis articulum, quamtumuis exiguum, quem conſtat ab illo nobis fuiſſe propoſitum ac reuelatum. Hæc enim duo apertè repugnant, Deum homini aliquid aſſerere, & hominem ſine graui iniuria rem à Deo aſſertam reijcere ac repudiare, en quo deducit futilis illa, & chimærica diſtinctio, qua volunt Nouatores omnium ſectarum colluuiem in vnam Chriſti Eccleſiam aggregare.

At inquies, integra foret fides Chriſtiana, etſi multa leuioris momenti dogmata in ſacris literis reuelata non fuiſſent. Quid enim attinet fide diuina credere, quis fuerit numerus Apoſtolorum, quod Martha fuerit ſoror Magdalenæ, & alia his ſimilia in ſacris literis exarata? Ergo nihil fidei præiudicat, ſi quis pro arbi-

arbitrio eiuſmodi doctrinam reijciat, aut admittat.

At quæro abs te, quid attinet credere, Chriſtum paſſum eſſe ſub Pontio Pilato, quod tamen in ſymbolo inter articulos fidei fundamentales admittis?

Reſpondeo igitur, ineptam eſſe argumenti ſequelam. Quamuis enim ſua fidei conſtaret integritas, etſi iſta leuiora non fuiſſent à Deo dictata; poſtquam tamen conſtat illa in verbo Dei contineri, eaque nobis ab infinita Dei ſapientia aſſeri, tradi, proponi; fieri non poteſt vt patiatur ſine graui offenſa vlli penitus articulo à ſe reuelato fidem denegari. Hoc enim tantundem eſt, ac ſi diceretur, Deum in rebus minoris momenti falli, aut mentiri, quamuis in rebus grauioribus nolit homines in errorem inducere. At non aduertis tam immani errore totam fidei fabricam labefactari? Si enim vel in minimo liceat diuinam authoritatem repellere, aut in dubium renocare, iam nulla in cæteris Deo fides, nulla fidei noſtræ firmitas, aut conſtantia permanebit: Omnia enim à Deo nobis tradita eodem diuinæ reuelationis fundamento nituntur. Atque ita dum articulos tantum fundamentales firmare ſatagis, totius Religionis fundamentum penitus euertis.

IX. Dico vlterius Secundò: Etſi gratis admitteretur iſta diſtinctio inter articulos fidei fundamentales, & non fundamentales, impoſſibile adhuc foret ſectario diſcernere, quinam articuli dici deberent fundamentales quorum aſſenſus, cæteris excluſis, ad ſalutem ſufficeret.

Probatur primò, Quia quinis Sectarius, vt ſit veri nominis Chriſtianus, habet hunc aſſenſum, *Credo omnibus quæ Deus reuelauit*. ergo non poteſt vllum articulum quem conſtat in Scripturis contineri à ſua fide excludere: aliàs profiteretur ſe omnia à Deo reuelata amplecti, & ſimul aliquid à Deo in Scripturis reuelatum repudiaret. Hæc autem eſſet fides fatua, & planè chimærica, non minus quàm ſi admitteret, omnes homines eſſe mortales, & ſimul ſe, aut alios deſignaret à moriendi neceſſitate eximendos.

X. Secundò, vt ſectarius articulos fundamentales à cæteris diſcernat, neceſſe eſt vt aliquam diſcernendi Regulam in promptu habeat. Non Scripturam: quia etſi hanc centies voluas, ac reuoluas nuſpiam nunquam, aut nomen articulorum fundamentalium definitum reperies. Non Eccleſiam hanc enim cupis ex omnibus Sectis conflatam, quæ nunquam hactenus in ſenſu ſcripturarum, & præcipuis fidei articulis conuenere, vt latius infra oſtendam. Supereſt igitur vt pro conſtituendo dogmatum fundamentalium catalogo ad cerebri tui inanem coniecturam Phanaticorum more confugias: aliam Regulam erroris expertem pro illo quod fingis articulorum diſcrimine non aſſequeris.

XI. Hinc mirum videri poſſit, hoc tempore in Anglia Bramhallum, & Stillingfletum, qui ſe præ cæteris lynceos arbitrantur, adeò in ſuis ſcriptis halucinari, vt in hunc errorem pluſquam trabalem vltro impingant: dum liberè aſſerunt, Religionis ſuæ articulos fundamentales ac neceſſarios in quauis orbis Eccleſia, etiam Romana, comprobari. Vndè manifeſtè infero, Religionem Proteſtantium, quam ipſi profitentur, in quantum Eccleſiæ Romanæ opponitur, & ab ea præcisè diſtinguitur, nullum habere fidei ſuæ articulum fundamentalem, & ad ſalutem neceſſarium. Et hinc vlterius conficitur illam, per ſe conſideratam, nomine & eſſentia Eccleſiæ penitus orbatam eſſe, cum illa prout à cæteris condiſtincta, tantum profiteatur dogmata quædam inferioris momenti, quam ſint articuli fundamentales, qui ad conſtituendam veram Eccleſiæ eſſentiam requiruntur. Tales ſunt articuli Proteſtantium purè negatiui, Non eſt Miſſa, non eſt Purgatorium, Sancti non ſunt colendi, & aliæ eiuſdem farinæ aſſertiones, extra fidei ſubſtantiam conſtitutæ, in quibus Proteſtantium Religio, Romanæ fidei opponuntur.

XII. Itaque nunc (viri pereruditi) ex doctrina veſtra manifeſtè concludo, Proteſtantium Cætui, ab Eccleſia Romana cæteriſque ſeiuncto, nihil omninò aliud ſupereſſe, niſi imaginariam Eccleſiæ vmbram, ſcilicet articulos inferioris, adeoque incertæ veritatis, dogmata à fidei fundamentis diuulſa, doctrinam adiaphoram, articulos ad ſalutem non neceſſarios, vti illos vos ipſi nuncupari non recuſatis. Et tamen interea ex his paleis ac ſtipulis (ſi ſuperis placet.) Vos nouam, & neceſſariam, & orbis Chriſtiani reformatricem Eccleſiam inſtauratis: quæ veſtro etiamnum ludicio propriis fundamentis deſtituta, in has tandem incertæ doctrinæ auras, & fumos euaneſcit.

## ARTICVLVS III.

*Ostenditur Protestantes, aliasque Sectas in Articulis etiam fundamentalibus non conuenire.*

XIII. DIco primò, Lutherani non consentiunt Caluinistis in articulis quos ipsi nuncupant fundamentales.

Probatur primò: In confesso est, nullos articulos magis ad fidei fundamenta pertinere, quam illos qui in Apostolorum symbolo continentur, inter quos enumeratur, Descensus Christi ad inferos. Affirmant autem Caluiniani hunc descensum aliud non esse, quàm Christum in cruce inferni angustias ac dolores perpessum fuisse, idque docet Caluinus *lib. 2. instit. cap. 16. §. 10.* & Beza *in cap. 26. Matth. v. 37.* At ex aduerso Lutherani asserunt ipsam Christi animam vere ad inferos descendisse, teste etiam Danæo Lutherano *in Resp. ad Osiandrum*, & Epimo *in Psalm. 16. alijsque*.

Secundò, ad fidei Christianæ substantiam, quid potest magis requiri, quam doctrina, quę circa Baptismi Sacramentum versatur? Fatentur Lutherani Baptismum omnibus etiam infantibus ad salutem esse necessarium. Credunt verò firmiter Caluiniani, fidelium parentum liberos ante Baptismum iustos ac sanctos esse, filijs verò infidelium Baptismum nihil prodesse, eumque illis esse negandum: ita docet ipse Caluinus *in Antidoto Concil. Trid sess. 6. cap. 5.*

Tertiò, à Sacramento Eucharistiæ animæ vitam ac salutem dependere pronunciat Christus *Ioan. 6. v. 33. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* De hoc autem Sacramento immanis vtrimque discordia. In eo cum Caluino *lib 4. instit. cap. 17.* pernegant Caluinistæ Christi Corpus aut Sanguinem contineri, sola eius figura contenti. Quantum verò in hoc palmari articulo ab his dissentiant Lutherani, locuples est testis ipse Lutherus contra articul. Louaniensium Thesi 2. Anno 1545 *Hæreticos* [inquit] *seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei Zuinglianos, & omnes Sacramentarios, qui negant corpus, & sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia.*

Ex his concludo indeclinabili argumento: Tantum alienus est ab Ecclesia Dei, qui negat articulum fidei fundamentalem, vt ipsi asserunt Aduersarij. Atqui alienus est ab Ecclesia Dei qui negat corpus, & sanguinem Christi sumi in Eucharistia, vt apertè loquitur Lutherus: Ergo doctrina de præsentia Christi in venerabili Eucharistia, in qua sectæ illæ dissentiunt, est articulus fidei fundamentalis. Prius igitur noslem diei coniunges, quàm has sectas in fundamentis fidei consociabis.

XIV. Dico secundò, Protestantes in Anglia, etsi Caluinistis in Cœna Domini, & pluribus adhæreant, in alijs tamen fidei fundamentis ab ijsdem recedunt.

Probatur hic dissensus, primò, in articulis de vero descensu Christi ad inferos, & Baptismo paruulorum omnibus necessario, quos supra ostendimus esse fundamentales: in his autem Angliæ Protestantes se à Caluinistis Geneuensibus, ac Puritanis dissentire aperte profitentur.

Secundò, quid potest ad substantiam veræ Fidei magis spectare, quam doctrina de ipso Capite visibili veræ Ecclesiæ? De hoc verò negant Caluinistæ Geneuenses, posse vllo pacto Regem aliquem, ac multo minus Reginam, militantis Ecclesiæ Caput constitui, vt testatur Beza in confessione fidei nomine Geneuensium ab ipso edita *c. 5. §. 15.* At è contra Anglo Caluinistæ siue Protestantes firmiter credunt, ac tuentur, Regem siue etiam Reginam in suo regno iure diuino supremum Ecclesiæ principatum tenere.

Tertiò, Anglo Caluinistæ profitentur à Christo corpus Ecclesiæ coagmentatum esse ex Episcopis, Archiepiscopis, Decanis, Archidiaconis, alijsque gradibus Ecclesiasticę hierarchię. At reliqui Caluinistæ Geneuenses, Gallici, Belgici, Germanici, his gradibus ab Ecclesia sua penitus exclusis, solam cum Ministris seniorum Consistoria admittunt.

XV. Quid reliqua inter hos dogmatum dissidia commemorem? Cum neque in Ecclesiæ suæ Capite, neque in corpore conueniant, quo pacto in necessarijs fidei fundamentis coalescent? Dissident igitur toto cœlo Anglo Caluinistæ à cæteris Caluini affectis, atque interim cunctis persuasum volunt, se cum his, atque omnibus orbis Christiani Ecclesijs in punctis ad salutem necessarijs Fidem communem profiteri. Romanos Catholicos, quod imagines colunt, idolatras esse non dubitant: Pontificem credunt Antichristum: Papicolas, ac nonnunquam Anabaptistas, aliasque Sectas ferro, & igne persequuntur: cum his tamen omnibus in tota fidei substantia ad salutem requisita, vsque ad minimum apicem firmissimo fœdere copulari non recusant. Ad hunc nempè vertiginis spiritum tandem Protestantes adegit sectarum sibi similium confusa multitudo, inter quas perpetuò fluctuantes,

cum

cum nullam reperiant Eccleſiam firmam, facilè, vtl In naufragio, quamlibet tabulam arripiunt, mainntque videri cum omnibus eſſe, quàm nullibi tutò conſiſtere

XVI. Hanc qnoqne in Belgio ſno dogmatum, Doctorumque inconſtantiam modernam pugnaſque innumeras, graphicè deſcribit, & acerbè deplorat D. Samuel Mareſius in ſuo Tractatu, de afflicto ſtatu ſtudij Theologici in Belgio confœderato pag. 10. Quæ (inquit) Theologia noſtra tot monſtruoſis opinionibus adeò deturpata eſt, vt ſi Paſtores, & Doctores, qni denati ſnnt in Belgio à triginta annis, ad nos reuerterentnr (Riueri, Polyandri, Thyſij, Spanhemij, Triglandi, Demaſij, Schotani, Ameſij) putarent ſe in alterum orbem tempeſtate delatos, cuius idioma non aſſequerentur &c. Vide igitnr (mi Sectari) ex oraculo etiam tni doctiſſimi Mareſij, quam perdito loco tua ſecta, & ſaius conſiſtat.

*Declarantur porrò prædicta, ex ipſarum Sectarum confeſſione, & verbis manifeſtis, & notatu digniſſimis pro aliis etiam controuerſijs.*

XVII. MAximnm operæ pretiam eſt, vt ſecuris profundius admoueatur ad radicem huins extremi Effugij ſine Figmenti, quo moderni Sectarij milienas animas ad Catholicam & ſecuram ſaiutis viam aſpirantes miſerè ſeducunt, hoc fuco failaci. *Nos à Catholicis, & aliis ſectis nen diſcrepamus in articulis fidei ſnbſtantialibus ad ſalutem requiſitis. Ergo nen minus apud nos, quàm apud illos poteris ſalutem adipiſci.* Si igitur Sectarij illi noſtræ in oppoſitum demonſtrationi quantumuis euidenti non confidant, ſaltem acquieſcent illis, quos Sectæ ſnæ Authores, & Duces agnoſcunt.

*Lutherni* einſque *aſſecla* profitentur apertè ſe repugnare Caluiniſtis de reali Chriſti præſentia in Euchariſtia, quod ad articulos fidei eſſentiales ſine dubio pertinere ſupra oſtendimus.

*Ioachimus Veſtphalus* Miniſter Lutheran. cum aiijs Caluiniſtas *Vulpes* appeiiant, eo quod ſubdolè aſſerant ſe à Lutheranis in adiaphoris tantùm diſſidere.

*Albertns Grauerus* Doctor in Saxonia, librum ſunm inſcripſit, *Abſurda abſurdorum abſurdiſſima, abſurda Caluiniſtica*. Hoccine eſt in fundamentalibus per omnia conuenire.

*Henricns Ecardus* iu Præfatione Illuſtriſſimo Electori Saxoniæ Chriſtiano, poſt multa de calliditate Caluiniſtarum, & quod titulum inanem Eccleſiæ circumferant, aſſerit illos: *Lutheranorum conſenſum mentiri, & Confeſſionis, Auguſtana ſocietatem ſimulare: enm tamen non ſit tanta diſtantia inter cœlum, & imam terram, quanta inter Auguſtanam Confeſſionem, & Caluiniſtarum ſectam*. Idem in Epiſtola ad Electorem Ionnem Georgium ſic pronunciat: *Si Calniniſta vnà cum pane & vino, verè, ſubſtantialiter, & præſenter, ibi corpus & ſanguinem Chriſti ſumi, etiam ab indignis, expreſſè non affirmabunt, & errorem ſuum valere nen inbebnnt, nullam nobiſcum concordiam in Fide habebnnt*. Quomodo poſſunt illi magia apertè in ſubſtantialibns diſcrepare, quàm nullam in Fide concordiam habere? Rnrſus grauiori tono in fine concludit. *Nugantur Caluiniſtæ, cum dicunt, diſſidere à nobis, ſed in rebus leuioribus, nen in fundamentis Religionis. Ex articulis enim Cardinalibus ne vnum quidem nobis Theologia Caluiniſtica inuiolatum reliquerit.* Quonnam poſſit eſſe ex ore propriæ Sectæ confeſſio lucientior?

XVIII. Granius etiamnnm idem intonat *Andreas Iacobus Smidelinus* Lutheranus, contra *Grinæum* Caluiniſtam, nec non *Ioannes Schuzius lib. 50. canſarum, cap. 48.* qui aſſerunt *Caluiniſmum, Arianiſmnm, & Mahometiſmum, fratres eſſe & ſorores, tres caligas eiuſdem panni, camerinam in quàm multæ hereſes confluxerunt, denique Satanæ iram vltimam*. Et erit adhuc Lutheranus quem non pudeat fingere ſe cnm Caluiniſtis in ſubſtantialibus, vt frater, aut ſoror, aut qnarta caliga prorſus coaleſcere.

*Ioannes Modeſtns* Luther. in ſuis Demonſtrationibns docet, *Calniniſtas nen eſſe Chriſtianos, ſed Indæos baptizatos*. Chriſtianos negatis, & fratres in ſubſtantialibus fidei articulis agnoſcitis.

*Cenradus Schlnſſelburgins* in tribus libris Theologiæ Caluiniſticæ, ex publicis Caluiniſtarnm ſcriptis, verbis & Authorum nominibus adductis pluſquam ducentos viginti duos illorum errores quaſi in viua tabella depingit: demonſtrans ibidem, ilios de nullo Fidei Chriſtianæ articulo rectè ſentire: denique *lib. 2. artic. 1.* pronnntiat, *Caluiniſticam fidem eſſe hæreſim Sacramentariam*, & Satanicam *blaſpemiam*. Sed & ibidem affirmat, à Caluiniſtis vice verſa fidem & doctrinam Lutheri appellari, *doctrinam Schiſmaticam, & ſectariam, Lutheranos verò omnes diaboli incantatione eſſe excæcatos*. Ergo in eo vtrimque conueniunt, quod in articulis fidei ſubſtantialibus ad ſaiutem neceſſarijs minimè conueniant.

**Omitto** breuitatis ſtudio alios *Lutheranorum* Doctores innumeros, qui proſſus ſimilia in ſuis ſcriptis apertiſſimè pronunciant: quorum plurimi ex *Adamo Contzen* in Iubilo lubilorum Iubilæi Euangelici, & ex *Georgio Tiſkiuſio* in Theologia antilogica facilè poſſunt deprehendi.

XIX. Nunc ex parte *Caluiniſtarum* illorum Doctores talem in Articulis Fidei ſubſtantialibus Concordiam vt figmentum inane reprobantes, breuiter adduco.

*Ioannes* ipſe *Caluinus* ſectæ illius Princeps, in admonitione ſecunda, contra *Ioachimum Veſtphalum*, ait, tales eſſe cum Lutheranis inimicitias, *vt citius in rebus fidei cum Turcis, & Papiſtis, quàm cum Caluiniſtis pacem & concordiam ſint habituri*. Et in admonitione tertia, Lutheranos ait eſſe, *vertigineſos, ſuperbos, beſtias, deſperatè impudentes, falſarios, ignorantes quod in Catechiſmo tractatur*. Demùm in admonitione vltima, denunciat Veſtphalo, niſi circulum de Cœna Domini aliter credat quàm Lutherus, & Lutherani, *eo loco poſthac habendum eſſe, quo pertinaces Hæreticos habebat Paulus*. Si vt Hæreticos pertinaces, ergo in articulo fidei ſubſtantiali à Caluinianis diſſidentes, ipſo teſte Caluino.

Accedat proximè pro ſua dignitate *Iacobus Rex Anglia*, qui in regni ſui primordijs iſto concordiæ errore a ſuis miſerè ſeductus, in ſua Apologia aſſeruit, *Lutheranos, & Caluiniſtas in quibuſdam tantum capitibus diſſentire*. At demum in ſuo *Baſilico Doro* perſpicaciùs pronunciat, *Puritanos, ſiue puros Caluiniſtas, Hæreticos eſſe, & puros as putos Phariſæos*. Idemque libros *Ioannis Vorſtij* Caluiniani Lugduni Batauorum publici Profeſſoris, decreto Regio non tantùm damnauit tanquam hæreticos & impios, ſed & flammis in foro Londinenſi publicè exuri iuſſit. Ergo ſi vt Hæretici damnantur illi, & vt Phariſæi, non poſſunt cum vlla vera Eccleſia in ſubſtantialibus conuenire: idque ex ipſa ſereniſſimi Regis definitione, quem *Anglia* ſuæ Eccleſiæ caput agnoſcit.

*Carolſtadius* inter præcipuos Caluini Athletas rotundè aſſerit, *Fidem Lutheranam eſſe ſimilem magicæ fuæ, aſtolorum, & dæmonum*. Nec minus ille inter primos Caluiniſtas magni nominis *Theodorus Beza* Lutheranorum dogma pro præſentia Chriſti in Euchariſtia, appellat, *Satanæ excrementum, Canem verò canum, in qua verant furfureum numen: ipſos proinde eſſe Antichriſti negotes, Chriſtiandas, carnuores*, &c. Nec diſſimilia de illis pronunciat *Eucerus* & *Paræus* ad ſuam controuerſiam de Euchariſtia, cuius hæc aperta confeſſio eſt: *Nonageſimus annus labitur infelicis illius diſſidij de ſacra Euchariſtia, quod Eccleſias Euangelicas fatigat, debilitat, & lacerat, Papa verò regnum ſtabilit, & ſuſtinet*. Idemque Lutheranos appellat, *veterum errorum hæreſumque reductores*. En qualis vtriuſque Sectæ inter ſe & cum Papiſtis in ſubſtantialibus concordia?

XX. Denique ad dogma hoc ſummè perniciоſum cuiuis non obcæcato ſtirpitus euellendum, ſufficiat audire ipſos ſectarum modernarum primos Patriarchas illud ſuis in ſe mutuò cenſuris penitus euertentes. Et *Caluini* quidem hæc de Lutheranis effata nunc ſupra exhibuimus. *Martinus* porrò *Lutherus in tom. 2. Vitemberg* concordiam iſtam cum Caluinianis ita execratur, vt contra illam indignabundus in hæc verba prorumpat: *Maledicta pax & concordia cum Sacramentarijs per omnia ſæcula ſæculorum*: cui execrationi Caluiniani viciſſim *Amen* ſæpius accinerunt, vt ſupra vidimus. Iterum *Lutherus* vehementius inſurgens in ſuis quæ ſcripſit *Colloquijs menſalibus*. *Non alia (inquit) poteſt ſperari concordia inter nos, & Caluiniſtas, quam qua inter Chriſtum & Iudam interceſſit*. Rurſus in Theſi 27. contra articulos Louanienſium. Et in *Confeſſione poſtrema de Cœna Domini* apertè aſſerit, *Hæreticos à ſe conſeri omnes Sacramentarios, qui negant verè corpus & ſanguinem Chriſti ore carnali fumiin Euchariſtia*. Ibidemque propter articulum eundem contra Caluiniſtas ſententiam extremam pronuncians, ait: *Illos eſſe Sacramentorum hoſtes, æternumque damnatos*.

Si igitur *Caluiniſtæ* toties à Luthero, & Lutheranis, & viciſſim *Lutherani* à Caluiniſtis proſcribuntur vt *Hæretici, vt Sacramentorum hoſtes*, & inde *vt æternum damnati*; quænam poteſt eſſe vmbra Concordiæ inter illos, aut ſectas ab ijs profluentes aut Catholicos Romanos, in Articulis fidei ad ſalutem neceſſarijs. Vnde manifeſtè concluditur, illum ſalutis æternæ iacturam facere, qui permittit tam palpabili errore ſibi illudi, & in iſtorum ſecta detineri. Quam verò facilè ſit ſe ab errore expedire, & ad veræ Religionis notitiam deuenire, in ſequentibus dilucidè oſtendemus.

## ARTICVLVS II.

### *Poteſt vera Religio à falſis Sectis facilè diſcerni, neque excuſabilis eſt Sectarius qui eam non inueſtigat.*

I. SEd ex ipſa Sectarũ pugna, ac multitudine plurimi hoc quo ſibi conficiunt ſpecioſũ

ſum

sui erroris præsidium, aut potius desidiæ latibulum. In tanta, inquiunt, Religionum inter se dissidentium colluvie, non ego talis sum Ædipus, vt possim certo diuinare, quænam præ cæteris omnibus integram fidei veritatem obtineat. Si enim id proprio examine & experimento velim inuestigare, non ea sum sanctus litteratura, aut eo præditus ingenij acumine, vt possim cunctas sectarum differentias ad trutinam reuocare, & omnium argumentorum pugnas dirimere. Quinimo prius me cum mente vita deficeret, quàm dispersas toto orbe Sectas conuenirem, ac singularum causas, originem, & cohærentiam sine erroris periculo compertam haberem. Si verò velis mihi non meo, sed Doctorum iudicio standum esse: Nescio ego cui Doctorum concessum sit, filum veritatis adeò implexum ita euoluere, vt me ex multiplici tot sectarum labyrintho citrà erroris periculum, ad apertam veræ Ecclesiæ lucem educat. Sunt enim in qualibet secta plures qui Doctores appellantur: vt ego inter hos omnes Doctorem præ cæteris veracem seligere possim, Doctor ipse maximus esse deberem. Quid ergo superest, quàm vt ego meæ sectæ inhæream, cui à teneris innutritus sum, quam parentes aut amici colunt, pro qua in dubio tam implexo stat apud me diurni temporis possessio: ne veritatis incertus, dum charybdim vitare cupio, in scyllam deteriorem incidam. Contra hunc prætextum pluribus communem, eoque fallaciorem quo magis fucata veritatis specie depingitur.

Dico primo; Admissa Dei prouidentia, vera Religio ijs notis insignita esse debet, vt à quouis intellectu benè disposito facilè discernatur.

II. Probatur primò, Si Deus mundum gubernat euidens est illum Religionem veram instituisse, qua ab hominibus coli debeat, vt supra initio demonstraui. Frustra autem illam instituisset, si non ordinasset signa & argumenta idonea quibus facilè vera illa Religio à Sectis falsis discerneretur: friuolum enim foret proponere finem, & nihil certi statuere de medijs quibus ad illum peruenire oporteat. Hoc autem fieret, si pro denotanda vera Religione non extarent signa multa illustriora, quàm quæ possint pro quacunque falsa exhiberi. Nam si signa illa vllo modo permanerent æqualia, nullum supereset medium quo possit vera Religio à falsa discerni; atque adeò hominum errores ex hac parte in ipsum Deum referendi essent, quod de perfectissima, ac humanæ salutis moderatrice Dei sapientia existimare impium foret.

Probatur secundò, ex obligatione certa quæ quemuis obstringit, ad veram Religionem præ falsa ampletendam. Hæc autem obligatio nulla prorsus foret, si vera Religio non esset præ Sectis falsis satis explorata. Sicut in alijs Dei præceptis exempli causa, vt testimonium perhibeam veritati, nunquam teneor iuramentum assumere, dum rei veritas manet dubia, aut tantum probabilis, ne facilè contingat Deum à me in falsitatis testem adhiberi. Vnde conficitur, infinitam Dei sapientiam sibi manifestè contradicere, si veram Religionem hominibus præciperet, & interea illius præ cæteris signa satis explorata non exhiberet.

III. Hanc autem calumniam diuinæ sapientiæ nemo facilè importabit, qui studiosè aduertet tam in veteri, quàm in nouo Testamento, insurgente quouis Religionum conflictu, vt in Moyse, Daniele, & Apostolis, Deum verè Ecclesiæ ea signa præbuisse, quæ facilè omnem aduersæ partis probabilitatem elidere potuerunt.

Hic proinde non admitto ex notis siue motiuis tantum probabilioribus, sine vlteriori inuestigatione, licitum esse aliquam præ cæteris Religionem suscipere, aut iam susceptam in aliam commutare. Quamuis enim sola probabilitas plerumque in alijs operationibus valere possit, non ideò in suscipienda quoque noua Religione sufficere debet. Quia in negotio fidei error etiam materialis in ordine ad actiones salutares grauissimè nocere solet: neque deest homini non oscitanti modus: quo diligenti inuestigatione facilè ad veræ Ecclesiæ notas moraliter euidentes deuenire possit, qualis adipiscendæ certitudinis via in alijs hominum actionibus constituta non reperitur.

IV. Quærunt hoc tempore aliqui: An ad assensum præbendum articulis fidei, requiratur euidentia etiam omnimoda reuelationis diuinæ?

Respondeo, ad assensum fidei debitum, necessariam non esse cognitionem absolutè euidentem reuelationis diuinæ. Quia euidentia omnimoda aut metaphysica reuelationis ab omnibus in hoc statu haberi nequit, ergo non potest illa omnibus ad assentiendum articulis nostræ fidei esse necessaria. Quod adeò certum est, respectu hominum præsertim rudiorum, vt hoc de fide esse affirmet *Suarez hic, disp. 3. sect. 8. n. 5.* Dum enim rudiores articulis fidei assensum præbent, non apparet quo modo, aut medio authoritas Dei loquentis illis euidenter proponatur: quinimò paucis



BIBLIOTECA REAL VITORIA

doctiorum contingit ad absolutam reuelationis euidentiam ratiocinando penetrare.

Sed quæstio esse potest, An assensus fidei omni ex parte *euidens*, possit dici *supernaturalis*; De hoc variæ sunt, & liberæ Theologorum sententiæ: Negant aliqui esse supernaturalem, quia actus fidei euidens, non est liber, neque obscurus, siue argumentum non apparentium, vt ipsi volunt, & requirunt ad actum proprium fidei diuinæ. Probabilius tamen assensum illum posse esse supernaturalem docent communius Thomistæ, vt recenter tradit *Gonet disp. 11. art. 7 n. 201.* & pro eadem sententia *Scotum* citat Di Castillio, quos sequitur *Herinx* ex Scotistia Author recens, & erudius, nec non ex Carmelitis, *Bonæ spei*, & ex *Nostris Vasqu. Ariaga, Ripalda, & plures alij*.

Quia nulla ratio satis probat habitum fidei non posse influere in assensum euidentem, eum inter euidentiam & supernaturalitatem nulla ostendatur repugnantia, vt patet in actu visionis Beatificæ, qui simul euidens est, & supernaturalis. Potest igitur cum assensu fidei diuinæ stare euidentia reuelationis, sed perperam cum quodam asseritur, hanc euidentiam ad fidem nostram esse necessariam.

VI. Sufficit ergo articulos fidei proponi cum notis, quæ de veritate reuelationis diuinæ ita nos certificant, vt non possimus de ea prudenter dubitare. Ad assensum huiusmodi præstandum nulla modernarum Sectarum sufficientes rationes aut notas exhibere valet.

Dico igitur secundò neque Protestantes, neque alij horum temporum Sectarij possunt in iua conscientia, aut diuino tribunali excusari, quamdiu certiores veræ Ecclesiæ notas non inquirunt.

VII. Probatur, non potest aliquis excusari, aut bona fide in ea Secta permanere, in qua nequit exhibere veræ Ecclesiæ signa certiora, quam habeant aliæ sectæ, quas ipse deuias, & falsas esse agnoscit. Atqui neque Protestantes, neque alij Sectarij possunt in suo Cætu ostendere vlla signa aut fundamenta certiora veræ Ecclesiæ; quam habeant aliæ sectæ tàm modernæ, quàm antiquæ, quas ipsi pro falsis reprobant, & à sua communione reijciunt. Quinimò a Protestantium confessione de Primatu Ecclesiæ in Regibus, de Hierarchia & potestate Prælatorum, & pluribus fidei punctis communi iudicio grauissimis, reliquæ totius orbis Ecclesiæ dissentiunt. Quo igitur modo poterit horum aliquis sine vlteriori examine in sua secta securus conquiescere, quam facilè aduertit, præ cæteris sectis à se reprobatis, nullo speciali Dei testimonio, nullo exploratæ veritatis fundamento subniti?

Atque vt hoc argumentum in breui dilemmate fortius inhæreat: Quæro ex quouis Protestantium Ministro; An reliquas horum temporum Sectas veras iudicet, an falsas? Si dicat veras; iam Ecclesiam suam agnoscit falsam, vtpote quæ à cæteris Ecclesijs, quas pro veris habet, vt falsa reijcitur. Si verò reliquas Sectas falsitatis arguat, suam quoque inter falsas numeret necesse est, cum nullum prorsus cohibere possit speciale signum, aut apertum Dei testimonium, quo Ecclesiam suam, præ cæteris à se reprobatis, melioris conditionis esse demonstret.

VIII. Ex his quæ hactenus deduximus apertè conficitur, quemlibet suæ saluti prospicere volentem, debere Religionem veram, & vnicam sedulò inuestigare, neque posse sine summa imprudentia ac temeritate hanc curam negligere in negotio totius vitæ grauissimo, quale est iactura salutis æternæ, quæ sine vera fide obtineri non potest. Vt enim à salute abberes, perinde est an tua culpa falsam fidem, an nullam profitearis.

### *Ostenditur ex dictis, qualis ignorantia excuset ab Hæresi formali.*

DIco igitur primò: Ignorantia inuincibilis circa articulos fidei excusat ab Hæresi formali. Quia cum ignorantia inuincibilis sit ea quæ nulla diligentia aut inquisitione hic & nunc ab Ignorante vincì, & deponi potest, non relinquit illa libertatem sufficientem ad veritatis electionem: ac proinde error ex tali ignorantia ortus non est homini liber, & voluntarius, quod ad hæresim formalem requiritur.

IX. Dico tamen secundò: Ignorantia ista inuincibilis non sufficit in homine adulto in ordine ad iustificationem in punctis fidei requisitis necessitate Medij, vt est credere in Deum vt Creatorem, Medistorem, Remunetatorem, &c. Quia fides horum mysteriorum, est fundamentum, & prima dispositio ex Dei ordinatione requisita ad actus amoris Dei, vel alios quibus possit homo ad iustificationem peruenire; iuxta illud Apostoli *ad Hebræos cap. 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit.*

Dico tertiò: Nulla ignorantia vincibilis, siue ex inquirendi negligentia grauiter culpabilis, excusare potest ab hæresi formali, hoc est, à tali errore in fide qui illum apud Deum constituat reum hæresis, & inexcusabilem.

Hæc

Hæc est sententia communior & verior apud *Valentiam, de fide disp. 1. quæst. 11. punct. 1. Thomam Sanchez lib 2. in decalogium cap. 7. Scotum, Ludou. Lopez, Sayrum, Nauarrum, Cordubam, Canum*, &c. contra aliquos apud *Card. Lugo de fide disp. 28. sect. 6.* qui quamuis admittant talem contra fidem grauiter peccare, negant tamen esse formaliter hæreticum.

X Probatur nostra assertio. Error hominis Christiani circa aliquod mysterium fidei, ortus ex quacunque ignorantia vincibili est simpliciter voluntarius, & grauiter contra fidem culpabilis, vti pars vtraque admittit. Atqui talis error non pertinet ad Paganismum vel Iudaismum: cum homo Christianus sic errans adhuc retineat Religionis Christianæ professionem. Ergo error ille pertinet ad Hæresim, cum infidelitas adæquatè in tres species diuidatur, Paganismum, Iudaismum, & Hæresim.

XI. Dices, Tantùm ille censetur absolutè & formaliter hæreticus, qui *scienter* dissentit ab Ecclesia, recedendo ab illis articulis quos ea sufficienter proponit. Atqui ab ea non scienter dissentit qui ab articulis illis recedit ex ignorantia tantùm vincibili. Ergo talis non est absolutè & formaliter hæreticus.

Respondeo distinguendo maiorem. Censetur tantum absolutè & formaliter hæreticus qui sic scienter dissentit scientia formali, vel etiam æquiualenti, concedo: scientia præcisè distincta & formali nego. Quia talis ignorantia vincibilis & voluntaria *æquiparatur* scientiæ formali in ordine ad affectum, siue errorem subsecutum, & inde prouenientem. Censetur enim sic ignorans noluisse scire veritatem, quando diligentiam sciendi debitam volens omisit: ac proinde voluisse ignorantiam & errorem inde consequentem.

Ex his demùm apertè deducitur primò: Non rectè modò in *Anglia* viros in speciem politos pro sua in hæresi perstistentia hoc modo ratiocinari: Ego paratus sum fidem Romanam amplecti, si Rex, & Parlamentum eam esse præferendam declaret. Hoc verò quamdiu non faciunt, ego prudenter resoluo illorum sensum communem, meo priuato iudicio præponendum. Ergo errorem in diuino tribunali mihi imputabilem non incurro.

XII. Sed facilè demonstratur, fucum illum prorsus inanem esse in viris rerum quæ in reliquo orbe geruntur non ignaris. Satis enim illi norunt, in hoc sui Regis ac Parlamenti sensum ab aliis Regibus, ac Regnis amplissimis toto pæne orbe improbari. Neque ignorant Notas manifestas antiquitatis, & conformis omnis æuo vnitatis veræ ac Catholicæ Religionis, si velint opera non difficili animum ad illas aduertere. Quod si prætextus ille coram diuino tribunali ponderis aliquid haberet, quoslibet hactenus omni loco, & tempore Hæreticos, imò & Mahometanos in suis erroribus excusaret; quorum & Imperator, & imperium, & sensus, maximam orbis nostri partem complectitur: quod tamen viri illi non parum politi minimè admiserint.

XIII. Deducitur Secundò, pari ratione *Ordines Batauicos*, & alios alibi variarum Sectarum cœtus, nullam sibi ex illo prætextu erroris sui excusationem posse prætendere.

*His annexa sunt aliquæ quæstiones Theologicæ, quæ reperiuntur infra ad finem Tomi 2. in nouo Supplemento Theologiæ vniuersæ, in Secunda secundæ, Tract. de Fide.*

Vt autem vera & vnica Religio, in qua vult Deus salutem æternam obtineri, à Sectis falsis securè discernatur, Argumenta hic sequentia, sepositis Partium studijs, sincerè propriæ salutis, ac veritatis desiderio expendenda erunt.

Sed ad hoc debitè præstandum præmittenda sunt à Curatore siue propriæ, siue alienæ salutis Media sequentia. De quo vide & alia in praxi Conuersationis cum Hæret. *Tom. 3. circa finem c. 2. §. 1.*

## PRÆPARATIO ANIMÆ

### *Ad Considerationes sequentes pro sincero veræ Religionis suscipiendæ desiderio.*

XIV. CVm vera Fides sit donum Dei singulare, necesse est primò, ad illud obtinendum cor Deo sincerum, & apertum exhibere. Secundò remouenda sunt impedimenta huius diuini beneficij, vt est, Affectus nimius erga commoda temporalia, honores, diuitias, amicos, promotiones, humanos respectus, ac fauores: plerumque enim nimia cupiditas gratiæ humanæ, obicem in hoc ponit gratiæ diuinæ. Tertiò; Deponenda sunt Præiudicia hausta ex dictis Aduersantium Religioni Romanæ, & animus ad æquilibrium reuocandus, quo statuat nullo alio respectu duci, quàm motiuis solidæ veritatis, & suæ salutis. Quartò, Per Orationem, & pia opera ad Deum recurrendum, animus sincerus illi offerendus, ac postulandum cum humilitate gratiæ diuinæ adiutorium. His mediis dispositus Cornelius Centurio meruit à Deo ad

veram fidem singulariter illustrari *Actor.* 10. In hunc finem Oratio sequens, sic formata vt præparationem animi prædictam, cuilibet Christiano necessariam, breuiter complectatur, admodum erit opportuna.

# ORATIO

## Disponens ad veræ Fidei notitiam, & susceptionem sinceram.

*DEus meus! & in Te rectè credentium salus æterna! emitte lucem tuam & veritatem tuam vt in æternum ad te perueniam, per veram fidem, spem & charitatem, sine quibus nulla est spes salutis, sed certa ad ignem æternum damnatio. Scio autem euidenter sicut vnus est Deus, ita vnicam posse esse Fidei veritatem, vnicam veram Ecclesiam, vnicam viam salutis æternæ. O quam essem ego nunc insanus, & postea in perpetuum infælix, si pro vlla illecebra huius vitæ mortalis, ab illa via vnica veritatis, & salutis me impediri, aut abduci permitterem.*

*Protestor igitur nunc coram diuina Maiestate, hoc mihi propositum esse, hoc firmissimum decretum, illam Fidem, & Ecclesiam vnicam amplecti, quam præ alijs veram, & à Deo constitutam esse, sincero corde deprehendam.*

*Protestor insuper, me ab hoc decreto sincero nolle abduci, siue huius breuis vitæ fluxis solatijs, siue cupiditate opum aut honorum, siue humana quacunque gratia, aut respectu. Nihil enim mihi huiusmodi prætextus coram iustissimo DEI tribunali sunt profuturi.*

*Sciome à veritate DEI æterna præmonitum in sacris Scripturis Matthæi 24. Quod, Multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos: Et* Matthæi *7. Cauendum nobis esse a falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ouium, Ac proinde, non omni spiritui credendum: Sed probandos spiritus si ex Deo sunt lib. 1. Ioan. 4. Non ignoro tales plurimos seduflores omni æuo a vera Christi Ecclesia defecisse, & multos etiammum per tales ab vnitate fidei abduci: a quibus mihi omni modo cauendum esse firmissimè decerno. O quot Martyres Christi ab exordio Ecclesiæ & deinceps omni tempore, se illis ita opposuerunt, vt non tantum fortunas omnes, sed etiam per immania tormenta sanguinem, & vitam profuderint: nec tamen magis illis sua, quam mihi mea salus necessaria est. Hinc mi DEVS, mihi omninò decretum est, & erit, monitis tuis obtemperare, viam salutis securam sedulò inuestigare, & illam semel inuentam ad extremum vsque spiritum conseruare.*

*Tu igitur splendor Patris, & lux æterna, quæ illuminas omnem hominem venientem in hunc Mundum, illumina tenebras meas, animumque corrobora, ne huius mundi cupiditate, aut hominum illecebris abducar in perditionem: cum impossibile sit tibi sine vera fide placere, & ignis æterni supplicia euadere. Effice per gratiam tuam vt Ecclesiæ tuæ vnicæ, quam veram deprehendero, semel aggregatus, tibi firmiter adhæream in sanctitate & iustitia omnibus diebus vitæ meæ. Amen.*

## CAPVT III.

*Argumenta quæ euincunt,* Solam Ecclesiam Romanam esse veram Christi Ecclesiam, *in qua salus possit obtineri.*

### ARGVMENTVM I.

*Sola ostendit se potestatem suam a Christo deriuare.*

I. ILla sola est vera Christi Ecclesia, quæ ostendit se doctrinam, & potestatem suam à Christo & illius Apostolis accepisse, & per continuam successionem ad nostra vsque tempora perduxisse. Hac enim successione omnis vera & legitima possessio, ac potestas firmissimè probari, & sine dubitatione constare solet. Si quis autem illa destitutus, de possessione aut iure contendat cum eo, qui hanc successionem exhibere potest, non minus explodetur, quam si quis hodie compareat homo peregrinus, qui se legitimum

Angli-

Angliæ Coronæ Succeſſorem proclamet, contra illam familiam, quæ continua ſucceſſione ſe in legitima Regni hæreditate perennare demonſtrat.

II. Hanc autem continuam à Chriſto, & Apoſtolis ad noſtra vſque tempora ſucceſſionem, quo pacto reperies in Sectis illis, quæ à centum circiter annis emerſerunt, ac ſibi veræ Eccleſiæ nomen vindicarunt? Quo modo in aliqua Eccleſia poteſtatem à Chriſto deriuatam oſtendes, quæ ſeipſam per mille quingentos poſt Chriſtum annos orbi oſtendere non potuit?

Cùm igitur hac ſucceſſione apertè careant Congregationes modernæ, ſola Lutheri, Caluini, aliorumque recentiorum authoritate inſtitutæ, carent etiam neceſſariò eorum Miniſtri *Iuriſdictione* à Chriſto deriuata in gubernanda eius Eccleſia, carent eius Ordine pro adminiſtratione Sacramentorum, carent eius *Miſſione* pro verbi diuini prædicatione, quam apertè requirit Apoſtolus ad Roman. 10. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur*. Numquam enim oſtendet vllus ex Sectis modo nominatis qua authoritate, aut quo modo primùm miſſus fuit Lutherus, aut Caluinus ad prædicandam doctrinam oppoſitam Eccleſiæ Romanæ, à qua ſua tantum ſponte deſeceruntſaut vbi, aut quando poteſtatem illam à Chriſto acceperint.

III. Si dicant, ſe accepiſſe à Chriſto poteſtatem *extraordinariam* ad reformandam veterem, & inſtituendam nouam Eccleſiam

Reſpondeo, nulli prudenti poſſe ſufficere, quod Lutherus aut Caluinus id de ſe affirmet: omnes enim antiqui Hæreſiarchæ idem de ſe dudum teſtati ſunt, nec ideò minus hæretici fuerunt, & pro talibus etiam hoc tempore damnantur. Neceſſe eſt igitur ſuæ miſſionis clarum, & apertum teſtimonium adducant: ſine legitimo enim teſtimonio, ne quidem domum tuam alteri reſignabis, quantò minus Eccleſiam Dei, quam Chriſtus à tot ſæculis alijs poſſidendam, & gubernandam conſignauit. Nec ipſi Apoſtoli pro Dei Miniſtris ab initio admiſſi ſunt, niſi per apertum teſtimonium ſignorum ac miraculorum, quibus ſe à Chriſto miſſos eſſe toti orbi manifeſtè comprobarunt. An igitur ergo cum ſalutis æternę diſcrimine ſine alio ſigno, aut teſtimonio hos vt Eccleſiæ antiquæ reformatores, & animę meæ in æternitatis itinere duces admittam, quos à Deo miſſos non fuiſſe clara ratione deprehendo?

Ex his ritè expenſis hoc neceſſarium deducitur argumentum. Sola illa eſt Chriſti Eccleſia, quæ poteſt oſtendere, ſe Chriſto, & Apoſtolis ad hæc vſque tempora continuò ſucceſſiſſe Sed ſola ſupereſt Eccleſia Romana in qua poſſit illa ſucceſſio oſtendi: ergo, &c. Iam enim probatum eſt, alias Sectas illa ſucceſſione penitus eſſe deſtitutas.

IV. At in Romana Eccleſia, Presbyteri ſunt Ordinem, iuriſdictionem, ac miſſionem accipiunt immediatè à ſuis Epiſcopis præſentibus, hi ab Epiſcopo ſiue Pontifice Romano, qui per continuam præcedentium Pontificum ſeriem, ſuam in Sede Petri ſucceſſionem toti orbi apertè demonſtrat.

V. Hæc enim in publicis, & vbique patentibus temporum Annalibus tam lucidè omni æuo conſignata exhibetur, quam vllum Regum iure ſucceſſionis Regni ſui thronum poſſidere. Imò illa Pontificum ſucceſſio præ cæteris tanto maiori pollet euidentia, quantò frequentiori omnium Gentium cura ac ſtudio vniuerſalis Eccleſiæ hiſtoria à tot tantiſque Auctoribus, ac SS. Patribus conſcripta, & ad poſteritatem continuò tranſmiſſa reperitur.

Nullus itaque eſt Eccleſiæ Romanæ Miniſter, qui Fidem populo, & Sacramenta adminiſtrat, qui non poſſit poteſtatem, ac miſſionem ſuam continua ſerie ad Apoſtolos, ac Chriſtum reducere, tanquam ad primum authorem ac fontem à quo illa deriuauit. Sola igitur Romana poteſt eſſe vera, & indubitata Chriſti Eccleſia.

Hoc argumento veram Eccleſiam à Sectis alienis ipſi primitiuæ Eccleſiæ Patres diſcernebant, ac imprimis *S. Auguſtinus contra Epiſt. fundamenti*: "Tenet me in Eccleſia Catholica, ab ipſa ſede Petri Apoſtoli vſque ad præſentem Epiſcopum ſucceſſio Sacerdotum. Accedit *S. Hieron. epiſt. 2. ad Damaſum*. Hic inter tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, ego interim clamo, qui Cathedræ Petri iungitur meus eſt. Idem diſput. contra Luciferianos, Breuem tibi apertumque animi mei ſenſum proferam, in illa permanendum eſſe Eccleſia, quæ ab Apoſtolis fundata vſque in hanc diem perdurat.

VI. *Dilemmate* inde confecto, modernum ſectarium hoc modo premes. Argumentum illud *S. Auguſtini*, *S. Hieronymi*, & primorum Eccleſiæ Patrum contra hæreticos ſui temporis, ex ſucceſſione perpetua Prælatorum in ſola Eccleſia Romana; vel rectè probat illos antiquos fuiſſe veros hæreticos, vel non. Si id non probat, errarunt ergo primi, ſummique Doctores primitiuæ Eccleſiæ; quod tamen ipſi Sectarij non admittunt.

Si

Si verò rectè probat illos fuisse hæreticos, idem prorsus conuincit de Sectarijs nostri temporis, qui non magis possunt in sua secta ostendere perpetuam Prælatorum successionem, quàm illi Hæretici, contra quos primi Patres hoc argumentum intorquebant.

VII. Obijciunt illi, ne prorsus exarmati videantur: Vt Ecclesia aliqua Christi per *successionem* dicatur *Apostolica*, sufficit sola successio *Doctrinæ* Apostolicæ, non verò Prælatorum siue Pontificum Apostolis succedentium. Probatur, quia Ecclesia Christi dicta est Apostolica in Symbolo anteaquam esset Pontificum successio.

Respondeo, successionem certam totius Doctrinæ Christianæ non posse per tot à Christo sæcula certò conseruari, & innotescere, nisi per successionem personarum, quæ ostendere possint se legitimam, & certam illius tradendæ potestatem à Christo deriuare. Nam alias sola successio doctrinæ, figmentis omni suo innumeris exposita fuisset, vt tot exortæ de ea hæreses etiamnum apertè demonstrant. Ad probationem dico, Ecclesiam Christi ante *Pontificum Successionem* dictam fuisse Apostolicam in actu primo, siue quæ ex institutione Christi Apostolicam in Pontificibus successionem requirebat. Sic etiam ab initio dicta est Catholica, quamuis nondum actu per orbem diffusa, sed postea tantùm diffundenda.

Huius successionis defectus *Anglos* Ministros grauissimè remordet, qui sæpius postulati de legitima ordinatione *Parkeri*, qui primus post hæresim tanquam Archiepiscopus Cantuariensem Sedem occupauit; nec testes, nec tabulas, nec vllum deriuati à Christo Ordinis, aut potestatis iudicium legitimum vnquam proferre potuerunt.

VIII. Quorum vnus haud ita pridem quasi collabenti Ecclesiæ humeros suppositurus, non antiquas tabulas, sed nouas fabulas euulgauit, de *Parkero* in quadam taberna per aliquos Romanæ Ecclesiæ Episcopos in Præsulem consecrato. Sed non defuit author Catholicus, Dublinensis nuper Præsul Illustrissimus, qui calamo sua eruditione digno commentum illud apertè dissoluit, & ad viuum resecuit, vti attingemus infrà tract. 3. c. vlt.

## ARGVMENTVM II.

*Ecclesia Christi est antiqua, omnes modernæ Sectæ sunt nouæ.*

IX. ECclesia Christi est antiqua, quia ab annis plusquam mille, & sexcentis à Christo fundata est, & sic in omne tempus futurum stabilita, vt promiserit portas inferi contra eam nunquam præualituras. Sed Ecclesia Lutheri, & Caluini est noua; Ergo hæc non potest esse vera Christi Ecclesia. Minor clarè probatur. Quia possumus assignare ipsum locum, & tempus, quo recenter exorta est hæresis Lutherana, ante centum circiter annos, tempore Caroli V. Imperatoris, & Leonis X. Pontificis; & ostendere primum eius authorem Martinum Lutherum, qui post quindecim sæcula à constituta Christi Ecclesia comparuit, & ab antiqua Ecclesia spontè desecit, & sectam Lutheranam, de qua nihil vnquam antea auditum fuit, in Germania inchoauit. Sed hæc sunt manifesta nouitatis indicia, quæ apertè demonstrant Sectam Lutheranam (& idem est de alijs nouis) non posse dici veram Christi Ecclesiam. Repugnat enim illam Sectam, quæ est noua, esse Ecclesiam Christi quæ est antiqua: originem habuisse à Luthero postremo sæculo, & tamen ante annos mille sexcentos à Christo institutam fuisse.

X. Si dicas, Ecclesiam Lutheranam olim quidem extitisse, sed hactenus per 1500. annos ante Lutherum *occultam, & inuisibilem* latuisse. Responsio illa per se friuola hoc *Dilemmate* clarè refutatur. Religio Lutherana vel extitit ante Lutherum, vel non extitit. Si ante Lutherum extitit occulta, vt affirmas, non potuit esse vera Christi Ecclesia, quæ debuit semper esse visibilis, & conspicua, sicut exultas supra montem posita, sicut lucerna, sicut publicum tribunal ad quod iubemur confugere Matth. 18. *Si autem noluerit te audire, dic Ecclesiæ*; hic enim Christus Ecclesiam suam similem esse declarauit. Si verò dicas ante Lutherum non extitisse, ergo est Religio nouitia, ac proinde non potest esse Religio Christi, quam constat esse antiquam.

XI. Sola itaque supereſt *Ecclesia Romana*, quæ initium Romæ sumpsit ab ipso Petro cuius Sedem per suos Successores continuò possidet, cuius recens Institutio, aut nouus author nullo vnquam loco aut tempore post Petrum assignari potest, quæ sunt antiquæ, & veræ Christi Ecclesiæ manifesta argumenta.

Hoc argumentum approbare coactus est ipse *Lutherus*, dum Zuinglianos recenter emergentes oppugnaret *in Epist.* ad Ducem Borussiæ, & habetur in eius *tom.* 2. *impresso VVittenbergæ fol.* 362., Periculosum, inquit, & terribile est audire aliquid aut credere contra concors testimonium, fidem, & doctrinam totius sanctæ Christi Ecclesiæ, quæ iam supra mille quingentos annos per vniuersum orbem con-

, concorditer ſtatuit, &c. Telum hoc ab antiquitate deſumptum, quod fortiſſimum agnoſcit, quis non videt contra ipſum Lutherum, alioſque horum temporum Sectarios validiſſimè retorqueri? Quomodo igitur ego ſalutem æternam, quæ ſolum in antiqua Chriſti Eccleſia obtineri poteſt, inter nouos horum temporum Sectarios ſperare potero? Hoc ſi expendas benè, non poteris malè concludere.

## ARGVMENTVM III.

*Aliæ omnes Sectæ docent Hæreſes in primitiua Eccleſia damnatas.*

XII. OMnis illa Religio falſa eſt quæ continet hæreſes à Catholica, & primitiua Eccleſia olim damnatas. Atqui modernæ Sectæ Lutheri, & Caluini, &c. continent hæreſes à Catholica, & primitiua Eccleſia olim damnatas. Ergo eorum Religio debet eſſe falſa, & primitiuæ Eccleſiæ contraria.

XIII. Minor huius argumenti probatur primò: Quia tam Lutherus, quam Caluinus docet Bona opera non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſolam fidem ſufficere. Atqui hæc eadem fuit olim hæreſis Simonis Magi, teſte antiquiſſimo S. Irenæo l. 2. cap. 20. & Eunomianorum olim ab Eccleſia damnatorum circa annum Domini 360. teſte S. Auguſtino hæreſi 54.

Lutheri, & Caluini doctrina eſt, Traditiones eſſe reijciendas, & ſolam Scripturam recipiendam. Eadem hæreſis à primitiua Eccleſia damnata eſt in Ario, Neſtorio, Eutychete, & Dioſcoro, vti patet ex S. Auguſt. lib. 1. contra Maximum cap. 2. item ex Synodo 7. actione 1.

Tam Lutherus quam Caluinus negat Sacramentum Pœnitentiæ, & Confirmationis. Doctrina hæc tanquam hæretica in Nouatianis olim ab Eccleſia proſcripta eſt, teſte antiquiſſimo Cypriano lib. 4 epiſt. 2.

Docet Lutherus, & Caluinus, Eccleſiam olim visibilem poſtea perijſſe, & iliam in ſuo tantùm cœtu exiſtere. Fuit hæc quoque hæreſis Donatiſtarum contra primitiuam Eccleſiam, vti teſtatur Auguſt. lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 12.

Aſſerit vterque, veneratinnem Reliquiarum, Imaginum Chriſti, aut Sanctorum eſſe idololatriam. Idem aſſeruit Vigilantius hæreticus teſte Hieronymo, & olim Iconomachi ab Eccleſia damnati, teſte Cedreno, & Nicephoro de Iconomachis.

XIV. Negat cum Luthero Caluinus, orandum eſſe pro defunctis, obſeruandum ieiunium Quadrageſimale, aut aliud ab Eccleſia præſcriptum. Idem negarunt olim Aetiani hæretici, teſte Epiphanio, & Auguſtino de hæreſib. cap. 33.

Quid igitur manifeſtiùs quàm hæreſes olim ab Eccleſia Chriſti damnatas, à Luthero, & Caluino decreti, ac renouari? Et quidem pleraſque ante tempora S. Auguſtini. Cum tamen ipſi fateantur veram, & primæuam Chriſti Eccleſiam, quæ eas hæreſes damnauit, ab omni erroris ſuſpicione immunem fuiſſe. Illas autem hæreſes dum reprobauit, neceſſariò omnes Sectas eandem doctrinam profitentes hæreticas eſſe declarauit.

XV. Ex his autem cæteriſque articulis à primitiua Eccleſia olim damnatis nullum omninò recipit *Eccleſia Romana*, aut vnquam admiſit, & quemuis admittere volentem à ſuo corpore reſecuit. Depoſitum Fidei à Chriſto & Apoſtolis ſibi traditum tam firmum, & inuiolatum ſemper retinuit, vt maluerit tam ab antiquis quàm ab horum temporum Sectarijs grauiſſima bella, rapinas bonorum, exilia, & mortem ipſam ſuſtinere, quàm vel vnicum articulum à primitiua Eccleſia damnatum admittere vti hodie in Angliæ, Hollandiæ, & maximè in antiquiſſimis Hiberniæ Catholicis, tot calamitatibus hactenus ideò laceratis ante oculos videmus.

Ad hanc rationem vel vnicam, ſi ſeriò inbeat reflectere, fieri non poteſt, quin hodiernas ſectas à vera Chriſti Eccleſia facilè diſcernas. Quæcunque enim Secta deprehenditur hæreſim vel vnicam à vera Eccleſia olim damnatam admittere, tam implicat illam eſſe Eccleſiam Chriſti, quam falſum eſſe verum, aut album eſſe nigrum. Sicut enim contra debitam Regi fidelitatem in vno puncto cum hoſte conſpirans, hoc ipſo fit Regi rebellis, ſic cum damnatis Hæreticis vnico in errore conſentiens, Deo ſit inimicus ac perduellis, & extra ſalutis tramitem exul aberrat.

## ARGVMENTVM IV.

*Communis omnium Gentium conſenſus pro Fide Romana.*

I. ILla iudicanda eſt vera Chriſti Eccleſia, quæ per totum orbem recepta, & omnium gentium teſtimonio, & conſenſu comprobata eſt, potiùs quàm illa, quæ exiguo ſpatio circumſcripta, & à paucis admiſſa fuit.

Qui

Quinis enim æquus iudex non dubitabit adiudicare litem illi parti, quæ præ alia habet testes multò plures, & inter se omni tempore, & loco conuenientes.

II Atqui omnium gentium commune testimonium stat pro vna & sola *Ecclesia Romana*, quæ proindè *Catholica* & vniuersalis toto orbe nominatur. Nam quoad priora tempora, nullum est toto orbe regnum, nulla natio nobis cognita, in qua aliquando propagata & receptа non fuerit, aut propagari inceperit. Quinimò hoc tempore apud Gentes de nouo repertas publica extat Religionis Romanæ professio, templa, altaria, Missæ, cultus imaginum, &c. plerisque etiam locis in regnis Turcarum Catholici aliqui reperiuntur. In Europa Religionem Romanam publicè tuentur ac profitentur vniuersa regna Hispaniæ, regnum Galliæ amplissimum, tota pænè Germania, Polonia, Italia, maxima ex parte Belgica, neque exiguo Fidelium numero per Angliam, & multò maiori per Hiberniam, aliasque plures orbis partes disseminata reperitur. Cum his si comparentur pauci Europæ anguli, qui Sectam Lutheranam, aut Caluinianam profitentur, vnum pro millibus testem vix reperies. Solum enim regnum Britanniæ, cum Dania, Suecia, Hollandia, & aliqua Germaniæ parte Sectam Lutheranam vel Caluinianam, eamque pluribus aliisque Sectis immixtam complectitur. Quid exiguus ille numerus cum tota Europa comparatus? Quid cum Asia, Africa, America? Quarum incolæ, vti & regionum nunc in Europa infectarum, Religionem Romanam aliquando receperunt, & per multa sæcula suo testimonio, & sanguine comprobarunt.

III Si igitur multitudinem testium eorum, qui in Religione Romana, toto orbe vixerunt per *sedecim sæcula*, conferam cum exiguo manipulo Lutheranorum vel Caluinianorum, qui tantùm vnius sæculi spatio emerserunt in paucis Europæ Regionibus, non possum saltem æquitate pro altera, quam Religione Romana, ferre sententiam. Neque poterit supremus Iudex in extremo iudicio aliud pronunciare, quàm me iustè ac sapienter egisse, quod communem & constantem orbis pænè vniuersi consensu, paucorum, ac malè inter se cohærentium hominum iudicio, à reliquo orbe repudiato, prætulerim.

Vim huius argumenti ipsa experientia comprobari videmus, in integris legionibus ex militia, & nobilitate Anglicana, quorum plerique, dum ex domesticis errorum tenebris prodeunt ad publicam lucem Catholicæ Ecclesiæ in Belgio, Gallia, Hispania, facilè veram Romanæ Ecclesiæ Fidem agnoscunt, & profitentur. Vti non ita pridem apparuit in viris summo ingenio & iudicio præditis, Comite de Bristol, Barone de Inchequin, & alijs de nobilitate & fama notissimis.

## ARGVMENTVM V.

### *Nulla est certa Ecclesia Christi in mundo, si non sit Romana.*

I. CErtum est veram Christi Ecclesiam in mundo reperiri, vt omnes fatemur: Atqui hoc certum non esset, si vera foret fides Sectæ Lutheranæ aut Caluinianæ. Ergo illa est à veritate prorsus aliena.

Minor patet ex eo, quod Secta tam Lutherana, quam Caluiniana doceat, veram Ecclesiam à Christo institutam potuisse *deficere*, & eam in Ecclesia Romana quæ ab initio fuit vera, actu defecisse, & nunc penes Sectam v. g. Lutheranam veram Ecclesiam permanere. Quod si verum est, posse deficere veram Christi Ecclesiam: & tu asseras tuam Caluinianam, vel Lutheranam esse veram Christi Ecclesiam: ergo potuit etiam tua Lutherana & Caluiniana deficere; ergo certum non est aliquam veram Christi Ecclesiam in mundo reperiri. Sicut enim asseris defecisse olim veram Christi Ecclesiam, ita nunc deficere potuit tua, neque certus esse potes, quod actu non defecerit: nulla enim promissio Lutheranæ vel Caluinianæ Ecclesiæ facta est, aut fieri potuit, supra veram Christi Ecclesiam.

II. Quod si dicas, tantum posse deficere Ecclesiam Christi *visibilem*. Infero, ergo tibi non constat, an Ecclesia Caluiniana vel Lutherana visibilis, quam profiteris, sit vera Christi Ecclesia.

III. Idem breuiter alio Argumento demonstratur. Non potest esse vera Christi Ecclesia sine vera *Scriptura*: hoc Sectarij omnes admittant. Atqui nulla est vera Scriptura in mundo nisi eam habet Ecclesia Romana. Patet, quia Scripturam suam Lutherus, Caluinus, &c. ab Ecclesia Romana primò acceperunt, ex qua ipsi prodierunt. Ergo nulla est vera Christi Ecclesia in mundo si Romana non sit vera; & Scripturarum diuinarum custos infallibilis: adeoque nec vera erit Lutherana, Caluiniana, & sic de cæteris modernis. En quomodo dum volunt illi Ecclesiam Romanam confodere, per illius latus seipsos interimunt.

Addo

Adde & alterum: Vera Christi Ecclesia debet esse *perpetua*. Hoc enim Christus ab initio suæ Ecclesiæ promisit. Atqui nulla præter Romanam potest perpetuam illam à tempore Christi successionem per vmbram in se ostendere: Non tua Luthere, non tua Caluine, quæ tantum postremo sæculo velut fungus hesternus in terris comparuit, & sic de alijs Sectis modernis Ergo nulla est in terris vera Christi Ecclesia, nisi vera sit Romana. Vide igitur, Sectarie profuge, quo te conuertas vt veram Christi Ecclesiam in toto mundo repetias, nisi cum Prodigo reuertaris In domum Patris, siue Matris tuæ Ecclesiæ Romanæ, à qua velut in regione longinqua profugus aberras.

IV. Hic igitur aliud dici non potest, quàm Sectam Lutheranam, & Caluinianam manifestè falsam esse, & se euertere; dum docet Ecclesiam olim à Christo institutam potuisse aliquando deficere. Vnde clarè sequitur Ecclesiam Romanam, quam ipsi Sectarij admittunt primis 4. vel 5. sæculis, fuisse veram Christi Ecclesiam, non potuisse errare, & à vera fide deficere: aliàs enim iam non constaret, vllam in mundo existere veram Christi Ecclesiam.

## ARGVMENTVM VI.

*Si Ecclesia Romana non sit vera, perierunt in æternum Maiores nostri, Martyres, Confessores, &c. qui ante Lutherum per 12. sæcula vixerunt; vel vt certa agnoscenda est Fides Romanæ Ecclesiæ.*

I. SI Secta Lutherana vel Caluiniana vera esset Christi Religio, sequerentur ea quæ quiuis, etiam Lutheranus vel Caluinianus, horret admittere. Ergo fateri debes Sectas illas tuo etiam iudicio veritati repugnare.

Sequeretur enim ex doctrina Lutherana, & Caluiniana, Ecclesiam Romanam à vera fide aberrare, adeòq; impiam, & sacrilegam esse. Ac proinde Christianos, qui vixerunt à tempore, quo aiunt defecisse Ecclesiam, nempè per integra duodecim sæcula ante Lutherum, in æternum periisse, ac omnes nostros, vestrosque Maiores, qui per tot sæcula Ecclesiam tantùm Romanam agnouerunt, à vera Fide, & salute æterna excidisse. Nisi quia impiè fingat Christum permisisse, suam Ecclesiam visibilem per 12. sæcula inuincibili veræ Fidei ignorantia altè sopitam iacere.

Hæccine sunt promissa Christi de duratione suæ veræ Ecclesiæ, *Porta inferi non præualebunt aduersus eam*, &c. quam ipsi Sectarij admittunt saltem 4 primis sæculis fuisse Romanam. Hic igitur non minus ipse Christus, quam Ecclesia Romana ineusatur.

II. An ergo à Fide, & salute aberrarunt passim omnes illi qui pro diuino cultu in tota Europa, & reliquo orbe Christiano, tot Templa, tot Cœnobia, tot Collegia, tot Religionis Christianæ monumenta per duodecim sæcula summa pietate, ac studio erexerunt, Qui sua bona, ac seipsos tota vita diuino obsequio manciparunt? Perierunt quotquot eo tempore vixerunt viri sanctitate, ac miraculis toto orbe celebrati, Benedictus, Patricius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, alijque Sancti innumeri, quorum virtus, & vita tot Cœlestibus prodigijs comprobata fuit. Perierunt tot milleni Martyrum, qui pro tuenda Religione Romana contra tyrannos decertarunt, sunmque sanguinem ac vitam profuderunt, nisi forte aliquos inuincibilis ignorantia excusauerit? Hi enim non aliam quàm Ecclesiam Romanam agnouerunt, quàm Lutheranam, & Caluinianam impiam, & sacrilegam esse profitentur.

III. Hinc igitur vt dixi, sequeretur vlterius, Christum Ecclesiam suam tanto labore, & amore instituram, per duodecim sæcula defecuisse; cui tamen dixit: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi*: Reliquisse illam sub impietate, & potestate Sathanæ, cui tamen promisit; *Portæ inferi non præualebunt aduersus eam*: Et per Apostolum, eam fore *columnam, & firmamentum veritatis*.

Frustrà igitur duodecim illis sæculis à Romana Ecclesia prædicatum est toto orbe Christi Euangelium: Frustrà tot Gentes à Paganismo ad Ecclesiam Romanam conuersæ: Frustrà fuere tot sæculis Sacramenta, & alia salutia media à Christo instituta: Frustra fuit ipsa Christi Passio, Mors, & Redemptio, donec tandem Lutherus Ecclesiæ Romanæ Sacerdotium, & Cælibatum deleruit, & ad connubia, omnemque carnis libertatem prouolauit, atque ita Ecclesiam prolapsam restauravit, & viam cœli, quam Christus dixit angustam, verbo, & exemplo laxam, & spatiosam fecit. Denique donec in eastitissima illa vniuersalia Ecclesia *Sasanna* nouas Fidei labes confinxerunt duo illi lubrici veteratores, Lutherus saxo excommunicatus, & Caluinus publicè stigmatibus, de quibus erroribus neque tot Patres Sanctissimi, nec tot Concilia per tot sæcula, eam vnquam accusarunt. Quis ratione præ-

diuus

ditus hæc non ludicra, non inſana, non meriſſima figmenta indicabit?

IV. Quod ſi tandem dicas, hæc nullo modo admittenda eſſe, ac potuiſſe ſemper Maiores noſtros etiam in Religione Romana ſalutem adipiſci; neceſſarium erit te hoc modo vlterius ratiocinari.

Omnes omninò tam Catholici, quam Sectarij fatentur, in Eccleſia Romana poſſe ſalutem obtineri: Omnes autem Catholici, qui ſunt maxima pars omnium Chriſtianorum, omni tempore, & vno ore affirmant, me in Secta Lutherana vel Caluiniana non poſſe ſaluari. Ergo, ſi volo eſſe certus, & ſecurus de ſalute æterna, debeo eligere Eccleſiam Romanam, in qua omnes fatentur, me poſſe ſaluari, non verò Lutheranam aut aliam, in qua maxima pars orbis Chriſtiani abſolutè negat ſalutem poſſe obtineri. Hoc argumento Henricus IV. Galliarum Rex, poſtquam apud ſuos Miniſtros rem Fidei diligenter examinaſſet, profeſſus eſt, ſe ad Eccleſiam Romanam fuiſſe conuerſum, vti videre eſt apud Hiſtoriæ Gallicæ Scriptores.

## ARGVMENTVM VII.

*In ſola Eccleſia Romana perſiſtit gloria Miraculorum, à Chriſto veræ Eccleſiæ promiſſa.*

I. MIraculis Eccleſiæ Romanæ quaſi coniuratione facta nouum bellum nuper indixit *Stillingfletus* in Anglia, *Zuickerus* in Hollandia, *Danhauerus* in Germania. Sed eorum impetum validè repreſſit, fregit, protriuit ex Anglia noſter *VVorlqus*, ex Germania *Cornęus*, alijque germanæ fidei pugiles ſtrenuiſſimi. Hic autem pro inuicto miraculorum teſtimonio breui methodo ſic argumentaberis.

Chriſtus eodem modo contulit veræ Eccleſiæ poteſtatem prædicandi Fidem, & operandi Miracula Mar.16.v.15. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*. Et ſtatim ſubdit: *Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia ejicient.... ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt, &c.* Sed ſi Eccleſia Chriſti hoc tempore perſeuerat poteſtas prædicandi fidem: Ergo etiam virtus operandi Miracula. Cùm enim abſque vlla temporis limitatione fuerit hoc priuilegium veræ Eccleſiæ conceſſum, ſine ratione aſſeritur illi iam ereptum eſſe cùm nullo modo oſtendi poſſit quo modo, aut quo tempore fuerit reuocatum, imò aſſidua tot miraculorum experientia comprobet, poteſtatem illam adhuc in Eccleſia Chriſti perſeuerare.

II. Ex his porrò conficitur hoc argumentum cuiuis ſanę mentis hominis manifeſtum. Miracula ab initio indicarunt veram Chriſti Eccleſiam, & Chriſtus promiſit ea in ſua Eccleſia permanſura, vt iam oſtenſum eſt. Atqui miracula in ſola cernuntur Eccleſia Romana: Ergò hæc ſola eſt vera Eccleſia Chriſti. Aliàs nulla in terris dabitur Chriſti Eccleſia: cùm nulla prorſus alia Secta poſſit illam miraculorum gloriam ſibi vindicare.

Fruſtrà autem ex odio Religionis Romanæ cum Sectariis illis, hanc miraculorum gloriam non Deo, ſed dæmoni adſcribes: ſic enim Iudæi olim Chriſti miracula calumniabantur; *in Beelzebub Principe dæmoniorum ejicit dæmonia*, quæ tamen conſtat fuiſſe vera miracula, & ſigna Fidei certiſſima. Deinde innumera Eccleſiæ Romanæ miracula omnem dæmonis poteſtatem longiſſimè excedunt, vt mortuos ad vitam excitare, morbos incurabiles momento curare, cæcis viſus, ſurdis auditum, claudis ingreſſum reſtituere. Vti non ita pridem coram multis teſtibus factum conſtat Cæſaraugustæ in Ioanne *Pellicero* Aragonio viro notiſſimo, cui integra tibia dudum amputata diuina virtute ſubitò reſtituta eſt. Mortuos à *S. Martino*, & à *S. Dominico* tres, à *S. Xauerio* ſupra viginti, ab alijs noſtro æuo plurimos *vita reſtitutos*, ijs teſtimonijs comprobatum inuenies, quibus nihil poteſt eſſe in rebus humanis certiùs aut euidentiùs. Teſte autem *D. Auguſtino* l.22.de Ciuit. c.8. miraculum vel vnicum, quod conſtat à Deo factum, ad certiſſimum veræ Fidei teſtimonium ſufficere debet.

III. Ad hæc friuola prorſus ſunt Doctoris *Stillingfleti* reſponſa, Miracula ſcilicet hæc eſſe longinqua, interuallo temporum, & locorum multas endi fabulas, multos creſcere tumores, multa hominibus erednlis imponi Et ad tibiam illam Ioanni Pellicero publico prodigio reſtitutam, ſufficit illi per ludibrium reponere, iſto interuallo loci, & temporis quo fama huius prætenſi miraculi ex Hiſpania in Angliam tranſibat, facile potuiſſe Pelliceri ſtipitem lignenm In tibiam excreſcere.

IV. At ſi liceat huiuſmodi facta publica, & ſeuero iudicio ſubiecta, & iuratis teſtibus comprobata, vnius Stillingfleti inani ludibrio in figmenta conuertere, videat quæſo, ne ſuum quoque nomen, & perſonam, & titulum, vt inanes fabulas, & popularis auræ fumos poſteris tranſmittat. Quæro enim, ſi illius iudi-

iudicio insistas, quis hominum post pauculos annos credet extitisse Doctorem Stillingfletum, in Academia Cantabrigensi studuisse, legitimè examinatum fuisse, Doctoris lauream consecutum esse. Dicam ego, dicent posteri, hunc Doctoratus gradum, quamuis publicis tabulis, & testibus consignatum, solo populi rumore Stillingfleto accreuisse.

At, inquis testimonium de patrato miraculo res ast supra naturam posita. Erras, mi Doctor; miraculum quidem ipsum naturæ vires excedit, prodigium verò iam patratum oculis intueri, manibus palpare, iuramento testari, auctoritate publica, & indubitata consignare, hæc nihil habent prærer consuetas naturæ leges, & normam communam, qua solent res gestæ certa fide comprobari. Mirum in re tam aperta halucinari hominem, qui cupit in Doctorum numero celebrari. Sed illi nouum non est, pro solidis argumentis, inanes iocos, & facetias venditare.

V. Ne vero ad iabefactandum hæc miracula ad Dæmonis opem iterum confugiat Aduersarius, illum breuitar interrogo: Si ad faciendos homines Dæmon operetur miracula in Ecclesia Romana; an id faciat potestate diuina, an virtute propria? Non potestata diuina, quia si Religio Romana sit falsa, non potest Deus illam miraculorum testimonio tanquam suo sigillo comprobare: Hoa enim esset Deum falsæ doctrinæ subscribere, atque ita homines in fraudem inducere. Non atiam propria dæmonis virtute ad homines fallendos: quia sic dæmon multò magis operaretur miracula pro secta Turcarum, & Iudæorum, vt in eam magno suo lucro homines inducere. Ergò miraculorum gloria in sola Romana Ecclesia perseuerans à solo Deo procedere potest, vt hoc signo, & testimonio, vti olim, ita hoc tempore, veram Ecclesiam hominibus demonstraret.

VI. Et verò vt in ea inuenienda homines essent inexcusabiles, extara voluit quædam miracula publica, & perpetua, & omnibus facilè conspicua, si Angli, & Batauica cura, qua opes, & merces peregrinas, vere Fidei Testimonium inquirarens. Reperirent in Italia, & in ipso Religionis Romanæ gremio domus Lauretanæ miraculum publicum, & omnibus scire volentibus perpetuò conspicuum. Neapoli ampullam sanguinis S Ianuarij Martyris, qui in præsentia Corporis conditutua miraculosè ebullit. Compostellæ in Hispania reliquias S. Iacobi ob probatissima indies miracula à toto orbe Christiano frequentatas. Vt præteream in Belgio Virginem Aspricolensem, Hellansem, & alia eiusmodi loca manifestis Dei miraculis continuò illustrata, ex quibus Ecclesiæ Romanæ Aduersarij reddunt prorsus inexcusabilas.

Postremo, quantum ponderis habeant Miracula ad commonstrandum veram Ecclesiam, ipsi aduersarij suo calculo sæpius comprobarunt. Quid enim? Si nostri, aut superioris æui miraculis, nihil tribuendum, quid Lutheri artes, quid Caluini fraudes in illis fabricandis tanto studio insudarunt.

Nota est apud Staphylum, qui actioni interfuit, & tastatam reliquit *Libro* qui inscribitur *Absoluta responsio*, historia Lutheri, qui vt à miracnli testimonio, Prophetæ à Deo missi sibi nomen vsurparet, fœminam à demone possessam Dei nomine à se liberandam multo apparatu suscepit. Sed post ingeminatos clamores, & irrita conamina, tandem ipse à dæmona in eas angustias redactus fuit, vt ab eo congressu validiorem dæmonis insultum vix viuus euaserit.

VII. Tantam tamen in miraculis vim agnouit, vt non dubitauerit ab illis itarum, iterumque aliquod fuę doctrinæ præsidium emę. dicare, de tota Ecciasia suo iudicio triumphaturus, si vel vnicum impetrasset. Itaque teste Cochlæo in vita Lutheri, dum quendam nomine Nesenum in Albi submersum comperisset, spei plenus accurrit, preces prolixas ingeminat, sed nihil proficit; sacra carmina de mortui auribus insusurrat, sed & hæc surdo canit. Denique cum nihil intentatum relinqueret, vt cadaueri vocem aliquam ant motum extunderet, non aliud quàm spectantium risum, & opprobria impetrauit; qui in hoc Martini sacinore, nullum nisi temeritatis, & audaciæ prodigium spectauera.

VIII. Alia his similia, nec dissimili auentu tentarunt alij Lutheri assectæ apud Coclæum ad ann. 1533. qui vt se veridicos Prophetas populo probarent, diem extremi indicij, à se designatum præ foribus adesse prænunciarunt. His Prophetis credali nimis agricoiæ ferere & arare desierunt, sed, & viuere breui desijssent, nisi inani expectatione tandem edocti, in Ministris suis vanos vates agnouissent.

IX. Neque his cedunt artes, & machinamenta Caluini, qui in hoc erat sedulò intentus, vt aliquo patrati miraculi testimonio doctrinæ snæ fidem conciliaret. Rem sic agressus ast, teste Bolseco in vita Caluini cap. 13. Vir inops Peralæus nomine cum vxore Osiuno Geneuam demigrat, à Cainino inopiæ suæ subsidium postulat, anuit perbenignè, & si illi vicissim in adornanda quadam miraculi spe-

cie

cie operam ſuam, & fidem commodarent. Brulæus, vt lubetur, morbum ſimulat, Miniſtri pro concione ægrum populi precibus commendant. Paulo poſt miſer ille, vt prius ægri, ita nunc defuncti perſonam induit. Monetur Caluinus, & quaſi rei ignarus aum amicorum caterua ad defuncti domum diuertit, vbi cum Brulæi vxor ploratu ac lachrymis ſcenicum hoc funus egregiè adornaſſet, Caluinus in genua prouolutus, & fuſis ad Deum precibus rogat, in teſtimonium ſuæ doctrinæ defunctum hunc ad vitam ſuſcitari; atqua apprehenſa eius manu, alta voce iterum iterumqua imperat vt ſeſe erigat, & ad vitam redeat. At ecce nouum miraculi genus, qui ſe mortuum ſimulauit, iam verè mortuus repèritur, quo viſo vxor attonita, & in ſerias lachrymas, & querelas effuſa, infauſtas Caluini technas omnibus ex ordine referauit. Interea remanſit mulier infelix ſine viro, & Caluinus infelicior ſine miraculo.

X. His adde, Sectarios qui obijciunt Miracula omnia tanquam *incerta* Notam fidei certam non conſtituere, *ſeipſos* manifeſtè iugulare.

Nunquam enim oſtendent illi, pro authoritate infallibili Scripturarum quibus credunt notam ſe habere certiorem quam miracula Chriſti, & Apoſtolorum, qui eas tanquam Dei verbum hominibus tradiderunt. Rogo te paucis (Sectaria) quomodo ipſum Chriſtum vt Filium Dei, quomodo Apoſtolos vt certos veræ fidei præcones admittes, ſi omnia omnium tamporum miracula excludas? Hic certò vacillabis, hic hærebis, hic demum prima Fidei fundamenta conuelles, niſi miraculorum Notam vt certum fidei firmamentum admittas.

Quod ſi potius ad Spiritus tui priuati teſtimonium racurras, iterum tibi eodem teſte fauces occludis. Si enim iſta publica miracula prorſus omnia, vt notam fidei incertam, excludis, qua veri ſpecie ſpiritum tuum priuatum, & ignotum, vt teſtimonium Fidei indubitatum vlli ſanæ mentis homini perſuadebis? Hæc certè pro intellectu rationem non auerſante manifeſtè concludunt: ſed de fucato ſpiritus Priuati teſtimonio pluribus infra *Cap. VI.*

## ARGVMENTVM VIII.

*Sola Eccleſia Romana habet infallibilem Fidei Regulam, & deciſionem controuerſiarum.*

XI. VEra Chriſti Eccleſia debet habera infallibilem fidei ſuæ Regulam, qua poſſit dirimere controuerſias in Negotio Religionis frequenter amergentes, ac ſententiæ à ſe prolatæ rationem, ac fundamentum aſſignare, in quo poſſit intellectus certò, & ſecurè acquieſcere. Nam ſine tali Regula, & Iudice controuerſiarum omnia erunt incerta, a e plena litibus interminatis: adeoque talis Religio non erit vera Religio, quæ debet eſſe rerum omnium certiſſima.

XII. Atqui Eccleſia Lutherana, & Caluiniana nullam poſſunt talem ſuæ fidei Regulam exhibera, poteſt autem Eccleſia Romana. Ergo hæc ſola potaſt eſſe vera Chriſti Eccleſia.

Minor probatur, quia talis Regula non potaſt eſſe ſola Scriptura, aut Spiritus priuatus, aut alia, quæ à modernis Sectarijs prætenduntur, vt de ſingulis à ſequenti *cap.* 4. oſtendemus: hic enim agitur de Ipſo veræ Eccleſiæ fundamento, ſine quo eius fidem nutare, ac corruere neceſſe aſt.

Atque eadem opera diſſoluentur obiectiones, & effugia, quibus Sectarij contra claram veritatis lucem hactenus demonſtratam ſa miſerè inuolui patiuntur: modò prius quatuor principales veræ Eccleſiæ Notas in prædictia contentas hic breuiter colligamus.

## CONCLVSIO.

*De Notis veræ Eccleſiæ, cum quarundam Obiectionum diſſolutione.*

I. EX argumentis hactenus à *cap* 4. in forma deductis facilè conuincitur, ſolam Eccleſiam Romanam habere quatuor illas certiſſimas veræ Eccleſiæ Notas ab initio à Patribus, & Concilijs, in Symbolo atiam Niceno, & Conſtantinopolitano recaptas. Nempe quod ſit *Vna* vnitate doctrinæ fidei, vnitate Capitis à Chriſto inſtituti, vnitate Mambrorum in participatione Sacramentorum, & in profaſſiona etiam externa eiuſdem fidei. Quod ſit *Sancta* per doctrinam, & media quæ à peccatis abducant, ac per miracula veram morum ſanctitatem confirmantia. Quod ſit *Catholica*, ſiue vniuerſalis, per extenſionem ſui ad omnia tempora, & ad omnia loca ſaltem ſucceſſiuè, vti Chriſtus ſuæ Eccleſiæ in ſcripturis promiſit. Quod ſit *Apoſtolica* per ſucceſſionem continuam, ordinationem, & iuriſdictionem ſuorum Miniſtrorum à Chriſto, & Apoſtolis. Quæ omnia ſimul ſumpta in ſola Eccleſia Romana reperiri, in argumentis à *cap.* 4. deductis ſupra demon-

monſtratum eſt. Sed, & hic paucula de his porrò obiecta breuiter diluemus.

II. Obijcinnt primò, contra *Vnitatem* in Eccleſia Romana, etiam Mahumetanos poſſe illam vnitatem in ſuo cætu, & ſua doctrina prætendere: ac proinde in illa vnitate non poſſe conſtitui aliquam notam veræ Eccleſiæ.

Reſp. diſtinguendo aſſumptum: Poſſunt illi prætendere aliquam vnitatem *generícam*, qualem habnerunt variæ Reſpublicæ, etiam Ethnicæ, quæ huc non pertinet, tranſeat aſſumptum: Poſſunt prætendere vnitatem illam *ſpecificam* Religionis Chriſtianæ, de qua hic agitur, negatur aſſumptum. Hìc enim agitur de vnitate quam Chriſtus in propria Eccleſia requiſiuit, quæ nempe ſit vnitas eiuſdem Fidei, Capitis, & membrorum Eccleſiæ Chriſtianæ, qua vera Chriſti Eccleſia diſcernatur à Sectis falſis quæ Eccleſiam illam ſibi vindicant, & pro qua in particulari diſcernenda Chriſtus eas Notas in ſcripturis deſignauit. Adde: Etſi Mahumetanis, aut aliis vna aliqua ex illis quatuor Notis concederetur, nihil inde contra noſtram doctrinam poſſe inferri, cum non habeant illi copulatiuè omnes quatuor ſimul coniunctas, quod ad veram Chriſti Eccleſiam à falſis ſectis diſcernendam à Patribus, Conciliis, eorumque Symbolo copulatinè deſignatur: *Credo in vnam, ſanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam.*

III. Obijciunt ſecundò: In Eccleſia Romana varias eſſe Scholas, quæ in plurimis controuerſijs, [ & hodiè vel maximè ] inter ſe opponuntur. Ergo Eccleſia illa deſtituitur nota Vnitatis.

Reſp. neg. conſequentiam: Scholæ enim illæ conſentiunt Eccleſiæ in omnibus quæ circa ſuas controuerſias definit: ſi qui autem contumaciter nolit conſentire [ vt olim Lutherus, alijque ] hoc ipſo à corpore Eccleſiæ ſeparantur, & deſinunt eſſe illius membra. Nemo autem poteſt tollere vnitatem Eccleſiæ qui iam eſt extra Eccleſiam, non magis Ethnici, aut Iudæi.

IV. Obijciunt tertiò, contra notam *Sanctitatis*: Eccleſia Catholica comprehendit tanquam membra tam iuſtos, quam peccatores, qui magnam illius partem conſtituunt: Ergo non competit illi nota ſanctitatis.

Reſp. neg. conſequentiam: Quamdiu enim peccatores illi fidem Eccleſiæ ſanctam profitentur, ſunt illius membra ſanctitate *profeſſionis*, quamuis non ſanctitate *morum*. Retinent enim illam fidem quæ ſanctitatem morum præſcribit, etſi ſuo vitio in actionibus moralibus illius præſcriptum non obſeruent. Sic Schola dicitur docta, aut ſancta, quæ tradit ac profitetur doctrinam ſolidam, & ſancta morum præcepta, quibus plurimi ex diſcipulis inſigniter perficiuntur, etſi non pauci diſcoli aliqua ex ijs præcepta non exequantur. Ridendi hic potiùs Aduerſarij, qui iactant Eccleſiam ſuam totam eſſe ſanctam, ſed ſanctitate tantum interna, & *inuiſibili*, quia complectitur ſolos prædeſtinatos. Sed quid hoc aliud eſt, quam latebras captare, & Eccleſiam ſuam manifeſtare per notam maximè ignotam, & omnibus inuiſibilem.

Obijciunt quartò, contra notam *Catholicæ* ſiue vniuerſalis; Nulli Eccleſiæ magis competit hæc nota quam Atheiſmo, aut Turciſmo, vtpote qui maximam orbis partem occupauit. Ergo Catholicam eſſe, non eſt nota veræ Eccleſiæ.

Reſp. neg. antecedens: Nam Religio Romana non tantum alias orbis partes, ſed etiam Græciam, & alias regiones Turcæ nunc ſubiectas pridem peruaſit, vti ex hiſtoria Eccleſiaſtica manifeſtum eſt, præter alia regna ad quæ in Europa, Africa, & America ſeſe extendit, imò aſſiduò magis magiſque ad Sinas vſque propagatur. Oculos quæſo erigant, & eum his orbis partibus ampliſſimis ſuos angulos metiantur Sectarij.

V. Obijciunt quintò, contra notam *Apoſtolicæ* ſucceſſionis: Succeſſio illa Pontificum Romanorum ſæpe fuit ſpatio temporis interrupta, vacante ſede Pontificia. Sæpe etiam fuerunt ſimul aliquo tempore plures Antipapæ, ſic vt de legitimo non conſtaret. Ergo ſucceſſio illa ab Apoſtolis non eſt continua, & certa, cum fuerit interuallo temporis ſæpius interrupta.

VI. Reſp. neg. conſequentiam: Quia ſucceſſio tot ſæculorum, vt dicatur continua, non excludit quamlibet temporis interruptionem, ſed tantum moralem ac diuturnam, reſpectiuè ad durationem tot ſæculorum; vti cernitur in *præſcriptionibus* etiam rerum priuatarum, quæ requirunt lapſum temporis reſpectiuè diuturnum. Quomodo huius continuæ ab Apoſtolis ſucceſſionis vmbram aliquam prætendent noſtri Sectarij, qui à ſuis incunabulis vix primi ſæculi iubilæum celebrarunt.

Quæres, quas igitur Notas prætendant Sectarij moderni ad comprobandam ſuæ Sectæ veritatem?

Reſp. Quoniam quatuor iſtas Notas Romanæ Eccleſiæ proprias in ſua Secta non reperiunt, Aſſerunt illi duas præ omnibus notas requiri-

quiri ac ſufficere: 1. Sinceram prædicationem verbi Dei, ſiue ſacræ Scripturæ: 2 Legitimum vſum Sacramentorum.

VII. Sed vtrumque prorſus ineptè: neutrum enim poteſt pro Nota inſeruire, cum neutrum poſſit eſſe hominis notius, quàm ipſa veritas Eccleſiæ de qua inquiritur. Adeòque contra prima Philoſophiæ in ratiocinando principia, aliud hoc non eſt, quàm probare idem per idem, ignotum per æquè ignotum, denique petere principium, ſiue id quod in quæſtione verſatur. Tam enim in quæſtione eſt, in quo hominum Cœtu ſit verbi Dei ſincera prædicatio, & Sacramentorum vſus legitimus, quàm quæ ſit præ cæteris vera Eccleſia.

Cum porrò in vera Eccleſia neceſſariò requiratur legitimus *Iudex controuerſiarum Fidei*, de illo hic opportune agemus.

## CAPVT IV.

### *Oſtenditur ſolam Scripturam non eſſe Regulam Fidei, aut Iudicem controuerſiarum.*

I. PRobatur primò: Si ſola Scriptura ſufficeret pro Regula Fidei, & Iudice controuerſiarum, ſic pronuntiaret ſententiam de ciuiuam vt litigantes clarè intelligerent pro qua parte ſtet Scripturæ ſententia, eiuſq; iudicio acquieſcerent: Sed hoc ſola Scriptura præſtare non poteſt: Ergo non eſt ſufficiens regula aut iudex pro dirimendis fidei controuerſijs.

Minor apertè patet vel ex eo, quod ipſi Lutherani, & Caluiniſtæ de varijs fidei articulis, vt de reali Chriſti præſentia, de Baptiſmo paruulorum &c. multis annis inter ſe contendant, & ad mentem Scripturæ magno ſtudio vtrimque recurrant. Et tamen hactenus neutra pars ſententiam deciſiuam contra ſe latam eſſe agnoſcit, ſed pergunt adhuc eo, quò cœperunt, ardore, & incertitudine authoritatem Scripturæ ſibi vtrimque vindicare, & pergent vſque in diem iudicij, ſi pro declarando Scripturæ ſenſu, de quo vtrimque litigatur, alium iudicem non admittant. Scriptura enim omnem, quam latura eſt, ſententiam iam dudum pronuntiauit.

Rem exemplo illuſtremus: Scriptura refert Chriſti verba in vltima cœna. *Comedite & bibite ex hoc omnes*. & eodem loco Chriſtus dicit, *Et vos debetis alter alterius lauare pedes*.

II. Vndè quæſo ſciemus, quod priora verba contineant præceptum ſumendi Euchariſtiam, & poſteriora non contineant ſimile præceptum lauandi pedes? cum in his magis expreſſè per modum præcipientis Chriſtus dicat, *& vos debetis* &c. Certè hoc non ex verbis Scripturæ, ſed ex iudicio, & conſuetudine Eccleſiæ conſtare poteſt. Et ſi quis modò contenderet poſteriora verba imponere præceptum lotionis pedum; nunquam poſſet lis illa ex ſola Scriptura decidi.

Secundò. Aliquæ ſunt fidei controuerſiæ, quarum in Scripturis nulla penè mentio habetur: Ergo in his dirimendis extra Scripturas alius omninò iudex eſt neceſſarius. Controuerſia olim erat, An baptizati ab hæreticis ſint rebaptizandi. Affirmauit S. Cyprianus, negauit S. Auguſtinus: ſuam tamen ſententiam quamuis ſit vera, & fidei, non potuit Auguſtinus ſufficienter ex Scripturis probare; Sic enim ſcribit lib. 5. de Bapt. contra Donat. cap. 23. *Conſuetudo illa, quæ opponebatur Cypriano, ab Apoſtolorum traditione exordium ſumpſiſſe credenda eſt*.

Vlteriùs quæro, Quo loco Scriptura ſtatuit, vt forma Baptiſmi pronuntietur lingua patria, vt faciunt Nouatores? Vt infanti in Baptiſmo Nomen imponatur: Vt merſio trina adhibeatur? Aut vt Chriſtiani non Sabbathum, ſed diem Dominicum colere debeant? Alia ſunt huiuſmodi plurima extra Scripturas deciſa aut conſtituta, quorum aliqua non niſi admodum obſcurè: alia nullo modo in ſacris Paginis commemorantur: Et tamen ea apud ipſos Sectarios pro deciſis, & certis habentur: ergo illorum deciſio extra Scripturas haberi debet.

III. Tertio, In Republica Ciuili non ſufficiunt Codices legum, ſed requiritur alius Iudex qui ſententiam ferat inter partes litigantes. Ergo in republica Eccleſiaſtica non ſufficiunt Codices Scripturarum ſine alio Iudice qui exorientes de Fide controuerſias decidat. Nam ſicut in repub. Ciuili ſæpè lis eſt de ipſa legum interpretatione, ita in Eccleſia ſæpè controuerſia eſt de ipſo ſenſu, & explicatione Scripturarum, vti aſſiduè videmus. Sicut igitur lex, quando de eius mente dubitatur, non poteſt per ſe litem dirimere, ita neque Scriptura poteſt de ſeipſa ſententiam ferre ſine alio Iudice, quem Deus ordinare debuit, ne alioquin Eccleſiam ſuam relinqueret in perpetuis controuerſijs, à nullo prorſus viſibili Iudice determinandis.

IV. Neque refert primò, quod *Ioan. 5.* & alibi inbeamur ad inquirendam veritatem legere & ſcrutari Scripturas. Nam Iudices debent etiam legum ſtudio incumbere: non ideò tamen

men in omni iudicio ſolæ leges ſine Iudicis ſententia ſufficiunt.

V. Neque refert 2. quòd Scriptura ſit Regula, & norma veritatis. Nam licet in ſe ſit norma veritatis; vbi tamen de eius ſenſu litigatur, non ſemper conſtat hominibus ex qua parte ſtet illa veritas. Ideo neceſſaria eſt alia veritatis Regula ſiue Iudex, qui id certò declaret. Hanc autem declarandi poteſtatem infallibilem, & Spiritus ſancti aſſiſtentiam, promiſſam & collatam eſſe à Chriſto ſuæ Eccleſiæ infra cap 8. probandum erit.

## CAPVT V.

*Præcluditur effugium aſſerentium Scripturam per ſe claram eſſe & apertam.*

I. PRobatur enim contrarium primò, ex ipſius Scripturæ teſtimonio. Nam Actor. 10 Eunuchus, interrogatus à Philippo. Putaſne intelligis quæ legis? Reſpondit, *& quomodo poſſum, niſi aliquis oſtenderit mihi?* Et 2. Petri cap. vlt. aſſerit S. Petrus quædam contineri in epiſtolis D. Pauli *Difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depranant.*

Neque dicas difficilia eſſe ſolis improbis & indoctis. Nam S. Auguſtinus, quem certè nemo improbum aut indoctum iudicabit, lib. de fide & operib. cap. 15. diſertè fatetur ibi intellectu difficillimum eſſe locum illum 1. ad Cor. 3. *Si quis ſuperædificat ſuper fundamentum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœnum ſtipulam, vniuſcuiuſque opus manifeſtum erit.*

II. Qui autem aliter ſentire præſumit, interrogandus eſt in particulari, An ipſe, & alij eiuſdem Sectæ clarè intelligant hunc locum Eccl. 44. *Melior eſt iniquitas viri, quàm mulier benefaciens.* Et 1. ad Cor. c. 15. *Quid facient qui baptizantur pro mortuis, ſi mortui omninò non reſurgunt?* Item quomodo conſiſtit id quod Iacob dicit Gen. 5. *Vidi Deum facie ad faciem*, cum eo quod dicit Dominus Exod. 33 *Non videbit me homo, & vivet.* Et Pſal. 1. *Non reſurgent impij in iudicio*, cum eo quod habetur 1. ad Cor. 15. *Omnes quidem reſurgemus.* Et Luc. 23. dicitur Chriſtus *crucifixus ſexta feria*, cùm tamen ſcribatur Marci 15 v. 25 fuiſſe *horam tertiam quando crucifixerunt eum.*

III. Denique ſcriptum inuenies Prouerb. 24. v. 4 *Ne reſpondeas ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam*, cùm tamen poſtea in eodem capite legatur, *Reſponde ſtulto iuxta ſtultitiam ſuam.* Et alia huiuſmodi: quæ ſi aduerſario proponas, Scripturam per ſe non eſſe claram, præſenti experimento deprehendes. Nam ad id quod clarum eſt, & clarè, & ſine hæſitantia reſpondemus.

IV. Probatur ſecundò ratione. Ille liber non poteſt eſſe per omnia clarus cuius materia, & modus ſcribendi ſæpe eſt obſcurus. In Scriptura autem, tam materia, quam modus ſcribendi frequenter eſt obſcurus: ergo &c. Patet primò quoad materiam. Continet enim myſteria ſupra naturam poſita, & ab hominum ſenſibus maximè remota, vt, de Deo trino & vno, & de Incarnatione Verbi, de Sacramentis, eorumq; inuiſibili operatione, & gratia interna, de æterna prædeſtinatione ac reprobatione, aliiſque Decretis diuinis maximè reconditis, de quibus verè dicitur: *Iudicia Dei abyſſus multa.*

Secundò, Modus, quo res illæ reconditæ in Scripturis proponuntur, multos habet tropos, qui ſolent eſſe difficiles; multos hebraiſmos, & modos loquendi hoc tempore obſoletos & incompertos, plurima etiam continet Prophetarum vaticinia & apocalypſes, tantùm ſymbolicè, & quaſi ſub ænigmate explicata. Hæc autem ex natura ſua in quouis ſcripto magnam pariunt intelligendi obſcuritatem. Qua ergo præſidentia poteſt quiſquam affirmare, hæc priorſus omnia in tota Scriptura ibi eſſe certiſſima, nuſquam occurrere dubium, aut controuerſiam?

V. Probatur tertiò eadem obſcuritas, ex tot commentarijs ſanctorum Patrum, & Doctorum, qui ab exordio Eccleſiæ ad noſtra vſque tempora Scripturis explicandis inſudarunt, quod minimè opus erat, ſi per ſe ſint claræ & apertę. Certè aliud ſenſit S. Hieron. in epiſt. ad Algaſiam q. 8. *Omnes*, inquit, *epiſtolæ ad Romanos nimijs obſcuritatibus inuoluta eſt.* Et candidè de ſe fatetur D. Auguſt. ad Ianuarium: *In ipſis ſacris Scripturis neſcio multò plura, quàm ſcio.* Qui modò contrarium de ſe affirmat, neceſſe eſt admittat, aut ſe ſupra Auguſtinum ſapere, aut id falsò præſumere.

VI. Idem apertè confirmant tot controuerſiæ Sectariorum omni tempore tam inter ſe mutuò, quàm cum Eccleſia Romana de vero Scripturæ ſenſu. Quomodo de ipſa vera Chriſti Eccleſia, quod eſt punctum Fidei primarium, & ad ſalutem maximè neceſſarium, tot annis ex Scripturis ſtrenuè diſputant inter ſe ipſi Sectarij, qui omnes dicunt, Verbum Dei ibi eſſe clarum & apertum. Quod minimè fieret, ſi Scripturæ ſenſus de vera Eccleſia ipſis eſſet manifeſtus, cum omnes ſe veram Scripturam recipere & venerari prontentur. Proprio igitur ore, facto, ſcripto ſeipſos condemnant.

VII. Fruſtrà autem pro Scripturæ claritate adferunt Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis Verbum tuum,*

*tuum* aut Pſ. 13. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos*. Nam neq; hæc de tota penitus Scriptura dicuntur: neque aliud important quam Scripturam, quando cognita & intellecta eſt, eſse lucernam, qua viæ, & operationes hominum rectè diriguntur.

Fruſtra etiam fingunt Scripturam elaram eſse prædeſtinatis, ſolis autem reprobis obſcuram. Nam ſic vel maximè elarus Scripturæ ſenſus manet hominibus perpetuò obſcurus: cum nulli conſtet quinam homines in particulari ſint reprobi, quinam electi. Neque admittent, vt arbitror, reprobum eſſe S. Auguſtinum, aut S. Hieronymum, qui Scripturas ſibi obſcuras eſse profitentur, vt ſupra oſtendimus.

## CAPVT VI.

### *Fruſtrà recurritur ad internum Spiritus priuati teſtimonium.*

I. DVm ex argumentis hactenus allatis euincitur, Sectarios, qui Eccleſiæ Romanæ authoritatem reijcinnt, deſtitutos eſſe ſufficienti regula fidei & indice controuerſiarum, eumque extra Scripturas quærendum eſse: recurrere demum coguntur ad latebras Spiritus priuati, cuius teſtimonio dicunt ſe interius in anima diuinitus edoceri, vt poſſint ſinguli de vero Scripturæ ſenſu iudicare, & reliquas fidei controuerſias dceidere.

Sed contra, Vanum & fictitinm eſſe illud ſpiritus priuati teſtimonium, certiſſimis argumentis hoc modo demonſtrabis.

Primò, Internum Spiritus Sancti teſtimonium non poteſt ſibi contradicere, Sed ſibi contradiceret, ſi illud haberent noſtri temporis ſectarij. Ergo Spiritus interni teſtimonium, quod prætendunt, eſt vanum & merè fictitium.

Minor probatur, Lutherani ex interno Spiritus teſtimonio dicunt Epiſtolam D. Iacobi non eſſe veram Scripturam, ſed potius inanem & ſtramineam, vt loquitur Lutherus: Caluiniſtæ autem ex eodem Spiritns inſtinctu affirmant eam Epiſtolam eſse Scripturam verè diuinam. Iterum, Lutherani aiunt per hæc Scripturæ verba, *Hoc eſt Corpus meum*, ſignificari realem Chriſti præſentiam; Caluiniſtæ contrà per eadem verba intelligunt ſolam figuram Corporis Chriſti. Hæc autem eſt manifeſta contradictio, pro qua tamen vtraque pars æquè ſtrenuè allegat internum Spiritus priuati teſtimonium.

II. Cùm verò in omni contradictione, alterutra pars neceſſariò debeat eſse falſa, ſequeretur primò, Spiritum Sanctum eſse auctorem falſitatis, quod eſt prorſus impium. Sequeretur ſecundò, nullum à Chriſto relictum eſse modū conuincendi aut iudicandi hæreſes, quas tamen ipſe præuidit neceſſariò emerſuras. Nam quinis Hæteticus non minus facilè affirmabit ſe habere internum Spiritus teſtimoninm, quam quiuis alius Sanctus & fidelis. Si interim extra Scripturam, præter Spiritum priuatum, nullum admittas iudicem in controuerſijs fidei, nullus omninò ſupererit modus hæreſes iudicandi; aut conuincendi. Poterunt enim ſinguli ſemper prætendere ſe habere internum & arcanum Spiritus Sancti dictamen, quod nunquam per alium Spiritum priuatum æquè arcanum & obſcurum debitè refelletur, nunquam enim poteſt aliquid incertum aut ignotum, per aliud æquè ignotum refutari.

III. Quando itaque Sectarius articulum aliquem ſuæ fidei, aut verum Scripturæ ſenſum probat ex Spiritu priuato hoc modo. Quod procedit ex interno Spiritu Sancti teſtimonio debet eſse verum. Sed mea Fides & interpretatio procedit ex interno Spiritus Sancti teſtimonio, ergo mea Fides & interpretatio debet eſſe vera.

Contra argumentaberis in eadem forma. Quod procedit ex interno Spiritus Sancti teſtimonio debet eſse verum; ſed mea Fides & interpretatio procedit ex interno Spiritus Sancti teſtimonio: ergo mea debet eſse vera. Quid iam reſtat Sectario, quo veritatem ſuæ fidei mihi declaret, aut vlli ſapienti, qui de ea edoceri cupit? Et tamen Scriptura 1. Pet. 3. monet Fideles quod debeant eſse *Parati ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationē de ea quæ in vobis eſt ſpe.*

IV. Quod ſi dicat, ſe potiùs quàm me poſſidere internum Spiritus Sancti teſtimonium; quia ſcilicet eſt in vera Eccleſia, vel quia eſt prædeſtinatus, vel quia Scriptura id teſtatur. Reſpondetur, hoc ipſum nunc eſse in quæſtione, ac proinde idem probat per idem, ac merum circulum committit. Quæritur enim, vnde conſtet te habere veram Eccleſiam, aut verum Scripturæ ſenſum? Reſpondes te id ſcire ex interno ſpiritus teſtimonio. Dum autem inquiritur, vnde cognoſci poſſit, te potiùs quàm me habere illud internum Spiritus teſtimonium? Reſpondes, quia ſum in vera Eccleſia. Vbi vides te circulo inextricabili bellè incluſum, neque per Spiritum priuatum vllum tibi, aut fidei controuerſijs exitum reperire.

His etiam argumentis manifeſtè conuellitur noua Secta *Tremulorum*, qui ſibi perſuadent ſe interno quodam Spiritus Sancti enthuſiaſmo edoceri, atque omnia ex arcano eius impulſu operari. Quamuis his Medico

magis

magis opus eſt quam argumento, vt ſanato cerebro, vaneſcant illa emotæ mentis deliria.

## CAPVT VII.

*Oſtenditur Traditiones neceſſariò eſſe admittendas.*

I. EXiſtimant Sectarij omnem doctrinam ad ſalutem neceſſariam tam quoad fidem, quam quoad mores in Verbo Dei ſcripto contineri, ideo Verbum Dei non ſcriptum, ſiue Traditiones omni conatu reijciſunt. E contra Traditiones neceſſariò admitti debere, & ad fidei Regulam pertinere, omnes Catholici docent, & demonſtrant.

Primò: Quia multa ſunt puncta fidei, quæ ex Scripturis cognoſci non poſſunt, ſed ex ſola Eccleſiæ traditione. Ergo Traditiones ſunt neceſſariæ vt habeatur Regula fidei adæquata. Aſſumptum probatur, ex eo quod punctum ſit fidei, extare Scripturas Diuinas. Hoc autem ex ipſis Scripturis non poteſt certò conſtare. Quamuis enim Scriptura aſſerat ſe eſſe Diuinam, non ideo certò conſtabit illam eſſe talem, niſi prius habeatur motiuum credendi Fide diuina ipſam Scripturam, quæ hoc affirmat, eſſe Verbum Dei quod errare non poteſt. Sicut etiamſi in Alcorano Mahometi ſæpe aſſeratur, ipſum Alcorani librum à Deo exiſtus miſſum eſſe, non ideo tamen illi credimus, aut tamquam à Deo miſſum recipimus. Ergo hoc punctum fidei quo credimus extare Sacras Scripturas, non poteſt haberi abſque perpetua Eccleſiæ traditione, quæ teſtatur hos libros ab initio à Deo inſpiratos & dictatos fuiſſe.

II. Secundò. Punctum fidei eſt etiam inter Sectarios receptum, diem Dominicum non Sabbathum eſſe colendum: Baptizatos ab hæreticis, non eſſe rebaptizandos: & apud Lutheranos, infantes dum baptizantur, per vſum rationis, internum fidei actum elicere, &c. De his tamen Scriptura nihil omnino decernit. Ergo neceſſarium eſt admittere aliquod Verbum Dei non ſcriptum quo hæc credenda proponuntur.

III. Tertiò, Traditionum neceſſitas multiplici Scripturarum teſtimonio comprobatur: & præcipuè ex S. Pauli Epiſt. 2. ad Theſſal. caput 2. *Itaque fratres tenete Traditiones, quas accepiſtis ſiue per Sermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram.* Vbi clarè indicat Apoſtolus, ſe multa tradidiſſe per ſolum ſermonem, quæ à fidelibus non minus obſeruari velit, quam quæ per epiſtolam ſcriptam expoſuit. Solo autem ſermone ea ſe tradidiſſe oſtendit, cum ſermonem ſuum ab epiſtola ſcripta diſtinguat, apertè dicens *ſiue* per ſermonem, *ſiue* per Epiſtolam. Ex hoc loco manifeſtè probari Eccleſiæ Traditiones fide recipiendas docet S. Chryſoſt. in eundem Apoſtoli locum. *Hic patet* (inquit) *quod non omnia per epiſtolas tradiderint, ſed multa etiam ſine literis, eadem vero fide digna ſunt tam iſta, quam illa.* Quid clarius? Eodem prorſus modo de mente Apoſtoli loquitur S. Baſilius, Oecumenius, Theophilactus, Damaſcenus.

Quartò, Idem eſt de Traditionum neceſſitate cæterorum Patrum ab ipſo Eccleſiæ exordio conſenſus. S. Dionyſius Areopagita, Pauli Apoſtoli Diſcipulus, Eccleſiaſticæ *Hierar. cap.* 1. Primi, inquit, illi Sacerdotalis muneris Duces ſumma illa & ſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis inſtitutionibus nobis tradiderunt.

IV. S. Baſilius cognomento Magnus anno poſt Chriſtum 369. doctrinam hanc apertiſſimè exponit lib. de Spiritu Sancto cap. 29. *Dogmata*, inquit, *quæ in Eccleſia ſeruantur ac prædicantur, partim ex conſcripta doctrina habemus, partim ex Apoſtolorum traditione in myſterio ad nos delata, quæ vtraque eandem ad pietatem vim habent, & nemo his contradicit, qui vel mediocrem ſaltem Eccleſiaſticorum iuriun experientiam habet.* Ac plures ibidem traditiones non ſcriptas continuò ſubiungit, vt Symbolum eſſe Apoſtolorum, Vnctionem in Sacramento Confirmationis adhibendam, aliaquæ quæ in Scripturis non memorantur.

V. S. Cyprianus, qui in Eccleſia Latina vixit ſecundo poſt Chriſtum ſæculo lib. 2. epiſtola 3. *Admonitos*, inquit, *nos ſcias vt in Calice offerendo Dominica traditio ſeruetur, nempe vt mixtus aqua offeratur*, De aqua in Calice miſcenda, certè nuſpiam in Scripturis admonemur.

S. Hieronymus traditiones apertè agnoſcit in epiſt. ad Marcellam de erroribus Montani. *Nos*, inquit, *vnam Quadrageſimam ex Apoſtolica Traditione tempore nobis congruo ieiunamus.* Alios Patres eandem doctrinam vno ore profitentes breuitatis ſtudio prætermitto, qui dum hæc, aliaque ex traditione agenda proponunt, hoc ipſo requirunt vt credamus ita agendum eſſe.

Auguſtinum tamen qui ſuo tempore Eccleſiæ primitiuæ Conciliis interfuit, plurimaſque hæreſes debellauit, pro indubitata Traditionum auctoritate ſententiam ferentem audiamus in epiſt. 118. *Illa*, inquit, *non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem tota terrarum orbe*

*obseruantur, dantur intelligi ea vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri, sicut quod Dominica Passio & Resurrectio, & Ascensio in Cœlum, & Aduentus Spiritus S. Anniuersaria Solemnitate celebrantur.* Et ne quis hoc loco dicat hanc traditionem non esse legem necessariam, postea distinguit illam contra obseruationes quasdam particulares, & non necessarias, dum subiungit, Alia verò quæ per loca terrarum Regionumque variantur liberas habent obseruationes.

VI. Ex hoc Augustini loco colligitur Traditiones in Ecclesia alias esse *Apostolicas*, quæ ab Apostolis cum Spiritus S. assistentia institutæ sunt; & alias immediatè à Christo per Apostolos traditas, & ideò *Diuinæ* nuncupantur. Alias denique esse *Ecclesiasticas*, quæ vsu & auctoritate Ecclesiæ in Concilijs aut aliter vim legis obtinuerunt: nam in omni republ. rectè institutâ non minorem vim habent consuetudines legitimè approbatæ, quàm leges conscriptæ de harum auctoritate ibidem sic pronuntiat Augustinus, *Insolentissima insaniæ est disputare, an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia.*

VII. Ad cognoscendum autem quænam Apostolicæ Traditionis vim obtineant, hanc Regulam tradit idem August. lib. 4. de Baptismo *cap.* 24. Quod (inquit) vniuersa tenet Ecclesia, nec in Concilijs institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.

Doctrinam hactenus traditam tenuit semper vniuersa Christi Ecclesia in *Concilijs* Oecumenicis congregata, & contraria expresso anathemate damnatur in Concilio Nicæno 11. c 4. art 7. *Si quis Traditionem Ecclesiæ siue scriptam siue consuetudine valentem non curauerit, anathema sit.* Et Trident. primitiuæ Ecclesiæ doctrinæ insistens Sess. 4. post decretum de Scripturis Canonicis sic declarat; Traditiones, inquit, tàm ad fidem, quàm ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu sancto per Apostolos dictatas pari pietatis affectu ac reuerentia sancta Synodus veneratur.

His opponunt Sectarij aliqua Scripturæ loca, vt Isaiæ 29. *In vanum colunt me docentes mandata & doctrinas hominum.* Et Matth. 15 *Irritum fecistis mandatum Dei propter Traditionem vestram.* Denique 1. Pet. 1. *Redempti estis de vana conuersatione vestra paterna Traditionis.* Sed hæc omnia frustra adducuntur, cùm nullo modo agant de traditionibus noui Testamenti, quæ nondum in mundo erant, dum ista scriberentur. Ad solos autem Iudæos illa verba diriguntur, quod ipsi præter Traditiones Diuinas per Moysen acceptas, alias inducerent Legi Diuinæ contrarias. Malè inde concludes, Id fecerunt Iudæi, ergo idem facit Ecclesia Christiana.

VIII. Ex his patet, semper Ecclesiam Christi præter Scripturas etiam veras Traditiones ad Regulam Fidei necessariò admisisse, sine quibus nequidem constare posset aliquas Scripturas à Deo dictatas esse; aut has quæ in manibus versantur & non alias esse Diuinas, aut plura alia Fidei dogmata in sola Traditione fundata.

IX. Non sufficiunt tamen ad Regulam Fidei adæquatam Traditiones & Scriptura sacra, sine vlteriori Iudice controuersiarum, quem in Ecclesia Romana infallibilem esse in cap. sequenti demonstrabitur.

## CAPVT VIII.

*Ostenditur Ecclesiam Romanam cum suo Capite esse Regulam animatam, & Iudicem infallibilem controuersiarum Fidei.*

VEram Christi Ecclesiam [quam solam esse Romanam supra ostendimus] non posse subsistere sine Regula & Iudice visibili controuersiarum fidei, quo Sectarij omnes destituuntur, probatum est c. 3. 4. & deinceps. Nunc in eadem Ecclesiam cum suo Capite reperiri Iudicem controuersiarum fidei infallibilem paucis argumentis ostendimus.

### §. I.

*Probatur illa infallibilitas ex Scripturis.*

ILla debet esse infallibilis fidei Regula, cui Christus suam assistentiam promisit, ne possit in rebus fidei definiendis errare. Sed suæ Ecclesiæ in Petro eiusque Successoribus talem assistentiam promisit. Ergò Ecclesia tam in Petro quàm in eius Successoribus debet esse Regula fidei infallibilis.

X. Probatur minor ex verbis Christi Matth: 16. *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Promittit igitur Christus se ædificaturum Ecclesiam supra fundamentum omninò firmissimum, quod labi & deficere non potest: deficeret autem si definiendo res fidei aliquando erraret, tota enim Ecclesiæ integritas in integra fidei veritate consistit: hac veritate semel deficiente, ipsam Ecclesiam deficere

ſicere neceſſe eſt. Promiſſionem hanc pergit vrgentiſſimis verbis iterùm confirmare : *Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Præualeret autem poteſtas inferorum aduerſus Eccleſiam, ſi vllo vnquam tempore in decernendis fidei controuerſijs in hæreſim incideret, quod nunquam euenturum Chriſtus apertè pollicetur.

XI. Ex quibus manifeſtè ſequitur, vel Chriſtum in promittendo fallacem fuiſſe, quod impoſſibile eſt, vel Eccleſiam ab eo viſibiliter fundatam nunquam in fide defecturam. Promiſit enim fundamentum Eccleſiæ futurum ſtabile, & tamen fuiſſet labile, promiſit portas inferi contra eam non præualituras, & tamen de ea in errorem, & hæreſim prolapſa infernus triumpharet.

Hanc Eccleſiæ viſibilis infallibilitatem ex his Chriſti promiſſis clarè intellexit, & declarauit Apoſtolus 1. ad Tim. 3. *Vt ſcias quomodo te oporteat conuerſari in domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis*. Si Eccleſia in qua oportet conuerſari eſt *columna* firma, imò ipſum *firmamentum veritatis*, quomodo poteſt in docendo à veritate fidei deflectere? Si enim errori ſemel ſuccumberet, hoc ipſo lapſa, & proſtrata iaceret; quam tamen ipſa Veritas. Petram fidei, ab inferis inuincibilem, ipſam columnam, ipſum firmamentum veritatis appellat.

Ex his pari euidentia conficitur, Eccleſiam Chriſti ſemper fuiſſe *Viſibilem*. Nam eadem Eccleſia contra quam portæ inferi nunquam præualebunt, diſertè dicitur Petra, columna, firmamentum, quæ rem maximè viſibilem ac ſenſibilem deſignant. Eadem à Chriſto comparatur Sagenæ piſces tam bonos, quàm malos congregantiæ Lucernæ ſuper candelabrum, & Ciuitati ſupra montem poſitæ Matth. 5. quibus nihil poteſt eſſe magis viſibile. Ita intellexit, ita ſenſit, ita loquitur primæuæ doctrinæ teſtis Auguſt. de vnit. Eccleſ. cap. 16.

„ XII. Non eſt, inquit, Eccleſia operta, quia „ non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum „ vt luceat omnibus qui in domo ſunt; ſed Do„ natiſtis velut operta eſt qui audiunt tam lu„ cida teſtimonia, quæ illam toto orbe demon„ ſtrant; & malunt clauſis oculis offendere in „ montem, quàm in eum aſcendere.

## § II.

### *Eadem infallibilitas Ratione manifeſta comprobatur.*

XIII. HÆc ratio imprimis, independenter à Scripturis, hoc modo formatur. Ex miraculis, & ſignis, quæ in Apoſtolis apparuerunt, certò conſtabat doctrinam quam proponebant fuiſſe certam, & infallibilem, & ab omnibus meritò recipiendam, vt ipſi Sectarij admittunt.

Sed in nullo Apoſtolorum apparuerunt ſigna plura aut illuſtriora quàm ea, quæ ſupra cap. 3. demonſtrauimus de continuis miraculis, antiquitate, amplitudine, vnitate, perpetua ſucceſſione Eccleſiæ Catholicæ Romanæ. Ergo ex his ſignis ac teſtimonijs certò conſtat doctrinam, quam Eccleſia illa credendam proponit, certam eſſe, & infallibilem. Ac proinde in materia fidei eius doctrinam ac ſententiam deciſiuam non poſſe ſine ſcelere repudiari.

Idem ſic vlteriùs demonſtro, Deus non tantum verbis, ſed alijs ſignis ac miraculis hominibus loquitur, ac ſuam mentem manifeſtat; vti patet ex illis ſignis ac prodigijs, quibus Apoſtolos in nouo, Moyſem in veteri Teſtamento veræ fidei præcones eſſe declarauit. Iam verò Deus vult, aut permittit ſciens, & prudens Eccleſiam Romanam ſuo nomine hominibus proponi, vt veram, & in rebus fidei infallibilem, cum ijs notis, miraculis, ac ſignis perpetuis, ex quibus homines debeant prudenter iudicare, illam à Deo, tanquam veram, & infallibilem deſignari. Nam illa ſigna pro Diuino teſtimonio communi iudicio viri prudentes, & probi toto orbe omni æuo admiſere, & ex illis ſe obligari ad recipiendam Chriſti Eccleſiam tanquam infallibilem agnouere.

XIV. Debet autem illud iudicari prudens motiuum ex quo homines pij ac prudentes paſſim iudicant ſe debere aſſenſum præſtare. Atqui non poteſt Deus Eccleſiam illam proponere ſub illis ſignis, quibus homines debeant ad credendum prudenter induci. niſi per hæc velit mentem ſuam pro ea verè manifeſtare. Quo enim modo poteſt de re aliqua mentem ſuam hominibus declarare, niſi exibendo ſigna ex quibus homines prudenter intelligant, rem illam à Deo ſibi proponi, & reuelari? Nam talia ſigna, & miracula, quibus ſolitus eſt Deus res veras declarare, apponere rei falſæ, aliud non eſſet quàm homines vitro in errorem inducere, quod in Deum cadere non poteſt.

XV. Declaratur vis huius argumenti in ſimili. Si Rex aliquis ſciens, & prudens permitteret mandatum aliquod aut diploma ſuo nomine, & ſigillo conſueto muniri, & coram ſuis ſubditis, ſe præſente, & inſpectante, publicè promulgari: ſine dubio deberent omnes prudenter iudicare hoc eſſe mandatum Regis, eumq; velle id ſubditis ſignificare. Quod multò magis in Deo locum habet, qui ſemper poſſet

impedire miracula, aliasque notas, ex quibus tanquam proprio Dei sigillo iudicant homines Ecclesiam Romanam, tanquam infallibilem, Dei nomine, & diuina auctoritate propoui. Quod si Ecclesia sic proposita esset falsa, & fallibilis, vlteriùs sequeretur Deum sibi esse contrarium. Vellet enim per talia signa homines obligari ad eam recipiendam, vt iam ostensum est, & nollet eos obligari, si Ecclesia illa sit falsa.

XVI. Denique, si Ecclesia illa visibilis non esset infallibilis, nihil omninò in fide aut nostra, aut Lutherana esset infallibile. Vnde enim nobis constaret, ipsas Scripturas ex quibus fidei articulos habemus, verè esse diuinas, & ab errore immunes? aut Euangelium Matthæi esse Verbum Dei, & non Euangelium Nicodemi, quod olim conscripsit? Hoc certè non aliunde quam ex Ecclesiæ testimonio accipimus, vt ipsi Lutherani fateri debent, qui ipsas Scripturas non aliunde quà ab Ecclesia Romana acceperunt. Ergo si Ecclesiæ auctoritas esset obnoxia errori, incerta planè, & dubia esset omnis nostra fides, vtpote fallibili nixa testimonio.

## §. III.

*Vlterius infertur contra Sectarios Pontificis Rom. in fidei controuersijs suprema, & irrefragabilis authoritas.*

XVII. DEmonstrata tam euidentibus argumentis Ecclesiæ huius infallibilitate, facilè declaratur Pontificis Romani authoritas irrefragabilis in definiendis fidei controuersijs, sic enim vlterius argumentandum.

Ecclesia Christi visibilis in articulis fidei non potest errare, vt iam ostensum est. Sed illa pro articulo fidei semper agnoscit, & docet, Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, & in definiendis fidei controuersijs haberi infallibilem. Ergo de fide est Pontificem Romanum esse Vicarium Christi, & in definiendis fidei controuersijs falli non posse.

Id porrò ex declaratione Ecclesiæ probant superius allata Scripturæ Sacræ testimonia, Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Quod necessariò intelligendum est de Petro cum suis Successoribus, cum voluerit Christus Ecclesiam cum Petri vita extingui, sed per successionem Monarchicam perpetuò gubernari in ea forma, quà illam ab initio fundauit.

XVIII. Quod autem Christus Petro cum Successoribus (suprà) in vita promisit, id repetitis verbis post Resurrectionem suam coram vniuerso Apostolorum Collegio confirmauit Ioan. vlt. *Pasce agnos meos, pasce oues meas.* Vbi sine exceptione totus Christi grex Petro, eiusque Successoribus veræ Doctrinæ pabulo nutriendus traditur, omninmque Pastor vniuersalis instituitur r

XIX. Denique ex perpetua Ecclesiæ etiam primitiuæ praxi, & consuetudine apertè constat, plurimas Hæreses à Romano Pontifice, etiam sine Concilio generali, damnatas esse, vt Pelagij, Prisiliani, Iouiniani, Vigilantij, aliorumque multorum. Has verò hoc ipso pro certissimis Hæresibus tota Ecclesia reiecit, quod à Romano Pontifice damnatæ essent: Testatur id disertè S. Augustinus de Hæresi Pelagiana scribens Serm. 2. de verbis Apostoli, *Iam*, inquit, *de hac causa duo concilia* (particularia) *missa sunt ad Sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, vtinam aliquando finiretur error*. Concilia autem eo tempore alia habita non fuisse quam particularia, notat cum cæteris *Sirmichius* in Goliatismo cap. 21. Audiatur quoque coæuus Augustino S. Cyprianus lib. 2. epist. 3. *Non aliunde Hæreses ortæ, aut natæ sunt Schismata, quàm inde, quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Christi cogitatur.*

## §. IV.

*Obiectiones aliquæ breuiter dissoluuntur.*

OBijciunt Sectarij primò: Homines possunt errare, vt dicitur ad Rom. 3. *Omnis homo mendax*. Sed Pontifex est homo. Ergo Pontifex in rebus fidei potest errare.

Respondeo primò, retorquendo in aduersarios argumentum. Homines possunt errare: Sed Lutherus est homo: ergò Lutherus potuit errare, deserendo Romanam Ecclesiam in qua baptizatus, & professus fuit, & nouam sibi sectam fabricando. Imò eodem modo probarent Apostolos, & Euangelistas, cùm essent homines, in tradenda Ecclesiæ doctrina errori obnoxios fuisse: atque ita aduersarij incautè illam primitiuæ Ecclesiæ nauem perforant, in qua ipsi se nauigare gloriantur.

Respondeo igitur secundò, disting. consequens, Pontifex in rebus fidei potest errare, sine assistentia diuina, concedo: cum assistentia diuina, nego: hanc autem in gubernanda Ecclesia Christus illi promisit, vt ostensum est supra §. 3.

XX.

XX. Obijcies secundò. Aliqui Pontifices de facto aliquando errarunt: ergò non sunt ab omni errore immunes.

Respond. distingu. antecedens: Errarunt aliquando tanquam personæ priuatæ, & in rebus quas è Cathedra non definiuerunt, concedo. Errauernnt tanquam Pontifices siue Christi Vicarij aliquid è Cathedra docendo, aut definiendo pro vniuersa Ecclesia, Nego. Christus enim nec ipsi Petro, nec Apostolis cæteris tanquam personis priuatis immunitatem ab omni errore promisit, sed tantùm in Actibus, quibus tanquam Apostoli Ecclesiam docebant.

XXI. Obijcies tertiò: Summus olim Pontifex cum Synagoga Iudæorum à vera fide aberrauit, quando Christum eiusque doctrinam repudiauit. Ergo Pontifex Romanus cum sua Ecclesia à vera fide aberrare potest.

Respondeo, negando sequelam. Nusquam enim apertè reperitur ea promissio facta Pontifici, & Synagogæ Iudæorum; quam Christus Petro eiusque successoribus confirmauit Matt. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam*, &c.

Obijcies quartò. Quando Christus dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non intellexit Ecclesiam stabiliendam supra Petri personam, sed tantùm supra Fidem quam profitebatur. Ergo Christus per illa verba, Petro, eiusque successoribus infallibilem in definiendo authoritatem non promisit.

Resp. negando antecedens. Quia sic Christus, promissis tam amplis, nullam prærogatiuam dedisset Petro, magis quàm cuiuis Apostolorum, & fidelium, quibus Fides Petri communis erat. Negari autem non potest quin per illa verba ad solam Petri personam directa, concedatur illi in stabilienda Ecclesia peculiaris potestas, alijs non communicata. Soli enim Petro, & non eius Fidei cum cæteris communi, dici potuit, Tu es Petrus: Tibi dabo claues regni cœlorum. Quodcumque solueris super terram erit solutum, & in cœlis, &c. Cùm autem Petrus esset mortalis, & Ecclesia semper duratu, debuit potestas illi concessa ad Pontifices eius Successores deriuari.

XXII. Obijcies quintò: Sola Christi persona est verum Ecclesiæ fundamentum. Ergo non potuit Ecclesiæ infallibilitas supra Petrum eiusque Successores ædificari.

XXIII. Resp. Solam Christi personam esse fundamentum Ecclesiæ primarium, personam verò Petri esse fundamentum Ecclesiæ secundarium, cum potestate vicaria à Christo tanquam primo, & principali fundamento deriuata. Huic innititur firma illa, & infallibilis authoritas, quam in Petro eiusque Successoribus stabilitam, ab ipso Ecclesiæ exordio tota semper antiquitas agnouit.

Hæc igitur est via regia quam tenuerunt Patres nostri, hæc Petra immobilis cui in omni controuersia firmiter adhæserunt, hæc Regula certissima, cui nunquam se, moresq; suos conformare dubitarunt. Quid ergo mirum, horum temporum Sectarios per tot errorum labyrinthos continuò circumagi? Respuunt Fidei Regulam, deserunt firmam Petram, viam regiam deelinant, deuias ingrediuntur semitas, quas non nouerunt Patres eorum, quarum nouissima ad interitum ducunt sempiternum.

## CAPVT IX.

### *Methodus breuis ex prædictis refutandi Sectarium in quauis Fidei controuersia.*

#### *Methodus prima.*

I: IN primo Disputationis ingressu, interrogandus est Aduersarius, qui se profitetur esse Reformatæ Religionis, per quam Regulam, & normam infallibilem velit meam fidem in aliquo puncto reformare, & erroneam declarare.

Respondere certò debet, se velle meum errorem reformare per purum Dei Verbum in Scripturis Sacris contentum. Est enim articulus primarius Religionis Reformatæ, solam Scripturam esse Regulam fidei, & iudicem controuersiarum, seponendo authoritatem Ecclesiæ, Traditiones, Concilia, ac proinde præter purum Dei verbum nihil omninò esse audiendum.

II. Sed contrà oppones hoc modo. Si meum errorem velis reformare per purum Dei verbum: Quæro aba te primo: In qua editione Scripturæ contineatur purum, & incorruptum Dei Verbum: An in Anglicana, aut Geneuensi; quam amplectitur tua Ecclesia Reformata, an verò in editione vulgata quàm admittit Ecclesia Romana, nam illæ Scripturæ in multis differunt.

Respondebit in Anglicana aut Geneuensi, non verò in Romana. At contra, Peto mihi ostendi, vbinam habeatur in Scriptura, editionem Anglicanam esse purum, & incorruptum Dei Verbum, potiùs quàm Romanam? Si dicat, id declaratum esse à Parlamento Anglicano, vel à Statibus Hollandiæ,

vel

vel quid ſimile. Pato iterum, vbinam legatur in Scriptura Editionem, quæ declaratur à Parlamento Anglicano, vel Staribus illis, eſse purum Dei verbum? Hęc cùm in Scripturis oſtendere prorsus nequeas, nullo modo potes meum errorem ex ſolo, & puro Dei reformare, quod iam ſuſcepiſti, & præſtare teneris. Quod ni feceris, tua Religio reformata, quæ id profitetur, conuincitur eſse erronea. Hac prima methodo, ſi rectè vrgeatur, neceſsario conſtrictus tenetur Aduerſarius abſque vlteriori progreſsu.

## *Secunda Methodus.*

SEd vt vlterius procedamus, per me iam licet, ex Editione, & verſione v.g. Anglicana clarè oſtendatur me errare credendo cum Eccleſia Romana, verbi cauſa, Realem Chriſti præſentiam, & perſeuerantiam in Euchariſtia, aut Confeſſionem Sacramentalem, aut alium quemcunque fidei Romanæ articulum.

III. Quando Aduerſarius aliquem Scripturæ textum contra protulerit, hoc modo vrgendus erit.

Scripturæ textum à te prolatum aliter intelligunt, & explicant Catholici Romani pro ſua fide, quam à te intelligatur, & exponatur pro tua doctrina illi contraria.

IV. Ergo vt tuam mentem ſequar, reiecta Eccleſia Romana tam ampla, & antiqua, debes mihi oſtendere, vbinam dicatur in Scriptura, tuo ſenſui, & explicationi eſse adhærendum, eamque præ cæteris tamquam infallibilem eligi debere. Hoc enim eſt punctum fidei quod iam diſputamus v.g. an tua explicatio de reali præſentia ſit vera, noſtra autem falſa; omnia autem puncta fidei debent ex ſola Scriptura conſtare, vti ipſe doces, & profiteris. At nuſpiam in tota ſcriptura dictum reperies, quod tua, aut tuæ Sectæ explicatio ſit infallibilis, Romanæ autem Eccleſiæ, & omni Sectę ibi contrariæ explicatio ſit erronea. Ergo ex tua confeſſione habeo, me non debere, nec ſalua fide poſse tuę doctrinę aut Sectę adhęrere; cùm tua fides doceat, nullum fidei articulum eſse recipiendum, qui in puro Dei Verbo ſcriptus non reperitur.

Quòd ſi dicat, ſe allatum Scripturæ textum non per ſuam interpretationem, ſed per alium Scripturæ locum explicare. De illa Scriptura redibit eadem quæſtio, & idem argumentum quod iam de primo textu attulimus; cum illam aduerſarius pro ſua doctrina, alij pro ſua illi contraria ſtare intelligant.

Quòd ſi extra Scripturę verba, aliquam Gloſsam opponat, aut ſpirirum ſnum priuatum prætendat. Contra hæc omnia pari ratione valebit idem argumentum. Nihil credendum quod in Scriptura expreſſum non continetur. Sed tuam gloſſam, aut tuum ſpiritum eſſe diuinum, aliorum verò erroneum, nuſpiam in Scriptura contineri oſtendis. Ergo non licet tuæ gloſſæ, aut ſpiritui fidem adhibere.

## *Tertia Methodus.*

VI. POſtquam Sectarius coactus eſt fateri, Scripturas nullibi in termini aſſere re ſuam mentem, & explicationem cuiuis alteri eſse præferendam; reſtat tantùm vt dicat ſibi conſtare ex ipſis verbis Scripturæ per *claram conſequentiam* ſuum ſenſum eſse verum, aliorum falſum. Exempli gratia, contra Realem præſentiam ſic argumentabitur. Chriſtus accipiens panem benedixit, ac fregit, dicens: *Hoc eſt Corpus meum*.

VI. Sed non poteſt illic eſse Corpus Chriſti realiter, inquit Caluinus, neque extra actualem communionem, inquit Lutherus. Ergò Scriptura dicit Corpus Chriſti ibi tantùm eſse figuratiuè; vel vt infert Lutherus, tantùm in actuali ſumptione. Item in alio exemplo, Scriptura dicit *Ioa.* 6. Niſi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ergò communio ſub vtraque ſpecie eſt neceſsaria, per legitimam conſequentiam.

Sed quæro ex Aduerſario, an non ſciat, multas conſequentias dedici ex Scriptura, quæ videntur in ſpeciem apertæ, ſed reipſa ſunt falſæ, ex hac conſeqnentia in ſpeciem aperta: *Pater maior me eſt*: Ergo Verbum diuinum eſt minus Patre, in hæreſim inductus eſt cum multis millibus Arius, ac eodem modo per malas conſequentias ex Scriptura per errorem deductas inciderunt plures alij in hæreſes innumeras.

Peto igitur vt oſtendat mihi in Scripturis dici: *Omnem conſequentiam quam ipſe ex Scripturis deducet eſt infallibilem, & diuinam*. Aliàs enim ve liet me credere aliquid errori obnoxium, & in Scripturis non contentum, qnod ipſe tamen nefas eſse contendit. Manifeſtum autem eſt hoc nunquam oſtenſurum, cùm nulli priuato homini in Scriptura promiſsum ſit omnes eius conſequentias fore infallibiles.

VII. Itaque Aduerſarii fidem non eſse diuinam, ſed merè humanam, & ambiguæ veritatis ſic oſtendo. Nullus articulus innixus motiuo fallibili, vel authoritati humanæ eſt arti-

culus

enlus fidei diuinæ. Sed omnis articulus quem Aduerſarius per ſoias conſeqnentias deducit ex Scriptura nititur motiuo failibili, vei authoritati humanæ. Ergo nullus articulus quem ſic deducit ex Scriptura, eſt articulus fidei diuinæ. Ac proinda non diuinam Scripturam, ſed ſuam Dialecticam, non Verbum Dei, ſed verbum Ariſtoteiis Regulam fidei vltimatam conſtituit. Nuilibi enim Scriptura definit omnem Aduerſarij ex Scripturia argnmentationem ſore legitimam, & ad omni eroris periculo immunem.

VIII. Si dicat primò, ſæpe conſequentiam eſſa bonam & certam, etſi id in Scripturis non aſſeratur.

Sed contta, ſæpe atiam contingit eſſe malam & incertam, fides autem omninò certa eſſa debet.

Et vt contingeret veram eſſe, & legitimam, alind prorsùs eſt, conſequentiam eſſe legitimam, aliud eſſe Verbum Dei: multa enim ſunt vera & certa ex ratione naturali, v. g me eſſe hominem, non ideò ſunt Varbum Dei. Atqui nihil eſt de fide, niſi quod creditur propter ſolum Dei Verbum, nibil autem eſt Verbum Dei, niſi quod in Scriptura continetur, ſecundùm aduerſarium: ſed iam habemus nuſquam in Scriptura continari qnod iiia conſaquentia, quam aduerſarius deducit, ſit bona & infailibilis. Ergo iſta conſequentia, & doctrina quæ illi innititur, non conſtituit articulum fidei diuinæ.

Si dicat ſecundò, multa apnd Catholicos aſſe de fide, quæ tantùm deducnntur ex verbo Dei per legitimam conſequentiam, v.g. me eſſe conceptum in peccato originali, vel hunc hominem eſſe verum Pontificem. Ergo poteſt etiam Aduerſarius fidei articulos per conſequentias ex Scripturis declarare.

Reſpondetur, negando conſequentiam. Quamuis enim Catholicus ſic procederet, per hoc ſuæ fidei non contradiceret, prout contradicit Aduarſarius. Non enim habent Catholici pro fidei ſuæ articuio, quod ſoia Scriptura ſit tota Reguia fidei, cùm admittant traditiones, & definnitiones Eccleſiæ, ad cuius infailibile iudicium referunt ſuas conſequantias, ne à veritate aberrent, nequa ſoia earum bonitate in credando nituntur. Sectarij autem docent, ſiſtendum eſſa in ſola Scriptura, & tamen vlterius pergunt ad conſequentias à ſe formatas, & errori obnoxias.

IX. Neque conſequentiaa à ſe fabricatas referunt ad limam Eccleſiæ, cui Chriſtus in iudicando infailibilitatem promiſit, vt ſupra cap. 8. oſtandimua.

X. Si dicat tertiò, Chriſtum aliquando articulos fidei ex Scripturis per conſequentias deduxiſſe, ac proindè ſe poſſa in negotio fidei per conſequentias ſina erroris periculo procedere.

Reſpondetur, conſequentiam hanc nullam eſſe, & vei hinc apparere, quàm facilè ſit in deducenda conſequentia errare. Nam hoc ipſo quo Chriſti infinita ſapientia conſequentiam aliquam deducebat, infallibile erat eam rectè deduci: An hanc Chriſti ſapientiam infallibiiem habet noſter Aduerſarius? Secundò independenter ab omni conſeqnentia, quidquid Chriſtua affirmabat etiam extra Scripturas, hoc ipſo erat fidei diuinæ, quod de ſe, vti ſpero, noſter Aduerſarius præſumere non audebit: eoque minùs quod ſibi ex profaſſo adimit poteſtatem agendi per conſequentias, ſed in ſolo Dei verbo ſiſtendum eſſe profiteatur, quod numqnam legitur Chriſtus feciſſe.

XI. Reſtat ergo vt Aduerſarius fateatnr primò, Fidei noſtræ articulos non poſſe ex ſola Scriptura iudicari, aut reformari. Secundò, Sectam ſuam eſſe erroneam quæ hoc tanquam fidei punctum profitetur. Tertiò, in controuerſijs fidei, & ipſius Scripturæ, neceſſariò recurrendum eſſe ad iudicium Eccleſiæ, quam teſtatur ipſa Scriptura à Chriſto inſtitutam eſſe iudicem in rebus fidei. Audi D. Auguſtinum de hac re primitiuæ Eccieſiæ ſenſum tibi clariſſimè exponentem lib. 1. contra Creſcon. cap. 33. „ Scripturarum à nobis te„ netur veritas; cùm id facimus, quod vni„ uerſæ iam placuit Eccleſiæ, quam ipſarum „ Scripturarnm commendat authoritas: & „ quonian ſancta Scriptura ſaliere non po„ teſt, quisquis ſaili metnit, huius obſcurita„ te quæſtionis, Eccieſiam de ilia conſulat, „ quam ſine vlia ambiguitata ſancta Scriptu„ ra demonſtrat.

## *Methodus Quarta.*

XII. POſſunt & alia via infringi argumenta ſyilogiſtica, quæ Sectarij in quauis fidei controuerſia Catholicis opponunt: ſiua oſtendendo totum ſyilogiſmnm qui proponitur ad rem non pertinere; ſiue ſingnias argumenti propoſitiones negando, propter vitium quod patebit omnibus Sectariorum ſyilogiſmis in materia fidai eſſe commune. Horum ſingula in ipſa diſputationis praxi hic breuiter deducemus.

Hoc itaque aut ſimili modo argumentabitur Sectarius, v. g. contra præſentiam Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ: Si verba Chriſti,

Hoc

Hoc eſt Corpus meum, ſtatuerent Chriſtum præſentem in Euchariſtia, Corpus Chriſti eſſet ſimul in cœlo, & in terra. Sed idem Corpus non poteſt eſſe ſimul in cœlo, & in terra, Ergo Verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum non ſtatuunt Chriſtum præſentem in Euchariſtia.

Item, contra cultum imaginum. Committit idololatriam, qui facit ſibi ſculptile, vt adoret illud, Deut. 4. Sed Catholici adorant ſtatuas, & imagines Sanctorum, Ergo Catholici committunt idololatriam per cultum imaginum.

Item, contra abſolutionem Sacramentalem. Fides docet ſolum Deum peccata remittere. Sed Catholici credunt peccata remitti per Sacerdotes in Confeſſione Sacramentali. Ergo Catholici [id docendo] à vera fide aberrant. Et ſic de cæteris ſyllogiſmis qui poſſint in alijs controuerſijs ab hæreticis formari.

XIII. Cauebit hic Catholicus [niſi inſigniter eruditus] more ſcolaſtico ad ſingulas propoſitiones reſpondere, aliàs prolixa nimis diſputatione ſe intricabit, & facilè Aduerſario aliquam elabendi viam relinquet. Hanc vt præciudat, & aduerſarium breuiter, & clarè conſtringat.

Reſpondebit ad ſyllogiſmum propoſitum hoc modo tranſeat maior, minor, & concluſio. Siue vno verbo, *Tranſeat totum*. Quia nihil facit ad rem: Nuſpiam enim in terminis legitur in ſcriptura hæc concluſio tui ſyllogiſmi: Verba Chriſti, Hoc eſt Corpus meum, non ſtatuunt Chriſtum præſentem in Euchariſtia. Vt verò ſit articulus fidei, debet aperte in Scriptura contineri, iuxta Sectarios.

XIV. De hoc autem diſputamus, an ille ſit articulus fidei. Ergo concluſio tui ſyllogiſmi non infert id de quo eſt controuerſia, quod tamen fieri debet in legitima argumentatione. Pari modo nihil ad rem facit hæc concluſio ſecundi ſyllogiſmi, Ergo Catholici committunt idololatriam per cultum imaginum. Neque tertij ſyllogiſmi, Ergo Catholici docentes peccata remitti per Sacerdotem errant contra fidem.

Secundò, reſponderi poteſt ad eundem, vel alium quemlibet Sectarij ſyllogiſmum, hoc modo: Tranſeat totum: Nihil ad rem de qua diſputatur. Non enim potes tuum ſyllogiſmum, ſiue totam eius formam mihi in Scriptura exhibere, cum tamen ex integra & legitima eius forma dependeat veritas tuæ concluſionis, quamuis eſſe de fide, quod non poteſt expreſſè in Scripturis exhiberi.

Tertiò, retundi poteſt quodlibet Sectarij argumentum cuius ſinguiæ partes in Scriptura non continentur, Reſpondendo *(ſi velis)* ad ſingulas propoſitiones hoc modo: *Nego maiorem, ſecundùm Scripturas*, hoc eſt, ſiue Maior ſit vera, ſiue falſa, parum refert, quia illa non eſt veritas fidei, cùm apertè in Scripturis non contineatur, quod ad omnem veritatem fidei requirunt Sectarij. Eadem ratione procedendo. *Nego minorem, nego conſequentiam, ſecundùm ſcripturas.* Quia nec minor, nec conſequens, nec legitima eius ex Antecedente illatio in verbo Dei expreſſe reuelatur.

XV Si clamet Aduerſarius, Maiorem, Minorem, aut conſequentiam eſſe claram, eſſe legitimam &c. Reſponde, Eſt clara Tibi, tranſeat; Eſt clara Scripturis, nego: Ego autem in negotio Fidei non debeo Tibi, ſed Scripturis Fidem adhibere, cum in quæſtione fidei ſola Scriptura ſit iudex & regula infallibilis, vti ipſe profiteris.

XVI. Si fortè Aduerſarius vlteriùs contendat, Maiorem, & Minorem poſſe oſtendi ex Scripturis; de hoc ne litem intricatam moueas, Reſponde, ſed quomodo probas Scripturam cogitaſſe de illa conclusione inde inferenda, cum illa in Scripturis non legatur, imò nec vllus SS. Patrum in terminis eam concluſionem ex illis præmiſſis intulerit. Ergo tu mihi pro articulo fidei obtrudis vnam concluſionem ex tuo tantum cerebro fabricatam, quam non ſcimus aut Scripturæ, aut vlli Patrum vnquam in mentem veniſſe. An non vides quàm longe à tuo propoſito & ſcopo aberras, dum conaris tua ſomnia, & illationes extra Scripturam formatas, pro puro Dei verbo nobis venditare?

Si vrgeat, Concluſionem, quæ infertur ex Maiori, & Minori reuelata, habendam eſſe pro articulo fidei. Reſponde: Prius probandum eſſet ex puro Dei Verbo tuam conclusionem ex duabus præmiſſis reuelatis *in debita forma* à te illatam eſſe; hoc autem in *Scriptura* non oſtendes.

XVII. Secundò, Quæro abs te, Amice, an ignores hoc ipſum inter optimos Theologos incertiſſimum eſſe, An concluſio quatenus deducitur ex duabus præmiſſis reuelatis pro articulo fidei haberi debeat. Negant diſerte Valencia, Lorca, Molina, Turrianus, Comptonus & alij complures in Philoſophia, & Theologia verſatiſſimi. Quia inquiunt, ſola reuelatio, & authoritas diuina non mouet ad aſſenſum iſtius conclusionis: illi enim aſſentimur ex parte propter formam ſyllogiſticam,

cam, siue formalem connexionem præmissarum cum conclusione, quæ tamen forma & connexio non est in Scripturis reuelata. Hinc opinio probabilis est multorum Theologorum enm Caietano, Suarez, Vega, Cano, Comptono, &c. Fidem non esse discursiuam, sed immediatè, & simpliel actu credi reuelationem diuinam & mysterium reuelatum, v. g. reuelatam esse in Scripturis Verbi incarnationem, absque eo quod illud credatur propter discursum & formam syllogisticam, quia hæc fundatur tantum in hac principio merè naturali: Quæcunque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se: atque ita fides nostra, ex vi huius motiul, non esset certior quauis scientia naturali.

XVIII. Cùm igitur hæc sit quæstio incerta, & inter Theologos disputata, & in Scripturis non contenta aut decisa, debet Aduersarius exhibere Articulum de quo disputatur, non in consequentia à se formata, sed in claro & aperto Scripturæ sacræ testimonio, de qno nemo possit dubitare. Tale antem Testimonium pro articulo fidei Catholicæ contrario nunquam proferre poterit.

Scio quidem Bellarminum, & plures alios contra hæreticos per consequentias procedere, & in dissoluendis eorum syllogismis singulas propositiones diffusè examinare. Sed quia illa via prolixior est, & ijs qui scholas non multum triuerunt nimis intricata, hanc ego aperio artem disputandi compendiosam, facilem, & ijs qnibus hæc scribo magis aliqnando accommodatam. Et hns iterum moneo, ne vllo modo permittant, Aduersarium extra hanc formam diuagari, enm Sectarius qui extra Scripturas nihil se credere profitetur, illam disputandi formam admittere teneatur, vel primum illud fidei suæ principium abinrare. Hanc verò respondendi viam si Catholiens firmiter teneat, nsc patiatur se ad alia peregrè abdnci facilè Adusrsario, responsione inexpectata perculso, os occludet, & paucis verbis aperiam de eo victoriam reportabit.

## CAPVT X.

### *Quædam Dilemmata Sectario breuiter proponenda.*

XIX. VAldè vsitatum est Hæreticis, qnando eum Catholicis conuersantur, varijs de fide quæstionibus ex improuiso eos lacessere, quas vt resellere possint, methodum suprà tradidimus. Hic iuuat ex altera parte breues qnasdam Interrogationes per modum dilemmatis Catholico subministrare, quibus insultantem aduersarium facilè compescat, & ex quouis responso constrictum teneat, eumque adigat, vt sine ambage affirmando, vel negando præcisè respondsat, hoc modo.

### *Dilemma I.*

XX. Quæro, An tua Ecclesia v. g. Lutherana, sit antiqna, an noua? Si respondeat est antiqua. Quæro igitur, vbi fuit, aut quis antiquorum eius vnquam meminit per 1500. annos à Christo vsque ad Lutherum? Si dicat esse nouam; Infer, ergo non est Ecclesia Christi, quæ antiqua est, ante mille sexcentos annos ab eo constitnta.

### *Dilemma II.*

XXI. Quæro. Vera Christi Ecclesia est ne fallibilis, an infallibilis? Si respondear, est infallibilis. Quomodo ergo falsa est Ecclesia Romana quæ ab initio fuit vera Christi Ecclesia, vt ipsi Sectarij admittunt. Si dicat, esse fallibilem. Quomodo ergo tibi constat tnam Ecclesiam Lntheranam non esse hodie falsam, si vera Ecclesia possit esse fallibilis, & à fide deficere.

### *Dilemma III.*

XXII. Quæro, Vel homines possunt salnari in Ecclesia Romana, vel non possunt? Si non possunt, ergo totus mundus damnatns est à primis Ecclesiæ temporibns per 1500. annos vsque ad Lutherum, qno tempore nulla alia nota fuit hominibns Ecclesia Christi nisi Romana. Si possint in Romana saluari, cur Lutherus & eius Sectarij eam deseruerunt?

Itsm, Religio Romana in Anglia ante Lntherum fuit vera, vsl nunquam in Anglia fuit vera Christi Religio. Nam Anglia susespit Christi fidem ab Ecclsia Romana sæculo 6. per Augnstinum Anglorum Apostolum, vera autem Christi fides priùs defecit in Ecclesia Romana sæculo quinto, secnndùm aduersarios: ergo Anglia nunquam habuit veram Christi fidem, si vera est Sectariorum doctrina. En quanto dedecore Sectarij suam patriam improuido errore afficiant.

### *Dilemma IV.*

XXIII. Quæro, Ecclesia Lntherana, si fuit in mundo ante Lutherum, vel erat visibilis, vel

vel inuiſibilis. Si aſſeras fuiſſe viſibilem, die quæſo, quis eam vidit, quis de ea vnquam ſcripſit, aut mentionem fecit. Si autem dicas fuiſſe inuiſibilem, idem eodem iure de ſua Eccleſia dicent Turcæ, dicent Anabaptiſtæ, dicent noui Tremblantes, ſiua Tremuli, an ideò illis credemus?

### *Dilemma V.*

Quæro, Veſtra Eccleſia ſi fuit in mundo ante Lutherum, vel fuit ſancta, vel non ſancta Si fuit ſancta, aſſigna aliquem ex ſanctis Lutheranis, eiuſque vitam, aut miracula in vila hiſtoria ſacra, aut profana à tempore Chriſti vſque ad Lutherum. Si non fuit ſancta, ergo non fuit Eccleſia Chriſti, quæ ſancta eſſe debet, & ſemper ab initio tot habuit ſanctos Apoſtolos, Martyres, Confeſſores.

### *Dilemma VI.*

XXIII. Quæro, Scriptura ſacra non eſt nata cum Luthero, ſed eam accepit ab Eccleſia Romana à centum circiter annis quando ab ea defecit. Quæro igitur hoc modo. Eccleſia Romana, à qua Lutherus accepit Scripturas ſacras, vel fuit tunc temporis vera, vel falſa Eccleſia. Si dicas fuiſſe veram: damnandus eſt Lutherus, & omnes eius aſſeclæ, qui Eccleſiam veram deſeruerunt. Si autem reſpondes fuiſſe falſam, quomodo ergo conſtat Lutherum, & Lutheranos non habere falſam Scripturam, cùm illam acceperit à falſa Eccleſia, quæ multò facilius potuit occultè Scripturam, quàm publicè veram fidem paulatim corrumpere. Quomodo ergo poteſt Lutheranus gloriari ſe puro Dei Verbo credere, & adhærere.

### *Dilemma VII.*

XXIV. Quæro, Religio Lutherana qua talis conſtat ex articulis purè negatiuis verb grat. Non eſt Purgatorium; Non eſt Papa; Non eſt Miſſa, &c. Quæro igitur, An articuli illi continentur in Scriptura, an non? Si affirmas, oſtende mihi locum vbi Scriptura dicat, non datur Purgatorium, &c. Si negas poſſe in Scriptura aſſignari. Ergo Lutheraniſmus qua talis conſtat ex articulis in Scriptura non contentis: ergo non nititur Verbo Dei.

Si reſpondeas illos non eſſe Lutheraniſmi articulos eſſentiales, ſed tantùm accidentales. Quæro iterùm, An illi articuli, quos vocas accidentales, contineantur in Scriptura, an non? Si contineantur in Scriptura, non minùs eſſentialiter ſunt articuli à Deo reuelati, quam quiuis alius in Scriptura contentus: Omnia enim quæ diuina veritas in Scriptura proponit, æquè ſunt Verbum Dei, & æqualiter participant infinitam Dei reuelantis authoritatem, ac proindè neceſſarium eſt æqualiter eſſe credenda. Si autem dicas, in Scriptura non reperiri ergo iam cogeris admittere articulos tuæ fidei eſſe extra fidem, hoc eſt extra Scripturam, in qua ſola profiteris tuam fidem contineri. Ergo corruit tota fabrica Lutheraniſmi in illis fidei articulis quos ſibi de nouo fabricauit, & in quibus diſſidet ab Eccleſia Romana.

### *Dilemma VIII*

XXV. Quær. Aſſeris: Eccleſiam Romanam defeciſſe à vera fide circa annum Chriſti quingenteſimum, hoc enim docent Sectarij. Quæro an defecerit illa tota ſimul, an ſucceſſiuè per partes. Non tota *ſimul*. Quia hoc tantumdem eſſet, ac ſi omnes qui toto orbe ſunt in Eccleſia Romana hodie decumberent Romani, & eras ſurgerent Lutherani. O figmentum! dic quæſo, quænam hiſtoria rem tam prodigioſam commemorat?

XXVI. Neque dici poteſt quod Eccleſia Romana defecit *ſucceſſiuè*, hoc eſt, vna para cæperit negare aliquem articulum fidei, quem Eccleſia eatenùs affirmauit. Nam omnes, qui id fecerunt à reliquo Eccleſiæ corpore tanquam hæretici ſemper ſeparati fuerunt. Ergo non potuit ipſum Corpus Eccleſiæ Romanæ à vera fide ſucceſſiuè deficere. Exemplum ſit in Berengario, quando circa annum Chriſti milleſimum cæpit negare in Euchariſtia realem Chriſti præſentiam, ſtatim reliqua Eccleſia ſe illi oppoſuit, illumque vti hæreticum damnauit, vti fusè tradit Hiſtoria Eccleſiaſtica, quæ omnia Eccleſiæ diſſidia ac ſchiſmata ſemper accuratè commemorat. Ante Berengarium autem nullus omninò in vlla Hiſtoria reperitur publicè in Euchariſtia realem Chriſti præſentiam negaſſe. Ergo tota ſemper Eccleſia vſque ad Berengarium illam affirmauit, adeòque manifeſtè oſtenditur, primitiuam Eccleſiam realem Chriſti præſentiam credidiſſe, & ab ea fide nunquam ſucceſſiuè defeciſſe. Huius dilemmatis euidentia conuictus traditur in Gallia Comes Turrenius generalis armorum celeberrimus, & primaria olim Sectariorum columna, qui non ita pridem tot bellica trophæa publica Romanæ fidei profeſſione coronauit.

Di-

*Dilemma. IX.*

XXVII. Quæro. Donum Miraculorum, vel eſt certum ſignum veræ Eccleſiæ, vel non eſt certum eius ſignum. Si dicas non eſſe certum ſignum veræ Eccleſiæ; iam accuſas Chriſtum fraudis, & impoſturæ, qui Miracula pro ſigno certo, & indubitato veræ Eccleſiæ propoſuit *Matthæi* 11. Cæci vident, claudi ambulant, &c. & *Marci* 16. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c. & per hæc ſigna Iudæos, & Gentiles ad ſuam Eccleſiam adduxit.

Si autem admittas donum Miraculorum eſſe certum ſignum veræ Eccleſiæ; iam clarum eſt Eccleſiam Romanam eſſe veram, in qua ſola, etiam hoc æuo, miracula priſcis ſimilia requiruntur.

*Dilemma X.*

XXVIII. Quæro, ex moderno Sectario; An agnoſcat antiquos hæreſiarchas, verbi gratia, Arium eſſe verè hæreticum, & ritè condemnatum, an verò id neget. Si negat Arium verè eſse hæreticum, iam condemnat primæuam Eccleſiam quæ Arium vt hæreticum, proſcripſit. Si verò agnoſcat Arium verè eſſe hæreticum, idem de Luthero, & moderno quouis Sectario, admittere debet. Vterque enim eodem modo ab vniuerſa Eccleſia Romana damnatus, & ſeparatus fuit; & ideo toto orbe pro hæreticis habiti. Nam ſicut hoc tempore dicit Lutherus Eccleſiam Romanam errare, ita in primis ſæculis idem aſſeruit Arius, & tamen apud omnes eſt hæreticus. Sicut Lutherus citat pro ſe Scripturas, ita multò magis vrgentes pro ſuo errore citauit Arius, vt probaret Filium in diuinis eſſe Patre minorem: Pater maior me eſt. *Ioann.* 14. Et vbi Scripturæ dicunt Patrem, & Filium, vnum eſſe; Arius explicat de metaphorica, & morali vnitate voluntatis. Denique quidquid pro ſe prætendet Lutherus, eodem iure pro ſe dicet, vti olim dixit Arius. Ergo neceſſe eſt (Lutherane, &c.) vt vel Arium hæreticum eſſe neges, vel te hæreticum admittas.

# CONTROVERSIAE RECENTIORES

## De Authoritate:

# PONTIFICIS ET CONCILIORVM.

*QVoniam Authoritas Eccleſiæ docentis, quam ſupra ſtabiliuimus, exire ſolet in actum per definitiones Pontificum, aut Conciliorum, neceſſarium eſt difficultates modernas quæ de his moueri ſolent latius explanare, vt curatores animarum in quauis particulari quæſtione ſanam Eccleſiæ doctrinam diſcernere; ac tueri valeant.*

## QVÆSTIO I.

*An authoritas Concilij generalis ſit ſupra authoritatem Pontificis?*

AFfirmatiuam partem ſuſtinuerunt aliqui Doctores Catholici, qui licet contra hæreticos agnoſcant, Pontificem eſſe ſupremum in terris Caput vniuerſæ Eccleſiæ, id tamen intelligunt de Eccleſia vt eſt ſingillatim, ac ſparſim ſumpta, non verò vt collecta, & in vnum Corpus legitimè congregata. Ita docuit Gerſon. lib. de Poteſtate Papæ, Almainus de author. Eccleſiæ, Toſtatus defenſorij *part.* 2. *cap.* 72. & aliqui ex Sorbonicis, contra quos,

Dicendum eſt, Pontifici competere authoritatem Concilio generali maiorem. Eſt hæc communis Theologorum doctrina, quam plures dicunt fidei proximam, & oppoſitam ſententiam erroneam appellant, ac fusè eam oppugnant, cum Bellarmino de Concil. *lib.* 2. *cap* 15 Caietano, aliiſque.

1. Vt clarius hoc breuiuſque probetur, aſſumo id primò, quod aduerſarij vltro concedunt. Pontifex Romanus eſt Caput, ac Paſtor vniuerſalis ſingularum Eccleſiarum vt ſunt ſparſæ ac ſeiunctæ; Ergo eſt etiam Caput ac Paſtor omnium Eccleſiarum vt ſunt in vnum coniunctæ ac congregatæ in Concilio generali. Patet conſequentia, quia per collectionem in vnum gregem, ſiue in Corpus Concilij, Eccleſiæ particulares non deſinunt eſſe oues Chriſti, quas diſiectè ac ſine exceptione

Chri-

Chriſtus ipſe ſuo in terris Vicario ſubiecit, dum dixit Petro: *Paſce oues meas; Confirma fratres tuos*. Non enim deſinunt eſſe oues, aut degenerant à natura fratrum per naturam coniunctionem inter ſe, & cum ſuo Capite in Concilio generali.

Ex quo viterius patet, Concilio nullam immediatè à Chriſto collatam eſſe authoritatem, ſed illam quam habet poteſtatem à Pontifice deriuare, cum Chriſtus nulli præter Petrum reperiatur gubernandæ Eccleſiæ authoritatem conceſſiſſe.

II. Probatur ſecundò hæc doctrina, ex ipſa Conciliorum Generalium ſolemni ac legitima declaratione, qua ſummi Paſtoris authoritatem Concilio maiorem agnoſcunt. Atque imprimis Concilium Florentinum, ex Patribus tàm Græcis, quàm Latinis conflatum, ſummo conſenſu ſic decernit P. II. Collat. 22. *Definimus Sanctam Apoſtolicã Sedem, & Romanum Pontificem ſucceſſorem eſſe B. Petri Verticis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium*, & totius Eccleſiæ Caput, *& omnium Chriſtianorum Patrem, ac* Doctorem *exiſtere, & in vniuerſum orbem tenere primatum, & in B. Petro paſcendi, regendi, & gubernandi vniuerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe*. En Decretum legitimi Concilij, & à Pontifice confirmati, declarat Chriſti Vicarium totius Eccleſiæ Caput: & in vniuerſum orbem tenere Primatum: Pars autem orbis eſt Eccleſia in Concilio congregata: non poterit ergo Pontificis authoritati ſe ſubducere, niſi fortè vltrà vniuerſum orbem ad ſpatia ignota ſe recipiat.

Accedit altera definitio generalis Concilij Lateranenſis vltimi, ſub Leone X. ſeſſ. 2. vbi poſtquam declaratum eſt decreta Concilij Baſileenſis contra Pontificis authoritatem nullius eſſe roboris, ita ſubiungitur: *Solum Romanum Pontificem pro tempore exiſtentem tanquam* Authoritatem ſupra omnia Concilia habentem: *Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſſoluendorum plenum ius ac poteſtatem habere, nedum ex ſacra Scriptura teſtimonio, dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum etiam Predeceſſorum noſtrorum ſacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorũ confeſſione manifeſtè conſtat*: Facit horum Conciliorum in propria cauſa tam luculenta confeſſio, vt ſuperuacaneum putem prolixiora eam in rem argumenta enaceruare, quibus faciè eſt tractatus integros impiere.

III. Opponunt aliqui primò, Decreta Concilij Conſtantienſis *Seſſ.* 4. & Concil. Baſileensis *Seſſ.* 2. quæ videntur Concilio generali afferere authoritatem Pontifice maiorem.

Reſpondeo, Concilia iſta quoad hoc confirmata non fuiſſe, ideoque in hoc nullum robur obtinere, vt conſtat ex Bulla Leonis X. in Concilio Generali Lateranenſi, in qua declaratur, vtrumque Concilium in hoc negotio erraſſe, ipſumque Concilium Baſileenſe Conciliabulum appellatur, quod fuſius oſtendit hic Bellarminus, ac Turrecremata qui tunc vixit, aliique.

Oppones ſecundo, In primo Concilio ab Apoſtolis Hieroſolymis celebrato, non Petrus, ſed totum Concilium dixit; *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, &c.* Et decreta iſtius Concilij authoritate Eccleſiæ propria, non Petri nomine, ad fideles Antiochiam tranſmiſſa fuere.

Reſpondeo, hæc quidem geſta fuiſſe authoritate totius Concilij, ſed non excluſo Petro eius Capite, à quo decreta illa vim, & robur accepere, ſicut dum modò decreta Concilij Tridentini proponuntur fidelibus nomine Concilij, id omnes intelligunt de Concilio prout in eo Pontifex includitur.

Oppones tertiò Matthæi 18. Chriſtus dixit ipſi Petro. Si peccauerit in te frater tuus, dic Eccleſiæ. Ergo ipſa Eccleſia in Concilio congregata, poteſtatem iudicandi immediatè à Chriſto accepit.

Reſpondeo, præceptum illud non intelligendum de Eccleſia in vniuerſali Concilio congregata, aliàs enim impleri non poſſet trecentis annis poſt Chriſtum quo tempore nullum in Eccleſia fuit Concilium generale. Per Eccleſiam igitur Chriſtus hic aliud non deſignat, quam quemlibet Superiorem, aut Congregationem, quæ in Eccleſia legitimum indicium exercet; recte enim dicitur fieri ab Eccleſia, quod fit à perſona publicam in ea habente poteſtatem.

IV. Poſtremò, hic extorquendum eſt telum quibuſdam qui hoc tempore in Partibus hæreticorum ſe vocant Miſſionarios Apoſtolicos nec dubitant tamen, vt enehant poteſtatem Principum ſæcularium, Apoſtolicæ Sedis authoritatem infra Concilium deprimere: ac confidenter aſſerere, hanc eſſe Eccleſiæ Gallicanæ certam, & indubitatam doctrinam.

Verùm in hoc produnt craſſam rerum Gallicarum ignorantiam, dum ſuam, & paucorum labem, omnibus Galliæ Theologis affricare nituntur. Teſtatur id celebris Scholæ Sorbonicæ Doctor Andreas Duuallius agens de ea ſententia quæ aſſerit Pontificem eſſe ſupra

Con-

Concilium generale, Tract. de Roman. Pontif. poteſtate p. 4. q. 7. *Totus (inquit) orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam (ſententiam) amplectitur; & rationibus validiſſimis, cum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principijs Theologiæ petitis confirmatur.* Atque ita Doctor luculenter oſtendit in Anteloquio *ſ. quo dicto.* Concilium Baſileenſe, in hoc puncto Pontificiæ auctoritati inimicum, ab vniuerſa Eccleſia explosum ſemper reiectumque fuiſſe, nec aliam in hoc eſſe fidem Galliæ, quam vniuerſalis Eccleſiæ.

Huius rei præclarum præbnere argumentum Epiſcopi Galliæ, & Doctores Sorbonæ, quando Pariſijs anno 1611. prodijt libellus Anonymus de Eccleſiaſtica, & Politica poteſtate, qui cum in hac quæſtione videretur Pontificis authoritati aduerſari, Cardinalis Perronius, vna cum Epiſcopis Prouinciæ Senonenſis, & poſtea Aquenſis Prouinciæ Antiſtites, graui cenſura libellum notarunt, ac ſuo decreto condemnarunt. Quorum ſententiam ipſe Author libelli poſtea amplexus eſt, ſuumque errorem debitè retractauit.

Deſinat ergo talium Miſſionariorum inanis illa credulitas, qui vt inter heterodoxos cupiditatibus ſuis aliquando veſtficentur, nimis facilè ad tales perſuaſiones animum conuertunt.

## QVÆSTIO II.

*An Pontificis definitiones ſint infallibiles abſque aſſenſu Concilij generalis.*

I. REſpondeo, & dico, Pontificem Romanum infallibilem habere authoritatem in definiendis rebus fidei pro vniuerſa Eccleſia, etiam abſque Concilio generali. Hæc doctrina communis eſt paſſim inter Theologos: Contra Gerſonem, & Almainum in lib. de poteſtate Eccleſiæ, Alphonſum de Caſtro, & Toſtatum de ſenſorij p. 2. c. 30. Adrianum VI. antequam eſſet Pontifex, q. vlt. de Confirmatione, & *quodlib.* 2. q. 2. cum quibus ſenſiſſe videtur Baius, vti patet ex eius Epiſtol. ad Doct. Grauium data ann. 1572. & aliqui Sorbonici, qui tamen non negant definitioni Pontificis etſi fallibili obtemperandum eſſe. Sed iſtorum ſententia ab alijs Theologis varia cenſura notatur, adeò vt Bellarminus hanc etiam dicat eroneam, & hæreſi proximam, & plures recentiores abſolutè hæreticam.

Probatur hæc doctrinam primò, illis argumentis quibus ſupra oſtendi Pontificem eſſe ſupra Concilium, & nulli omninò à Chriſto, præter quam Petro, immediatè collatam eſſe authoritatem infallibiliem regendi, & docendi vniuerſam Eccleſiam, dum ſoli Petro cum ſucceſſoribus determinatè, & in ſingulari dixit: Luc. 22. *Ego rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & Tu aliquando conuerſus confirma Fratres tuos.* Et Ioan. 21. *Petre amas me? Paſce oues meas.* Et Matt. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

II. Sed ne quis vlterius dicat, ſoli quidem Petro, & ſucceſſoribus collatam fuiſſe poteſtatem *immediatam* docendi vniuerſam Eccleſiam; potuiſſe tamen Chriſtum requirere aſſenſum Concilij generalis, tanquam *conditionem* ſine qua Spiritus Sanctus Pontificis definitioni non aſſiſteret.

Contrarium euincunt verba Chriſti ſuperius allata, quæ cum ſint abſoluta, non patiuntur vllam huiuſmodi conditionem opponi præſertim cum illa gratia ac Priuilegium contineant, quod nunquam vltra Principis verba reſtringendum *indicatur*. Et vero parum Eccleſiæ vſibus conſentanea fuiſſet in Pontifice hæc docendi, & definiendi authoritas, ſi non eſſet ab erroris periculo libera abſque Concilio generali, quod numquam ſine ingenti labore ac molimine, imò aliquando, obſtentibus Principum diſſidijs ex toto orbe Chriſtiano nullo modo cogi poteſt. Hunc igitur Eccleſiæ vniuerſæ Cætum requirere ad decidendum quamlibet fidei controuerſiam, ne quidem prudentiæ eſt humanæ, multò minus prouidentiæ diuinæ.

Sed age, ſi lubeat Eccleſiam vniuerſam toc itineribus toties fatigare. Demus iam grandæuos illos Concilij Patres per mille vlarum diſcrimina ab extremis oris in vnum cætum, locumque cum ſuo Capite conueniſſe. Proponitur congregatis noua quæpiam fidei controuerſia, itur in ſuffragia. Sed ecce, vt ſæpè factum, aliud ſentiunt Patres, aliud Pontifex. Cuius hic ſententiæ ſtandum erit? Non ſolius Concilij, cum fatearis huius aſſenſum tantùm requiri per modum *conditionis*, vt Pontificis definitio ſit infallibilis. Neque admittas ſtandum eſſe ſententiæ definitiuæ ſolius Pontificis. Quid ergo Eccleſiæ in hoc Concilio conſilij erit? Si tuæ innitatur ſententiæ, re infecta iter remetiendum, & de controuerſijs fidei deciden-dis deſperandum erit.

III. At nc id vnquam euentarum formidemus: Probatur ſecundò noſtra aſſertio, ex teſtimonio Conciliorum generalium, quæ in Pontifice res fidei per ſe definiente hanc authoritatem erroris expertem vltro agnoſcunt. Illam in Leone I. lubens admiſit Synodus Cal-

Calcedonenſis IV. Nam priuſquam Synodus illa Calcedone congregata fuiſſet, Leo Pontifex damnauerat Eutichetem Epiſtola Flauiano Conſtantinopolitano inſcripta, quæ verius encyclica ſiue vniuerſalis fuit. Hæc cum Concilio iecta eſſet actione 2. Patres acclamarunt; *Anathema qui ita non credis, Petrus per Leonem locutus eſt.* Hanc itaque Leonis Epiſtolam ac ſententiam definitiuam, tanquam certiſſimam fidei regulam acceperunt, eique Actione quarta in Concilio ſubſcripſerunt. Quinimo poſtquam aliqui Epiſcopi Aegyptij, qui prius in reprobando Eutichete tergiuerſati fuerunt, tandem dixiſſent, *Anathema, Eutycheti, & credentibus ei*, nondum acquieuere Patres, ſed iudicantes rem ex ſola Pontificis ſententia decernendam, denuò inclamarunt, *Subſcribant Epiſtola Leonis, qui non ei ſubſcribit hæreticus eſt.* Vſque adeò, ex ſola Pontificis immobili ſententia, iam iudicatum eſſe pronunciarunt, ita vt quemlibet ei obſiſtentem pro hæretico haberent. Denique tota Synodus communibus votis Actione 16. à Leone poſtulauit, vt ſua confirmatione decretis Concilij firmum robur adijceret: ſatis in hoc apertè profeſſa, inconcuſſam Decretorum firmitatem à ſola Pontificis authoritate dependere.

IV. Neque alia cæterorum Conciliorum mens, & ſententia fuit: patuit ea in Conſtantinopolitano II. Actione 4. erga Pontificem Agapetum in cauſa Anthimi: nec minus in Synodo VI. actione 18. erga Agathonem, de cuius ibi litteris tota Synodus ait. *Quas, vt à ſummo Apoſtolorum vertice diuinitus conſcriptas, agnoſcimus.* Nec in Synodo VIII. erga Adrianum II. ac Nicolaum I. vbi actione 5. de ſententia Photij ſic denuntiatur: *Neque nos ſanè nouam de illo iudicij Sententiam ferimus, ſed iam olim à Sanctiſs. Papa Nicolao, & ſucceſſore illius Adriano pronunciatam, quam nequaquam poſſumus immutare.* Si Synodus Pontificis ſententiam immutare non potuit, ergo agnoſcit eam immutabilis eſſe veritatis. Sed ne in proferendis aliorum Conciliorum monumentis ſim prolixior, tantum adiungo breuem Concil. Trident. confeſſionem de Baptiſmo ſeſſ. 7. can. 3. *Eccleſia Romana autem non niſi ratione Pontificis eſt Magiſtra cæterarum.* Quid vero aliud hoc eſt, quam ſoli Pontifici competere infallibile in docenda Eccleſia magiſterium.

At, inquies, quædam Pontificum definitiones inter ſe pugnare videntur. Repono breuiter, non pauciores in Concilijs, imo in Sacris litteris antilogias in ſpeciem apparere: an deo his, aut illis ſua concidit authoritas, ſoluit illas facilè Bellar. & Amic. to. 4. diſp. 7. ſect. 2.

V. Poſtremò; vim habet inſuperabilem conſtans Eccleſiæ toto orbe diffuſæ conſenſus in acceptandis omni æuo Pontificum decretis, quibus graniores quædam hæreſes profligatæ fuerunt, etſi ea nullius fuerint generalis Concilij aſſenſu corroborata. Conſtat enim primò, iam inde à tempore Apoſtolorum, nullam in Eccleſia coactum fuiſſe Concilium generale vſque ad Nicænum I. ſub Syluestro Papa, quarto demum poſt Chriſtum ſæculo: & tamen primi Pontifices ante Syluestrum, contra emergentes hæreſes plurimas fidei, morumque controuerſias irrefragabili authoritate definiuerunt. Damnarunt enim illi, & hæreticos declararunt Cataphrygas, Montaniſtas, Marcioniſtas, Nouatianos, ac Sabellianos, eoſque ab Eccleſiæ corpore ſeparārunt.

Poſt tempora Concilij Nicæni, quis ignorat quam graues in Eccleſia hæreſes ſuſcitarunt Pelagiani, Semipelagiani, Priſcillianiſtæ, Berengarius, Petrus Oxonienſis, aliique, quorum errores ſoli Pontifices abſque Concilio generali proſcripſerunt, atque horum decreta omnes toto orbe fideles inuiolabili fide ſibi ſuſcipienda eſſe nõn dubitarunt. Ac in Pelagiana quidem hæreſi profligenda ſuum, ſuique æui ſenſum ac ſententiam apertè depromit Gelaſius Papa *Epiſtola* 4. Quid, inquit, tendimus vltra definita maiorum? aut cur nobis non ſufficiunt? an fortè neſcitis hanc hæreſim de qua loquimur, ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ Innocentium, ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cœleſtinum, Sixtum, continuis ac inceſſabilibus ſententijs fuiſſe proſtratam.

His ſuperiori ſæculo ſucceſſere Leonis X. decreta contra Lutheri errores ſancita, & ante coactum Tridentinum magno omnium, præterquam Lutheranorum, conſenſu recepta. Subierunt, & noſtro æuo, contra Ianſenij dogmata, Vrbani VIII. aliorumque Pontificum Innocentij X. & Alexandri VII. nota ſatis orbi Chriſtiano Diplomata, de quibus tamen cogimur, ſi boni Eccleſiæ filij eſſe velimus, vt Gelaſius, pronunciare: Quid tendimus vltra infinita Maiorum? aut cur nobis non ſufficiunt? an fortè neſcitis hanc hæreſim [de qua loquimur] ab Apoſtolica dudum ſede per beatæ memoriæ *Vrbanum* ac deinde *Innocentium*, & *Alexandrum* continuis ac inceſſabilibus ſententijs fuiſſe proſtratam. Hęc illius primęni, & aurei ſęculi, aurea vox, & doctrina fuit: neſcio quid ferreum, ac priſcis incognitum ſubinde minatur noſtra ętas, quoties contra ſupremi Paſtoris vocem obdureſcit. Deficere non potuit in Romanis Pontifici

ficibus ptistina illa,& à Deo promissa in docendo authoritas,an ergo defecit in obluctantibus primæua obseruantia?

VI. Admittunt igitur more maiorum passim Doctores Catholici, Pontificis etiam absque Concilio authoritatem erroris expertem, supra assertam: & hanc extendunt ad decisionem indubitatam omnium controuersiarum, in quibus è Cathedra alterutram partem pro vniuersa Ecclesia definit.

Emerserunt tamen recentiores quidam Theologi, qui huic amplitudini Pontificiæ potestatis nouos limites apponere moliuntur. Quamuis enim admittant Pontificem in definienda Iuris quæstione errare non posse, volunt tamen in Quæstione facti, etiam quando Ecclesiam vniuersam è Cathedra docet, errori obnoxium esse. Et vt secuti sint ne ab hac doctrina validiori fræno cohibeantur, negant etiam Concilio generali authoritatem indubitatam in *facti* quæstione concedendam. Hinc si quando de alicuius Personæ erroribus, de sensu Libri, de mente Authoris, & alijs huiusmodi, controuersia non oboritur, vt sententiam sibi metuendam declinent, liberum pandunt ad Facti quæstiones effugium, hoc se clypeo contra Pontificum ac Conciliorum decreta, & anathemata tutos arbitrantur.

VII. Sed leuius ferendum foret, si huius doctrinæ lues ijs tantum, quibus nata est, finibus contineretur. Latè nimium illa serpit, dum transit oceanum,& ad Apostolicos quoq; Missionarios penetrauit; quorum aliqui suis etiam Scriptis hoc contagiosum virus inspersserunt. Nec dubitarunt, in alio genere causæ ac controuersiæ, contra Pontificum decreta ac censuras, hanc Facti quæstionem obtendere; & ipsos etiam Sectarios, hoc prætextu, Pontificiæ potestati in multis subducere. Ne igitur alij hoc nixi medio apud ignaros aditum sibi vlteriorem aperiant, hic breuis huius controuersiæ expositio illis opportunè obijcitur.

## QVÆSTIO III.

### *An Pontificis in definiendo authoritas infallibilis extendat se ad omnes tam Iuris, quam Facti quæstiones?*

I. REspondeo, & dico, Nullum errorem cadere posse in doctrinam quam Pontifex authoritate summa definit, & proponit vniuersæ Ecclesiæ, siue illa Iuris, siue Facti quæstionem contineat.

Nolo probare hanc assertionem argumentis prolixioribus. Ex vnico principio iam stabilito rem hanc dilucidè, breuiterque conficiam.

Certum est fide diuina omnibus Catholicis, Ecclesiam vniuersam, cuius caput est Romanus Pontifex, non posse in credendo errare; quod supra contra Sectarios firmaui. Atqui si definitio Pontificis in doctrina Facti esset obnoxia errori, in eundem errorem traheretur vniuersa Ecclesia. Ergo in proponenda Ecclesiæ huiusmodi doctrina non potest Pontifex errare.

Minor probatur. Quia de facto Pontifex summa potestate aliquid definiens in quæstione facti, districtè,& sub anathemate mandat id credi,& recipi ab vniuersa Ecclesia, eo tenore quo procedit in quæstione iuris; & tota Ecclesia tenetur eius mandato obtemperare. Ergo si Pontifex in definienda Facti quæstione esset fallibilis,absolutè posset, imò deberet vniuersa Ecclesia in eundem errorem induci.

En quo pertingat noxius error? qui dum in Facti quæstione Pontificis authoritatem conuellit,eadem ruina inuoluit vniuersam Ecclesiam, ipsam columnam, & firmamentum veritatis.

II. Hanc verò in Pontifice circa Facti quæstiones inuiolabilem potestatem ab Ecclesia agnitam semper, receptamque fuisse, ex suis ipsa monumentis testabitur, ex quibus sufficiet pauca, eaque recentiora proferre.

Sunt hæ Facti quæstiones. An cum corpore Christi remaneat panis substantia in Sacramento Eucharistiæ: An Christus aquam vino miscuerit in vltima cœna: An per Baptismum, & Confirmationem imprimatur character Sacramentalis. An Ecclesia antiquissimis temporibus vsa fuerit Indulgentijs: An Deipara semper Virgo permanserit: An eadem per totam vitam ex speciali priuilegio vitauerit omnia peccata etiam venialia, &c. Has verò quæstiones Leo X. Pontifex per suam Bullam contra modernos Hæreticos resoluit, ac definitionem vniuersæ Ecclesiæ sub anathemate credendam proposuit, idemque postea in Concilio Tridentino præstitum fuit. Contra hanc Pontificis definitionem nemo orthodoxus accepit, nemo ad Facti latebras confugit, nemo in his quæstionibus sine erroris periculo decidendis, præter Sectarios, summi Pastoris authoritatem in dubium reuocauit.

III. Hanc igitur semitam in alijs Facti controuersijs teneat necesse est, qui non cupit nouo exemplo à priscis Patrum vestigijs, & veritate deuiare: quod ni faciat nullum fidei controuersijs, nec in Romana quidem Ecclesia,

exitum inueniet. Faciamus enim, inſurgente noua aduerſariorum oppugnatione, Pontificem aut Eccleſiam pro fidelium pace aliquid definire, exempli gratia, Deiparam nunquam actu peccaſſe: nunquam contraxiſſe maculam originalem: Lutherum non fuiſſe à Deo miſſum. Quam facile foret omnem huius definitionis vim euertere, opponendo, hic inuolui quæſtionem Facti, hanc non eſſe materiam fidei, Pontificem in his ſumma authoritate decidendi poteſtatis ſuæ limites exceſſiſſe. Sæpe enim, an quæſtio aliqua factum inuoluat, à ſola nominis lite dependet. Quiſquis igitur non inanes lites, ſed potius expeditam fidei ſemitam inquirit, huic Regulæ inſiſtat neceſſe eſt: Pontifex aliquid definiuit, & Eccleſiæ credendum propoſuit: ergo id potuit definire: Parum enim vtilis foret Spiritus veritatis in Eccleſia perpetuò manſurus, ſi permitteret Chriſti Vicarium ſuo nomine, & ſumma authoritate aliquid vniuerſæ Eccleſiæ proponere, quod per ſuam aſſiſtentiam ab erroris periculo non vindicaret.

IV. Neque huic doctrinæ aduerſatur Bellarmin. *Lib. 4. de Pontif. c. 2.* aut Doctores alij qui tradunt Pontificem, *etiam vt Pontificem, & cum Concilio generali errare poſſe in controuerſijs facti particularibus, quæ ex informatione teſtimonijſque hominum, præcipuè dependent.* Non enim admittunt illi quod Pontifex ſumma poteſtate pro vniuerſa Eccleſia aliquid definiens poſſit eſſe obnoxius errori: ſed tantum docent, Pontificem etiam vt Pontificem, per modum iudicis priuati, errare poſſe in controuerſijs facti *particularibus*, vti dum aliquem excommunicat, ſuſpendit, damnat, aut abſoluit & poteſt fieri vt innocentem damnet, aut nocentem abſoluat: quia in huiuſmodi iudicio non exercet officium Paſtoris vniuerſalis neque in his, ſi erret, tota Eccleſia in errorem inducitur, quia veritas talis ſententiæ non proponitur definitiuè tanquam ab vniuerſa Eccleſia ſub præcepto recipienda. Dicitur tamen actus illos exercere, tanquam Pontifex quia robur ſuum habent à Pontificia poteſtate, à cuius ſententia ad aliud tribunal appellari non poteſt. Hoc igitur ſenſu intelligendus eſt Bellarmin. nec nõ Baronius, & Spondanus, dum in hiſtoria Honorij admittunt Pontificem, & Concilia in quæſtione facti errare poſſe. Et de Bellarm. quidem ſatis id apertè colligitur ex verbis, quæ ioco ſupra citato præmittit, vbi tradit ſententias Pontificum interdum, *Verſari in rebus particularibus quæ ad paucos pertinent, quales ferè ſunt omnes cõtrouerſiæ facti, vt an talis ſit promouendus ad Epiſcopatum, an iure fuerit promotus, an videatur deponendus*, &c. Harum enim quæſtionum decisio ex informatione teſtimoniſque hominum præcipuè dependet, non ex Spiritus ſancti aſſiſtentia, quæ tantum Pontifici definienti, & vniuerſam Eccleſiam docenti, promittitur.

Ex dictis hactenus dilucidè ſequitur, Nunquam fieri, aut ſperari poſſe, vt aliqua eadem propoſitio ſiue in materia iuris, ſiue facti, ſemel ab Eccleſia aut Pontifice damnata, poſtea definiatur vt vera, vel contra, vt præclarè deducit *P. Bruno Neuſſer* vir eximiè doctus, in ſuo Prodromo Velitari p. 1. cap. 1.

## QVÆSTIO IV.

*An poſſit error cadere in Eccleſiæ, aut Pontificis definitione de ſenſu Scripturæ Canonicæ, aut de doctrina alicuius libri Catholici.*

I. DIco primò, De fide eſt Eccleſiam, aut Pontificem non poſſe errare, dum alicuius Scripturæ ſenſum definit, & vniuerſis fidelibus recipiendum proponit.

Probatur ex ipſa Scriptura, & ratione manifeſta, quibus ſupra Cap. 8. contra Sectarios oſtendimus Eccleſiam, & Pontificem, eſſe iudicem infallibilem controuerſiarum in materia fidei. Sed quæſtio quæ oboritur de legitimo ſenſu Scripturæ ſacræ, manifeſtè verſatur in materia fidei: verus enim Scripturarum ſenſus nititur Dei reuelantis authoritate, eſtq; primum totius fidei fundamentum. Ergo in eo declarando neceſſarium eſt ſententiam Eccleſiæ aut Pontificis ab omni errore immunem eſſe. Aliàs nulla ſupereſſet via, qua poſſint hæreſes contra verum Scripturæ ſenſum exortæ ex comperta veritatis luce diſſipari.

Et verò ſi priſca Patrum veſtigia relegamus, hac authoritate nixi Pontifices, & Concilia profligarunt Arium, Macedonium, Neſtorium, Eutichetem, quos de vero Scripturę ſenſu ſibi præſidentes, per legitimam verbi Dei interpretationem ſumma poteſtate declararunt ab Eccleſia ſegregarunt. Nec alio telo Patres Trident. confixerunt hæreticos contra veram Chriſti in Euchariſtia præſentiam ſeſe efferentes, quàm interpoſita ſua authoritate, qua declararunt, illos contra Scripturæ ſenſum aberrare, qui Chriſti verba, Hoc eſt Corpus meum, &c. *Ad fictitios, & imaginarios tropos, quibus veritas carnis, & ſanguinis Chriſti negatur, cõtra vniuerſa Eccleſiæ ſenſum detorquerent.* Si quis igitur hoc interpretandi magiſterium infallibile Eccleſiæ deneget, hic nondum conuictos Lutheri errores, nondum proſtratam Caluini hæreſim fateatur neceſſe eſt. De quo ne quis

fide

fidelium possit dubitare, apertè declarat Tridentinum *Sess. 4.* Ecclesiæ esse, iudicare de vero sensu & interpretatione Scripturarum. Neque existimo hanc doctrinam ab alijs, quàm apertis Ecclesiæ hostibus in dubium posse seuocari.

II. Dico secundo: Falli nequit iudicium Ecclesiæ aut Pontificis, authoritate summa approbantis alicuius Libri doctrinam vt veram & Catholicam.

Probatur primò; Negari non potest quin Ecclesia & Pontifex sit infallibilis in aperiendo sensu Scripturæ sacræ, vti iam inter orthodoxos compertum esse demonstraui: ergo eadem pollent facultate in approbanda alterius libri doctrina vt Catholica, & absque erroris periculo recipienda: Eandem vtrobique rationem militare sic ostendo. Sensus ille quem Canonicus Scriptor suis verbis expressit, potest ab alio Authore dissimili verborum ordine & apparatu consignari, sic vt nullum subsit nisi in idiomate, & verbis diferimen. Quid quæso causæ est, cur sensum verum sub nouo verborum apparatu latentem non possit Ecclesia deprehendere, si valeat eundem sub priori scribendi forma dignoscere? Certè ad fidelium institutionem, & ad dirimendas controuersias omninò facit, veritatem Fidei non tantum in sacris Litteris sed etiam in quouis Libro, de quo lis oritur, sine errore designare.

Probatur secundò; Si Pontifex, aut legitimum Ecclesiæ Concilium possit errare in approbanda alicuius Libri doctrina, vt vera, & Catholica, iam ferè omnes Ecclesiæ definitiones suum roburamittent. Doctrina enim in illis definita plerumque à particulari quapiam persona conscripta & concinnata fuit, ac postea Pontificis aut Concilij iudicio subiecta: Quod si in iudicando de istius Scriptoris sensu, Pontifex aut Ecclesia infallibilis non fuit, iam corruunt illæ definitiones ab vniuersis Fidelibus pridem receptæ: Exemplo sint Canones illi duodecim, quos Ephesinos vocant, quibus anathema dicitur *Nestorij*: conscripti fuerunt Canones illi primum à Cyrillo in vna ex synodicis Epistolis, quoa demum vt Catholicos *Ephesina* synodus approbauit, vti apertè patet *actione* 4. in initio Concilij Chalcedonensis. Hæc autem approbatio nullius esset roboris, si non possit Synodus illa sine periculo erroris iudicare de Catholico sensu scriptionis à Cyrillo confectæ. Non enim de solis verbis, ac vocibus iudicat Ecclesia, sed de sensu quem verba illa conficere debent.

III. Probatur tertiò: Et argumentum desumo ex mente eorum qui hanc doctrinam præcipuè oppugnant. Fatentur illi libenter Pontificem infallibilem esse in approbandis S Augustini libris, in ea præsertim parte qua Pelagianos ac Semipelagianos confutauit. De probatissima horum librorum veritate vel minimam hæsitare summi placuli loco habent: ipsum proinde S. Augustinum Patrem Patrum, Doctorem post Canonicos Scriptores primum deprædicare non dubitant. Hominem tameu fuisse S. Augustinum, & in scribendis libris errori obnoxium nemo est qui inficiabitur.

IV. Vnde ergo istis S. Augustini Scriptis authoritas tanta accessit, vt ab omnibus veneratione summa instar oraculi suscipi debeant? In promptu ratio est, quia scripta illa plures Pontifices aut Concilia approbauere: Illis exploratæ veritatis testimonium apposuit Concilium Constantinopolitanum II. Gelasius Pontifex in Synodo Romana, ac postea Cælestinus, Hormisda, Ioannes Papa, eadem contra Pelagij errores ampiectenda esse declarauit. Certa igitur tibi est summa & inconcussa authoritas Pontificum, ac Conciliorum in approbanda S. Augustini doctrina vera ac Catholica; neque subit verem ne hic vel ex quæstione facti, vel ex alia quapiam causa aliquod erroris periculum interuenerit. Quid igitur, dum de aliorum Authorum Scriptis sententiam Pontifices ferunt, lapsum illis aut errorem reformidas? Non tantum ad penetrandum S. Augustini sensum diuinus Spiritus Ecclesiæ assistit, satis illi lucis est, vt ad alios ea sese diffundat; nec est cur lapsu temporis moderni Pontifices lucis huius deliquium patiantur; Christus Iesus heri, & hodie, ipse & in sæcula.

## QVÆSTIO V.

*An possit Ecclesiæ aut Pontificis definitio esse erronea, de sensu Libri hæretico, cuius doctrinam condemnat?*

I. DIco primò; Non licet inter Catholicos dubitare de Ecclesiæ, aut Pontificis authoritate infallibili in iudicando de alicuius Libri sensu hæretico.

Probatur hæc assertio, ex doctrina iam à nobis in superiori §. stabilita. Sine vllo erroris periculo potest Ecclesia, aut Pontifex approbare alicuius libri doctrinam vt veram, & Catholicam. Ergo eodem modo potest condamnare alicuius Libri doctrinam vt falsam, & hæreticam. Nulla hic dispar ratio, omnia vtrimque eadem concurrunt.

II. Si in iudicio de ſenſu libri Catholico, vel nulla eſt quæſtio facti, vel ea definitioni infallibili minimè obſiſtat, idem omninò ſtatuendum erit de ſententia, qua ſenſus libri hæreticus declaratur. Si pro conſeruanda fidei veritate neceſſaria eſt in Pontifice Romano authoritas erroris expers ad diſcernendam in libris S. Auguſtini Catholicam veritatem, non minus eadem opus erit ad deſignandam in aliquo Pſeudo Auguſtino doctrinæ falſitatem. Si denique ad officium ſpectat ſummi Paſtoris, cui Chriſtus oues ſuas paſcendas commiſit, ſalutaris doctrinæ paſcua illis demonſtrare, non minus ad eiuſdem munus pertinebit, herbas nocentes, id eſt, doctrinam non ſanam abſque errore deſignare, vt fideles à libris, in quibus illa continetur, ſui Paſtoris cura & authoritate arceantur.

Ad argumentum hoc à Paſtoris officio deſumptum, opponit *Sinnichius in Galileo*, ſufficere vt paſtor ſciat ſe ſalutares tantum herbas, non autem venenatas Ouibus apponere, etſi interea ignoret in quo agro herbæ illæ creuerint, aut quis fuerit agri cultor: atque eodem modo laborandum non eſſe, etſi ſummus Eccleſiæ paſtor nequeat ſcire aut definire, ex quo libro, vel authore doctrina ſana, aut noxia deſumpta fuerit, modò prouideat vt oues ſanæ, non autem venenatæ doctrinæ pabulo nutriantur.

III. Diſpliceret non immeritò hæc reſponſio, niſi eſſet Scriptoris noſtræ Patriæ, in qua cum venena non gignantur, minorem fortè à paſcuis venenatis noxam formidauit. Sed quia omnibus hæc ſcribimus, Quæro, ergo quid magnoperè profit Fidelium omnium Paſtorem docere generatim, quid ſalubre ſit, quid noxium, niſi fideles ſuos coerceat ab illis librorum pratis, & fontibus, in quibus noxia illa & venenata doctrina continetur? Quomodo autem arcebit, ſi non poſſit libros illos abſque errore deſignare?

IV. Hoc ſi Paſtor præſtare non valet, quomodo oues pleræque, quæ minus acutum vident, poterunt peſtiferæ doctrinæ periculum euitare, dum ad voluendum noxios libros nouitas inuitat, author allicit, facundia demulcet, & cœleſtis doctrinæ Ambroſia ſe potari exiſtimant, dum venenum hauriunt mortiferum? Nihil igitur hic iuuat deducta illa à quadrupedum Paſtore nonnihil clauda ſimilitudo, qui compactum in ſtabulo gregem ſelectis herbis ſecurè paſcit, licet pratum ignoret vnde demeſſum fuerat alimentum, Clauda, inquam, erit ſimilitudo, niſi pariter doceatur, quo pacto grex Chriſti toto orbe diffuſus, alicuius ſtabuli repagulis ſic compungatur, vt nequeat libris noxiam doctrinam præbentibus liberas manus, aut oculos admouere. Artem hanc meliori compendio docet Eccleſia, dum indubitata ſupremi Paſtoris voce, & oraculo ipſos potiùs libros peſtiferæ doctrinæ feraces deſignat, ac deſignatos ad carceres illos condemnat, in quibus luci, & fidelium manibus perpetuò ſubducantur.

V. Probatur inuictè eadem veritas, ex perpetua conſuetudine Pontificum, & Conciliorum in ferenda ſententia de librorum ſenſu, aut doctrina peruerſa; & ex Fidelium conſenſu in amplectenda illa Pontificum ſententia. Clariora ex plurimis exempla ſummatim refero. Libros Berengarij damnauit Nicolaus Secundus; Seueri libros reprobauit Agapetus Pontifex, cuius iuſſu Iuſtinianus Imperator eos flammis aboleri mandauit. Innocentius primus in Epiſtola 26. ad Epiſcopos Africanos de Scriptis Pelagij ſic reſcribit: Librum ſanè, qui eius eſſe diceretur, nobis à Charitate veſtra tranſmiſſum euoluimus, in quo multa blaſphema, nihil quod placeret, nihil quod non penitus diſpliceret, à quouis damnandum, atque calcandum. Hoc verò Reſcriptum de ſenſu libri Pelagiani, vnum eſt ex illis de quo ipſe Auguſtinus non dubitat pronunciare, Roma reſcripta venerunt, cauſa finita eſt. Diuinum nempe aliquid & infallibile huiuſmodi Pontificis ſententiæ, præ cæteris omnibus, ineſſe agnouit.

VI. Neque fuiſſe ſatis doctrinæ damnatæ, abſtrahendo ab Authore eiuſque ſenſu, anathema dicere, vti voluerunt aliqui moderni, conſtat ex proceſſu habito in prima Synodo Nicæna. Vbi cum Euſebius Nicod. & Theognis Nicænus condemnationi errorum qui Arij dicebantur ſubſcriberent, detrectabant tamen ipſi Ario, einſque doctrinæ anathema dicere. *Quod minimè crederent eum qui erat accuſatus, hominem eius generis fuiſſe, qui eos errores doceret*: atque hoc vnum ſatis fuit, vt Synodus illos pro hæreticis haberet, atque exilio mulctaret, vti memoriæ proditum eſt in Socratis Hiſtoria Eccleſiaſtica *lib. 1. cap. 10.*

Palmare in hoc genere deducitur argumentum ex actis Concilij Chalcedonenſis *actione* 8. Vbi Synodus vniuerſa Theodoretum, poſt abiuratam Neſtorianam hæreſim, abſoluere recuſauit, niſi diſertè diceret, *Anathema Neſtorio, & dogmatibus eius*. Durum Theodoreto non videbatur dogmata à Concilio

ellio damnata reprobare, modò Neſtorium, cui plurimum ſtudebat, eorum authorem non agnoſceret. At Patres ex aduerſo, quamdiu id apertis verbis fateri recuſabat, conſona voce inclamarunt; *Ille hæreticus eſt, Neſtorianus eſt, hæreticum foras mitte*. Sed vbi Theodoretus tandem abſque ambage, dixit, *Anathema Neſtorio*, & dogmatibus eius: Tum demum in Concilio Epiſcopi omnes pronunciarunt: *Theodoretus dignus eſt ſede Eccleſia, Orthodoxum Eccleſia Paſtorem recipiat*. Mutato tantum nomine, aliis in ſimili cauſa eandem ſententiam quadrare, conſideranti manifeſtum eſt.

VII. Non ignorauit hunc Eccleſiæ morem, & in eo Pontificis poteſtatem Doctor olim in Belgio celebris Michael Baius, cuius cum ſententiæ variæ damnatæ eſſent à Pio Quinto, & Gregorio XIII. in rigore ac proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento; nullo quæſito à Facti quæſtione præſidio, ſuam confeſſionem, ac damnatæ doctrinæ retractationem inter alia his verbis expreſſit: „ *Fateor plurimas ex iiſdem ſententijs* in nonnullis libellis à me olim, & „ ante emanaram ſedis Apoſtolicæ ſuper iis „ cenſuram, conſcriptis, & in lucem editis, „ contineri, & defendi, *Etiam in eo ſenſu in quo* „ *reprobantur*. Denique declaro me in præ„ ſentiarum ab iis omnibus recedere, & dam„ nationi à ſede Apoſtolica factæ acquieſce„ re, neque poſthac vllas docere, aſſerere aut „ defendere velle. Actum die 24. Maij 1580. „ quo tempore hæc etiam in Academicis Fa„ ctis conſcripta fuere.

VIII. Quin, & ipſe Ianſenius nullam ſuis ſcriptis, contra Sedis Apoſtolicæ iudicium, ſupereſſe defenſionem apertè profitetur in Proœmio ad tom. 2. cap. 29 *Quidquid*, inquit, *ab iſta Petri Cathedra, ab iſto Eccleſiæ vniuerſæ Capite, moderatore, Pontifice præſcriptum fuerit hoc teneo: quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo*.

Hanc niſi ſupremo Paſtori, maiorum exemplo, authoritatem erroris expertem concedimus, quid Caluini, quid Lutheri Libros à Sede Apoſtolica proſcriptos execramur? Hæreſim, inquies, libri illi continent manifeſtam. At negabit aliquis id ſibi perſpicuum eſſe, non enim omnes ea pollent mentis acie, vt damnata dogmata in Lutheri libris illico deprehendant. Cur ergo libenum non erit dicere; doctrinam omnem à Leone X. & Tridentino damnatam execror, Lutheri verò libros vt innocuos amplector. En ad qualia demum paſcua deuehimur, niſi Paſtoris vocem ſalutiferam omni ambage remota ſequamur.

Dico nunc vlterius ſecundò. Quæſtio de alicuius libri doctrina hæretica, & in ſenſu authoris, vera eſt quæſtio Iuris, non Facti.

IX. Quid enim eſt inquirere, An doctrina libri verbi gratia à Ianſenio vel alio authore conſcripti ſit hæretica, quam quærere, ſpectato Iure, & Legibus humani ſermonis, quem ſenſum conficiat contextus verborum qui in illo libro continetur? Hoc autem ſpectat ad legem qua ſocietas humana, verba aut ſcripta in certis circumſtantijs vſurpari, & intelligi volnit, etſi interea contingeret Scriptorem velle aliquem ſenſum verbis ſuis diſformem. Sicut ſit in valore quem Rex, aut Reſpublica monetæ conſtituit, qui debet publicè vſurpari, etſi is, qui monetam profert cupiat illam aliter acceptari, vel etiam, quærere, An ſenſus ille, quem verba communi lege conficiunt, ſit hæreticus? Quæ etiam eſt quæſtio clara iuris diuini: reſolui enim debet ex iure diuino, quo inquiritur, an ſenſus ille repugnet eloquijs diuinis, ſiue doctrinæ, quam Deus pro reuelata haberi voluit?

X. Sic iam ſubſumo: Atqui ea quæ conflatur ex duabus quæſtionibus iuris, neceſſariò debet ad quæſtionem Iuris pertinere, Ergo quæſtio illa, de alicuius libri doctrina hæretica, non Facti, ſed Iuris quæſtionibus annumerari debet.

Ex quo patet talem hic de ſenſu libri hæretico ſubeſſe Iuris quæſtionem, qualis reperitur in alijs articulis, extra vllius authoris librum, à Pontifice aut Concilio legitimè damnatis. Quando enim ab ijs propoſitio aliqua vt hæretica declaratur, verbi gratia, hæc: *Mandata aliqua Dei ſunt etiam iuſtis impoſſibilia*: non aliud docent quam doctrinam illis verbis comprehenſam hæreſim continere: quid verò hoc aliud eſt, quam ſenſum illi ſermoni ſubiectum hæreticum eſſe, attentis Legibus quas homines communi inſtitutione humano ſermoni ſtatuerunt. Senſus enim ab authore aliquo intentus, in arcano eius pectore non occultatur, ſed ille eſſe Scriptoris ſenſus intelligitur, quem verba quibus vtitur in externo tribunali, & communi hominum iudicio conficere ſolent. Hæc igitur manifeſta iuris quæſtio eſt, de hac Eccleſia, de hac Pontifex, vti de illa priore, ſine errore pronunciat.

En quocumque te verteris, ſiue ad Facti, ſiue ad Iuris quæſtionem nullus datur effugio locus, lucidior eſt hæc veritas, quam vt latebras

bras patlatur. Hinc ne quis in ea recipienda vacillaret, ſapienti conſilio, ex Regis Chriſtianiſſimi, & Epiſcoporum Galliæ deſiderio, Alexander VII. decreuit, vt vniuerſus ordo Eccleſiaſticus huic Profeſſioni enm iuramento ſubſcriberet.

XI. Ego N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentij X. datæ die 31. Maij 1653. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octob. 1656. ſummorum Pontificum, me ſubijcio, & quinque propoſitiones ex Corneli j Ianſenij libro cui nomen Auguſtinus excerptus, & in ſenſu ab eodem authore intento prout illas per dictas Conſtitutiones ſedes Apoſtolica damnauit, ſincero animo reijcio, ac damno, & ita inro: ſic me Deus adiuuet, & hæc Sancta Dei Euangelia.

## QVÆSTIO VI.

### *An Pontifex ſit infallibilis in materia Morum, Canonizatione Sanctorum, &c.*

I. DIco primò. Errare non poteſt Pontifex aliquid pro vniuerſa Eccleſia definiens circa Morum honeſtatem, vel inhoneſtatem; v. g. contractum quempiam eſſe licitum. Ita Bellarm. de Pont. lib. 4. cap. 5. alijque Doctores Catholici.

Probatur: Quia Pontifex non eſt obnoxius errori dum aliquid definit in materia Fidei, vt iam ſupra oſtendimus. Atqui doctrina motum non eſt diuerſa à materia fidei, niſi in eo quod illa morum non ſit doctrina purè ſpeculatiua, ſed inſuper dirigatur ad praxim, & vſum actionum humanarum, quarum ordinatio ſpectat etiam ad regimen Eccleſiæ, ac ſupremi Paſtoris officium. Ergo debet hic eſſe non tantum Fidei, ſed etiam Morum regula infallibilis. Confirmatur id ex praxi Eccleſiæ, quæ contra eos anathema pronunciat, qui non credunt articulis in materia morum definitis: vti patet in Tridentino Seſſ. 6 can. 31. *Si quis dixerit iuſtificatum peccare, dum intuitu æterna mercedis bene operatur, anathema ſit.*

II. Hinc etiam ſequitur, quando ab Eccleſia aut Pontifice religioſus Ordo approbatur, de fide eſſe, eius inſtitutum non tantum eſſe conforme diuinis præceptis, ſed etiam viam præbere faciliorem ad perfectionem, quàm in ordinario Chriſtianæ vitæ ſtatu reperiatur, & ad Conſilia Euangelica idonea media continere.

III. Dico ſecundò: Quoad præcepta quæ mores concernunt, quando Pontifex poteſtate ſumma aliquid Eccleſiæ prohibet, certum eſt illud non eſſe ad ſalutem neceſſarium, aut multum vtile; quando autem aliquid præcipit, certum eſt id eſſe honeſtum.

Probatur prima pars: Quia ad officium ſupremi Paſtoris pertinet, pabulum valdè vtile, aut neceſſarium gregi non ſubtrahere, quod ne eueniat, debet Chriſtus ſuo Vicario in rebus prohibendis aſſiſtere, cui dixit, *Paſce oues meas.*

Secunda pars de rei præceptæ honeſtate declaratur: Quia qui præcipit aliquid tanquam honeſtum, hoc ipſo docet illud honeſtum eſſe. Ergo quando Pontifex in materia Morum proponit aliquid ſub præcepto acceptandum ab vniuerſa Eccleſia, docet, & definit illud honeſtè fieri, quæ definitio, cum ſit in negotio pertinente ad ſalutem, debet eſſe à fallitate immunis, ne tota Eccleſia in errorē inducatur.

Dico tertiò. Dum Pontifices ſolemni ritu aliquem referunt in Canonem Sanctorum ſine erroris periculo definiunt, eum de facto frui cæleſti gloria. Hæc doctrina apud Theologos adeo communis eſt, vt non dubitent oppoſitam grauiter cenſurare: quamuis *Sinnichius* in ſuo Saule *à ſ. 258. ad* 299. contendat Pontifices non ſemper definire illum quē Sanctum declarant, de facto ad cęleſtem gloriam peruenisſe.

Probatur è contra noſtra aſſertio: Quia quamuis vox *Sanctus* latè accepta ſignificet hominem mortuum in gratia, etſi nondum ad cęlum peruenerit, vti patet in Elia nondum mortuo, qui *Sanctus* vocatur in Martyrologio Romano. Nihilominus in Bullis Pontificum ſtrictius accipitur *Sanctus*, pro illo ſolo qui de facto cęleſtem gloriam obtinuit.

IV. Patet hoc ex terminis quibus ſolent aliquem Sanctum declarare, vt in Bulla Leonis X. pro Canonizatione S. Franciſci de Paula: *Decernimus & definimus S Franciſcum de Paula in cæleſti Hieruſalem inter beatorum choros iam receptum, æternaque gloria donatum fuiſſe.* Et Pius II. definit, *Catharinam Senenſem in cæleſti gloria fuiſſe receptam, & æterna gloria corona donatam.* Et eodem modo ſonant verba quibus in Sanctorum Canonem refertur. S. Antonius, S. Bernardus, S. Raymundus, S. Edmundus Cantuarienſis, Sanctus Petrus de Alcantara, & complures alij.

V. Atqui nulla veri ſpecie ſuſtineri poteſt, his actu decerni gloriam, idem verò de alijs Sanctis non conſtare, etſi eorum in cęlo præſens gloria, in Bullis Pontificum ijſdem omninò verbis non aſtruatur, cum forma verborum qua vnus declaratur, Sanctus, cenſeatur cæte-

ris eſſe communis qui eodem ritu in Sanctorum numerum referuntur. Quid enim cauſæ eſt cur in his, & illis vocem *Sanctus* æquinocè accipiamus, aut gloriæ cęleſtis poſſeſſionem indubitatam vni potius quam alteri contra communem fidelium ſenſum, aſtruamus? Quæro enim, An non omnes qui Sancti quacumque forma declarantur, etiam vt patroni, & interceſſores à fidelibus inuocandi proponantur? non negat Sinnichius. Eſt autem omninò incertum, teſte *Bellarmino*, an animæ in Purgatorio detentæ pro nobis intercedant. Quo igitur pacto patrocinium exhibebunt, ſi ipſi cœlo extorres, etiamnum pro ſuis delictis pisculari carcere detineantur? In eo ſanè ſtatu iuſtorum manes illic verſantur, cui magis competit Fidelium ſuffragia expoſcere, quàm ſe pro ijſdem aduocatos præſtare. Si igitur pro certo habeas omnes ſolemni ritu Sanctorum faſtis adſcriptos noſtros apud Deum patronos infallibili authoritate declarari, eadem ratione cogeris ſine dubitatione affirmare, illos cęleſti gloria donatos eſſe.

VI. Ad hæc cum nulla ſit in promptu idonea reſponſio, recurritur ad Ioannem XXII. qui, cum exiſtimauerit animas Sanctorum non viſuras Deum ante extremum iudicij diem, & tres ipſe ſolemni ritu in numerum Sanctorum retulerit; definire contra ſuam ſententiam non potuit, Sanctos illos de facto ad Dei conſpectum admiſſos fuiſſe.

Sed hic cauendum ne aberremus à recepto Iuris axiomate, diſtinguenda eſſe tempora, vt concilientur iura. Vt demus, Ioannem XXII. aliquando de proroganda Sanctorum gloria ita ſenſiſſe, haud rectè inferes, illum eandem opinionem tenuiſſe aut docuiſſe eo tempore quo Sanctos illos ritu ſolemni coiendos propoſuit.

VII. Hoc enim fecit in primo ſeptennio ſui Pontificatus, cum autem nouendecim annis Pontifex fuerit, potuit poſtremis tantum annis opinionem illam animo agitaſſe; quod non obſcurè colligitur ex Annalibus Baronij, qui de illa Ioannis ſententia tantum meminit ad annum decimum ſextum, quo in Pontificatu verſatus fuit. Quinimò nihil repugnat, Pontificem ſimul eam ſententiam priuata opinione tenuiſſe, ſimul contrariam definiuiſſe; non enim voluit definire iuxta ſuum ſenſum aut iudicium priuatum ſed more maiorum, & prout rei veritas in mente diuina exigebat.

VIII. Fruſtra quoque pro remoranda Sanctorum gloria, aliquid præſidij ex ſanctiſſimo Doctore Auguſtino ſperari poteſt, dum ſcilicet aſſerit multa corpora honorari in terris quorum animæ torquentur in inferis. Si enim de pœnis inferorum S. Auguſtinum interpretari velimus, plus hinc conficietur, quam ipſe Author oppoſitæ ſententiæ inferri patiatur, qui non dubitat quemlibet ab Eccleſia in Sanctorum numerum relatum, in ſtatu ſaltem gratiæ, & pœnæ æternæ ſecurum verſari. Itaque ſanctus Doctor ſententiam illam non profert de corporibus Sanctorum, ſed virorum Principum, quorum animæ quandoque dum in inferno torquentur, ſplendidis interea ſepulturis eorum corpora in terris honorantur. Aut etiam de corporibus aliorum hominum intelligi poteſt, qui priuato cultu per errorem à quibuſdam pro Sanctis habentur, nunquam tamen ab Eccleſia Sanctorum numero adſcripti fuerunt. Maneat ergo ſine exceptione, omnibus ſolemni ritu in Sanctorum Canonem relatis, præſens, & indubitata gloriæ poſſeſſio, nulla facti, nulla veri ſpecie contra communem fidelium ſenſum protelanda.

Dico quartò; Quando Pontifex aut Eccleſia, ſolum declarat aliquem eſſe Beatum, non definit illum de facto in cęleſti gloria verſari, quamuis tali Beato præſentem gloriæ ſtatum negare, temerarium foret.

IX. Ratio eſt, quia declaratio illa, non eſt decretum vltimo deciſiuum beatitudinis obtentæ, cum nouum examen inſtitui ſoleat antequam accedat definitio qua Beatus in Sanctorum numerum referatur, ſed tantum eſt decretum permiſſiuum, vt defunctus poſſit in Eccleſia vocari Beatus, & pingi cum radijs, cui aliquando accedit vt certo die, & loco, & à determinatis perſonis Officio, & Miſſa coli poſſit. Ne autem hic cultus ſuos limites excedat, varia ſunt conſtituta in decreto ſacræ Congregationis Rituum, habitæ coram Sanct. Domino Alexandro VII. anno 1660.

Hinc ex vi ſolius Beatificationis, non ſemper conceditur ſimul poteſtas faciendi de Beato Miſſam aut Officium, niſi id diſertè exprimatur. Et ſic B. Aloyſio Gonzaga prius conceſſum fuit nomen Beati, quàm Miſſa aut Officium, vt teſtatur Turrianus diſputat. 17. dub. 3.

Illæ etiam perſonæ, quibus conceditur certo anni die de Beato recitare officium, non ideo poſſunt alio die celebrare de eodem Miſſam votiuam, vti fit de Sanctis Canonizatis, vt habet idem Turrianus.

*Quares*, Quis cultus ſit licitus, aut prohibi-

hibitus erga alium hominem cum opinione Sanctitatis defunctum, nondum tamen ab Ecclesia beatificatum?

Respondeo, licitum esse talem colere cultu priuato, quando prudenter iudicatur illum frui cœlesti gloria, vt docent Theologi communiter cum S. Antonino, & Syluestro, in Summa, verbo, *Canonizatio*. Illicitum autem est illi deferre cultum publicum, sine Sedis Apostolicæ facultate, vt est publica lectio Officij Canonici, aut precum solemnium.

X. Quædam etiam speciatim prohibita sunt ab Vrbano VIII. anno 1625. in honorem hominis nondum beatificati, vt appendere anathemata in loco publico, accendere candelas, aut lucernas ad eius sepulchrum, pingere illum cum radijs, aut aureolis, miracula eius imprimere nisi approbata ab Ecclesia, aut eius Reliquias veneratioui exponere Licitum tamen est tales Reliquias priuatim venerari. Anathemate autem v. g. in testimonium miraculi, iubet Pontifex, cum Ordinarij approbatione, in loco secreto, non autem in templo, seruari.

## QVÆSTIO VII.

### *Quæ sint aliæ Pontificis Romani prærogatiuæ.*

I. SVnt aliæ actiones non paucæ in Iure canonico expressæ, in solius Romani Pontificis potestate constitutæ, ex quibus tantum præcipuas referemus. Plures in fine huius Tractatus.

Primò: Solus Pontifex potest per sententiam maioris Excommunicationis aliquem ab Ecclesiæ corpore segregare: & quem ipse anathemati subijcit, nemo alius potest isto vinculo, sine eius facultate, liberare. Vti patet ex cap. *Inferior* dist. 21. Et cap. *Nuper*. de sent. excom.

Si quem Pontifex sciens, & prudens salutat, hoc ipso censetur ab omni interdicti, & anathematis vinculo solutus. Clement. *Si Summus*. de sent. excom.

Solus Pontifex potest plenarias peccatorum Indulgentias concedere. Vt consentiunt Doctores in C. *Cum ex eo*. de priuileg.

Solus potest Pontifex nouos Religiosorum Ordines approbare: vti patet in Concil. Later. sub Innoc II. *cap. vlt.* Quando verò Ordinem aliquem definitiuè approbauit, de fide est institutum illud nihil habere fidei, aut morum honestati contrarium: nihilque illi deesse perfectionis necessariæ ad statum Religiosum vt est à Christo institutus, vt probatum est in quæstione superiori.

II. Solius Pontificis est authenticè interpretari quæ dubia sunt in Iure canonico, vel diuino. Item declarare quænam pertineant ad Sacramentorum materiam, formam, ministrum, &c. Vti habetur ex cap. *Maiores*. De Baptismo, & quæst. 1. C. *Quotiès*, &c.

III. Denique institutio Episcoporum, variorum Prælatorum, ac Beneficiorum, eorumque collatio soli Sedi Apostolicæ reseruantur, quorum plurima recensentur in Extrauagante Ioannis XXII. *Ex debito Pastoralis. de Electione*.

### *Quæstiones singulares porrò notandæ de Pontificibus Romanis.*

QVæritur primò; Quot Pontifices Romani post S. Petrum continuato ordine successerint, vsque ad Innocentium XI. qui nunc Ecclesiam gubernat?

Respondeo, successisse ducentos quadraginta quatuor, calculo communiori: Et hi totidem sunt testes, ac publici præcones potestatis à Christo deriuatæ, ac continua serie ad hodiernum Pontificem transmissæ, quorum seriem infra dabimus.

Quæritur secundò; Quot ex his fuerint Martyres, aut Confessores?

Respondeo, Martyrio coronatos fuisse *triginta duos* pro Romanæ fidei defensione. Inter sanctos Confessores numerantur *triginta septem* absque vlla controuersia, alij plures recensent. Et hi veritatem perpetuam Religionis Romanæ suo sanguine, doctrina, ac miraculis consignarunt.

Quæritur tertiò; Quot fuerint Pontifices Romani ex Religiosis Ordinibus assumpti.

Respondeo, assumptos fuisse *quinquaginta duos*, vt numerat Azorius, alios inuenio qui facile ad *septuaginta* extendunt; quorum primus fuit Dionysius Monachus, siue vt alij Eremita; quos recensebo ea fide qua computantur ab Azorio *Instit. mor. pag.* 2. nihil repugnans si forte alij suorum calculum in aliquo magis accuratum inuerint.

IV. Ex ordine S. Benedicti creatos *octodecim* Pontifices, tradit Trithemius in lib. de viris illustribus suis Ordinis Benedictini, quorum primus sedit Gregorius istius nominis primus, alij Pontifices huius Ordinis vniuersim vsque ad numerum trigesimum extendunt.

V. Ex Ordine Canonicorum Regularium nu-

numerantur etiam *decem & octo* Pontifices Romani, incipiendo à Leone II. Benedicto II. Sergio I. &c. vſque ad Innocentium III. Et de aliquibus eſt contentio cum Benedictinis, vtrius Ordinis fuerint.

Ex Ordine Cluniacenſium, *quatuor* ab Azorio referuntur Pontifices: Gregorius VII. Vrbanus II. Paſchalis II. Vrbanus V.

Ex ordine Ciſtercienſium creati *duo*: Eugenius III. & Benedictus XII.

Ex Familia S. Dominici *tres* aſſumpti: Innocentius V. anno 1276. poſtea Benedictus XI. & demum Pius V. anno 1566. nuper ſolemni ritu Beatorum faſtis adſcriptus.

Ex inſtituto S. Franciſci *quatuor* ad minimum, ad Pontificatum euecti fuere: Nicolaus IV. anno 1288. Alexander V. anno 1409. Sixtus IV. anno 1471. & Sixtus V. anno 1585. vt habet ſatis recepta computatio, quibus alij plures adiungunt, qui habitum S. Franciſci ſaltem in morte tuſerunt. Prætermitto aſſumptos ex alijs inſtitutis minus notis.

Tantum hic obſeruo, Eccleſiam gubernatam fuiſſe per annos quadraginta quinque continuos per Pontifices ex ſolis Religioſis aſſumptos; Gregorium VII. Victorem III. Vrbanum III. Paſchalem II. & Gelaſium II. rarò deinceps exemplo.

Quæritur quartò; Quinam fuerint ex varijs *Nationibus* Pontifices electi?

Reſpondeo, in Cathedra Petri ſedìſſe Romæ Pontifices ex omni penè natione quæ ſub cœlo eſt; vt vel inde videas ſolam Eccleſiam Romanam verè dici Catholicam, ſiue vniuerſalem.

VI. Ex natione *Gallica* creati fuerunt Pontifices ad minimum numero *quindecim*, inchoando à Syluestro II. vt illos recenſet Azorius *inſt. mor. pag. 2. lib. 5. cap. 44.*

Ex *Germania* fuere *quatuor*. Gregorius V. ex Saxonia. Victor II. ex Suecia. Clemens II. etiam è Saxonia. Damaſus II. ex Bauaria.

VII. Ex *Hiſpania* etiam *quatuor* aſſumpti: Damaſus I. & Ioannes XXII. Luſitani. Calliſtus III. & Alexander VI. Valentini. Aliqui etiam Melchiadem Pontificem Hiſpaniæ vindicant.

Ex *Anglia* electus eſt Adrianus IV.

Ex *Belgio* Flandrico vnus electus eſt ad ſummum Pontificatus faſtigium. Adrianus VI. Vltraiectinus.

Ex Gentibus remotioribus ſufficiat ſummatim annotaſſe, ex *Gracia* ad Pontificatum delectos *quindecim*, initio ducto ab Anacleto. Ex *Syria* creati Pontifices *ſeptem*, ab Euariſto inchoando vſque ad Sergium I. Ex *Africa* numerantur *tres*, Victor I. Melchiades, & Gelaſius I.

Ex *Sardinia*, *duo*, Hilarius, & Symmachus. Duos quoque Pontifices ſibi vindicat *Sicilia*, Agathonem, & Leonem II. ſed horum patriam alij in controuerſiam vocant. Reliqui ex *Italis* aſſumpti fuerunt qui circiter 187. numerantur.

Morem Eccleſiæ Romanæ oſculandi pedes ſummorum Pontificum, inſectantur noſtri temporis hæretici, tanquam ſummum flagitium & idololatriæ proximum. Sed illorum in hoc impietatem ac factum redarguit è toto orbe Chriſtiano omni æuo ſummorum Imperatorum, Regumque pia, ac prudens conſuetudo, qui in Pontifice Romano non hominem intuentur, ſed ſupremum in terris Chriſti Vicarium.

Ad omnimodam huius Materiæ ſcientiam: Si quæſtio aut diſcurſus *ſingularis* moueatur, *Primò*, De Bicipiti Eccleſia ſub SS. Petro & Paulo. *Secundò*, de Corona aurea ſuper Mitram Romani Pontificis. *Tertio*, de Agno cereo Pontificia benedictione conſecrato, *Quartò*, de Roſa Mediana à Pontifice Principibus dono miſſa. *Quinto*, de Gladio & Pileo à Pontifice Benedicto. Horum ſingula diffusè ac ſtudio ſingulari tractantur à P. Theophilo Raynaudo in Torno X. cui Titulus, *Pontificia*.

VIII. Nos vlterius in omni genere Pontificis Romani titulos & prærogatiuas, SS. Patribus & Doctoribus diffusè in huius Tomi fine exhibemus.

# ORDO SVCCESSIONIS PONTIFICVM ROMANORVM.

*Item Scriptorum ſex primis ſæculis primitiuæ Eccleſiæ. Item rerum in Eccleſia magis memorabilium poſtremis annis ferè ducentis.*

POſtremò, ne quid deſit ſtudioſo Lectori, præter prolixitatem inſtituto noſtro contrariam, Hic attexemus ſeriem ſummorum Pontificum qui hactenus in Apoſtolica S. Petri Sede ſucceſſerunt: Item Patrum ac Scriptorum primitiuæ Eccleſiæ. Hic enim ordo tam Pontificum, quam Scriptorum, Nouatores maximè conuincit, & mirificè iuuat noſtram memoriam in accurata rerum, ac temporum

porum notitia. Quia verò recordatio noſtra vltra recentiora tempora ſeſe difficilius extendit, hoc loco addemus præcipuè ordinem temporum ac rerum geſtarum per ducentos ferè poſtremos annos vſque ad hæc tempora in quibus modo verſamur.

*Primo Sæculo.*

PEtrus Apoſtolus, Chriſti Succeſſor. Poſtea Linus natione Tuſcus. Cletus Rom Clemens I. etiam Rom.

Inter *Scriptores* primi ſęculi poſt Apoſtolos, floruit præcipuè S. Dionyſius Areopagita. S. Ignatius martyr. S. Polycarpus. Scripta quæ dicuntur D. Clementis, & Hermetis non habentur pro authenticis.

*Secundo Sæculo.*

Anacletus Græcus. Euariſtus Græcus, Alexander I. Rom. Xiſtus Roman. Teleſphorus Græcus. Higinus Græcus. Pius I. Aquil. Aniceras Syrus. Soter Fundanus. Eleutherius Nicopolitanus.

Scriptores præcipui, S. Iuſtinus martyr. S. Theophilus. S. Irenæus. Tertullianus. Hegeſippus. Pantænus Alexandrinus.

*Tertio Sæculo.*

Victor Afric.; Zepherinus Rom. Calixtus Rom. Vrbanus I. Rom. Anterus Græcus. Fabianus Rom. Cornelius Rom. Lucius.... Stephanus Rom. Felix I. Eutichianus Tuſcus. Caius Dalmata.

Scriptores præcipui, Origenes. Ammonitus. Iulius Africanus. Minutius Fœlix. S Cyprianus. S. Hippolitus. S. Cornelius Pontifex, S. Gregorius Thaumat. S. Victorinus. Scripta Lactantij, Methodij, Arnobij habentur in quibuſdam ſuſpecta.

*Quarto Sæculo.*

Marcellus Rom. Marcellus alter. Euſebius Græcus. Melchiades Afric. Syluester Rom. Iulius I. Rom. Liberius... Fœlix II.... Damaſus Hiſpanus.

Scriptores præcipui. S. Athanaſius. S. Hilarius Pictau. S. Ephrem. S. Optatus. S. Baſilius. S. Gregorius Nazianzen. S. Gregorius Nyſſenus. S. Theophilactus. S. Cyrillus Hieroſol. S. Epiphanius. S. Hieronymus. Scripta Ruffini, Palladij, Euſebij Cæſarienſ. habentur in quibuſdam ſuſpecta.

*Quinto Sæculo.*

Syricius Rom. Anaſtaſius I. Rom. Innocentius I. Alban. Zozimus Græcus. Bonifacius I. Rom. Cæleſtinus I. Campan. Xiſtus III. Leo I. Tuſcus. Hilarius Sardus. Simplicius Tiburtinus.

Scriptores præcipui. S. Auguſtinus Hippon. Epiſc. S. Cyrillus Alexandrinus. Oroſius. Seuerus Sulpitius. S Iſidorus Peluſiota. S. Leo Maximus. S. Encherius. S. Sidonius S. Hilarius Arelat. S. Vincentius Lyrin. S Chryſologus. S. Maximus. S. Paſchaſius. Saluianus, & Genadius. Scripta Caſſiani, & Fauſti Rhegienſis ſunt in aliquibus ſuſpecta.

*Sexto & 7. Sæculo.*

Fælix III.... Gelaſius Afer. Anaſtaſius II. Rom. Symmachus Græcus. Hormiſda Truſion. Ioannes I. Tuſcus. Fælix III. Samius. Bonifacius II. Rom. Ioannes II. Agapitus I. Syluerius Campan. Vigilius... Pelagius I. Ioan. III. Benedictus I... Pelagius II. Rom. Gregorius Magn. Rom. Sabinian. Tuſcus. Bonifacius III.. Bonifacius IV... Deodatus.. Bonifacius V. Camp. Honorius I. Camp. Seuerinus I. Rom. Ioannes IV Dalmata. Theodorus Græcus. Martinus I. Tudet. Eugenius I. Rom. Vitalinus Camp. Adeodatus Rom. Domnus Rom. Agatho. Siculus.

Scriptores præcipui Sæculi ſexti. S Fulgentius. s. Anaſtaſius ſinaita. s. Victor Capuanus. Primaſius. Climacus. Caſſiodorus. Heſichius. S. Gregorius Turonenſis. Fortunatus. s. Gregorius Magnus Pontifex.

## NOTA.

*Sectarios modernos docere, Sub hoc Pontifice* Gregorio *defeciſſe Eccleſiam Romanam à vera Chriſti doctrina. Hinc in Controuerſijs fidei admittere debent authoritatem & teſtimonium anteriorum Scriptorum, cùm illi potuerint, etiam ex Sectariorum confeſſione, teſtari de vera & incorrupta primæuæ Eccleſiæ doctrina: ideoq; illos qui ſex primis ſæculis præcipuè floruerunt ordine temporis hactenus annotauimus.*

*Octaue ſæculo.*

Pontifex primus 8. ſæculi, Leo II. Sieulus. Benedictus II. Ioannes V. Syrus Canon Trax. Sergius I. Antiochenus. Ioannes VI. Græcus. Ioannes VII. Græcus. Siſinnius Syrus. Conſtan-

ſtantinus I. Syrus. Gregorius 2. Rom. Gregorius 3. Syrus. Zacharias Græcus. Stephanus 2. Rom. Paulus 1. Rom. Conſtantinus II..... Conſtantinus 3. Siculus. Adrianus 1. Romanus.

*Nono Sæculo.*

Leo III. Romanus. Stephanus IV...Paſcalis Rom. Eugenius 2. Rom. Valentinus Rom. Gregorius IV. Rom. Sergius II.... Leo 4. Benedictus 3. Rom. Nicolaus 1. Rom. Adrianus 2. Rom. Ioannes 8. Martinus 2. Gallus.

*Decimo Sæculo.*

Adrianus 3. Rom. Stephanus 5. Rom. Formoſus Portuenſis. Bonifacius 6. Tuſcus. Stephanus 6. Romanus. Theodorus 2. Romanus. Ioannes 9. Romanus. Benedictus 4. Romanus. Leo 5..... Criſtophorus.... Sergius 3..... Anaſtaſius 3. Lando Romanus. Ioannes 10. Romanus. Leo 5.... Stephanus 7. Stephanus 8. Germanus. Martinus 3. Agapetus 1. Ioannes 12. Leo 8. Ioannes 13. Benedictus 5. Rom. Domnus 2. Rom. Bonifacius 7. Benedictus 6. Rom. Ioannes 14. Ioannes 15. Ioannes 16. Gregorius 5. Ioannes 17. Syluester 2.

*Vndecimo Sæculo.*

Ioannes 18. Ioannes 19. Sergius 4. Romanus. Benedictus 7. Truſus. Ioannes 20. Benedictus 8. Syluester 3. Gregorius 6. Clemens 2. Damaſus 2. Bauarus. Leo 9. Germanus. Victor 2. Stephanus 9. Lotharingus. Benedictus 9. Campan. Nicolaus 2. Sabaudus. Alexander 2. Mediol. Gregorius 7. Hetruſcus. Victor 3. Vrbanus 2. Paſcalis 2.

*Duodecimo Sæculo.*

Gelaſius 2. nat. Gaietanus. Callixtus 2. Burgundus. Honorius 2. Immol. Innocentius 2. Celeſtinus 2. Tuſcus. Lucius 2. Bonon. Eugenius 3. Piſanus. Anaſtaſius 4. Romanus 1 Adrianus 4. Angius. Alexand. 3. Senonenſis. Lucius 3. Tuſcus. Vrbanus 3. Mediol. Gregorius 8. Beneuentanus. Clemens 3. Rom. Celeſtinus 3. Innocentius 3.

*Decimotertio Sæculo.*

Honorius 3. Rom. Gregorius 9. Celeſtinus 4. Mediol. Innocentius 9. Genuenſis. Alexander 4. Campanus. Vrbanus 4. Gallus. Clemens 4. Narbon. Gregorius 10. Placent. Innocentius 5. Burgundus. Adrianus 5. Genuenſis. Ioannes 21. Hiſpanus. Nicolaus 3. Rom. Martinus 4. Gallus. Honorius 3.... Nicolaus 4. Longobardus. Celeſtinus 5. Bonifacius 8. Benedictus 11. Italus. Clemens 5. Gallus Burdegalenſis.

*Decimoquarto Sæculo.*

Ioannes 22. Benedictus 12. Clemens 6. Lemon. Innocentius 8. Vrbanus 5. Gregorius 11. Lemouicenſis. Vrbanus 6. Bonifacius 9. Innocentius 7. Sulmonenſis.

*Decimoquinto Sæculo.*

Gregorius 12. Alexander 5. Ioannes 23. Martinus 5. Eugenius 4. Nicolaus 5. Celeſtinus 3. Hiſpanus. Pius 2. Senenſis. Paulus 2. Venetus. Sixtus 4. Innocentius 8. Genuenſis. Alexander 6. Valentinus.

*Decimoſexto Sæculo.*

*Hic vſque ad finem, adiemus ad ſingulos Pontifices annotationem, & ordinem rerum præcipuarum eorum tempore occurrentium.*

Pius 3. Italus, patria Senenſis, ex familia Picolominea, cui reſpondet illud in Prophetia S. Malachiæ, *de paruo Homine*. Sedit in Pontificatu completo Chriſti annum 1500. poſt Petrum ordine ſucceſſionis 211. Vix ſæculum 16. in throno Pontificio inchoauit cum vitam hanc mortalem in eodem abſoluit, 26. tantum diebus ſuperſtes, reliſtis ſucceſſoribus de hoc culmen ambirent, breuis æui documento.

Iulius Sauonenſis, dictus bellator, à bello quod iunctus Imperatori & Regi Galliæ contra Venetos geſſit; & Venetis poſtea iunctus contra ipſum Imperatorem. Sedem Petri tenuit annis 9. menſibus 3. diebus 21. Eius tempore Imperator fuit Maximilianus 1. In Hiſpania regnit Ferdinandus 5. in Gallia Ludouicus 12. in Anglia Henricus 7. Catholicus.

Leo X. Florentinus de familia Medicea, Pontifex creatus anno 1513. dum tantum eſſet 36. circiter annorum. Sedit annis ſeptem menſibus 10. Huius tempore cœpit Martinus Lutherus inſurgere contra Indulgentias & Eccleſiam Romanam anno 1517. cuius libri iuſſit Leo Romæ cremburi. Ob Lutherum libro edito impugnatum dedit Henrico

rico VIII. poſtea apoſtatæ, titulum Defenſoris Fidei. Sub illo abſolutum Conc. generale Lateranenſe quintum anno 1517. Dicitur obijſſe ex vehementi gaudio de Gallorum expulſione ex Ducatu Mediolanenſi.

Adrianus VI. Belga Traiectenſis, patre naupego, vt tradit Bibliotheca Belgica, Louanij Doctor, Profeſſor, Decanus, Cardinalem vnicum creauit, nomine Guilielmum Belgam Campinienſem. Dinorum albo inſcripſit Bennonem Epiſc. in Germania, & Antoninum Florentinum in Italia. Sedit tantùm anno vno, menſibus & diebus 7. Circa hoc tempus Carolus V. electus Imperator: vixitque Eraſmus Roterodamus, & Carolſtadius anno 1522. De Adriano Malachias, *Leo Florentinus*: fuit Florentij filius, & eius inſignis Leo.

Clemens VII Florentinus, ex domo Medicea, ſedit annis ferè vndecim, vel vt alij, annis 9. 10. menſibus, diebus 7 Eius tempore emerſerunt Anabaptiſtæ: prælio victus & captus Rex Galliæ à Carolo V. Obſeſſa Vienna à Solimanno: habita Comitia Auguſtana anno 1526. Excommunicatus Angliæ Rex Henricus VIII.

Paulus III. Farneſius Romanus. Sedit annos 15. dies 28. illo ſedente Hæreticis accedit Bucerus, Oſiander, Islebius &c. contra emergentes Hæreſes hoc tempore nata eſt Societas Ieſu, & eius Inſtitutum primò approbatum à Paulo Tertio anno 1540. Datum quoque eſt initium Concilio Tridentino anno 1545. quod ſæpius interruptum demum anno 1563. feliciter abſolutum eſt.

Iulius III. Aretinus. Sedit 5. circiter annis. Huius temporis decurſu prodijt Ioannes Caluinus: habita Paſſauienſis tranſactio, Comitia Auguſtana, alijque conuentus. De eo dictum S. Malachiæ, *de corona Montana*: fuit ante Pontificatum vocatus Ioannes Maria de Monte.

Marcellus II. Politianus. Vixit in Pontificatu tantum diebus viginti duobus, & à morte illius totidem diebus vacauit: vir tantæ integritatis, vt conſanguineis ſuis Curiæ Apoſtolicæ ingreſſum interdixerit.

Paulus IV. Neapolitanus, Epiſcopus Theatinus, & Ordinis Theatinorum author & alumnus fuit. Sedit annos 4. menſes 3. dies 27. Carolus V. ſe abdicat Imperio 25. Ian. anno 1558. Succedit illi in Imperio Ferdinandus Caroli frater; in regnis Philippus II. eiuſdem filius. Incipit poſt Henricum Octauum (mortua Reg. Maria) Angliam regere & peruertere Elizabetha Regina. Sub hoc Pontifice in Belgio Antiſtitum Cathedræ ad quatuordecim extenſæ fuerunt.

Pius IV. Mediolanenſis. Sedit annos 5. & menſes tres. Sub eo Concilium Tridentinum, ad annos 18. protractum, tandem finem & confirmationem accepit. Imperium adijt Maximilianus II.

Pius V. Italus propè Alexandriam, Ordinis Prædicatorum. Sedit 6. annos, menſes 4. Eius tempore habita Comitia Auguſtana, & Spirenſia, & victoria Ioannis Auſtriaci contra Turcas 7. Octob. anno 1571. Statuit in fine Miſſæ, legi debere Euangelium S. Ioannis. Beatus poſt mortem dictus à Clemente X. anno 1672.

Gregorius XIII. Bononienſis. Sedit circiter 12. annis. Rudolphus in Imperio ſuccedit Maximiliano: promulgatur à Gregorio noua reformatio Calendarij iuxta veterem Nicænæ Synodi rationem, anno 1582. ablatis è menſe Octobri decem diebus, & pro æquinoctio verno deinceps aſſignato die 21. Martij; & Epactis ad deſignandum Lunæ mutationes in locum Aurei numeri ſubſtitutis.

Sixtus V. Italus Minorita ex Marchia Anconitana, patre villico, alij ſubulco, ſed magnis dotibus præditus: Diem *Mercurij* mirè fauſtum habuit, quo in lucem editus, ad Religionem admiſſus, Generalis electus, Epiſcopus conſecratus, purpura donatus, & tandem ad Pontificatum euectus fuit. B. Didacum Minoritam in Canonem Sanctorum redegit. Et vti Pius V. S. Thomam, ita Sixtus V. S. Bonauenturam Eccleſiæ Doctoribus annumerauit. Sedit annis 5. menſibus 4. diebus 11. Huius tempore à Duce Parmenſi Antuerpia hæreticis erepta: ſed infeliciter claſſis Hiſpana Angliam inuadens à Draco profligata.

Vrbanus Octauus Romanus, poſt dies 13. ante coronationem obijt anno 1590.

Gregorius Decimus quartus Mediolanenſis poſt menſes 10. Innocentius IX. Bononienſis poſt menſes 2. à ſolio Pontificio ad alteram vitam migrarunt. Atque ita 3. legitimi Pontifices intrà vnius anni curriculum vitam & Pontificatum abſoluerunt. Quam verè inanes ſpes mortalium! & hoc nondum credunt. Hoc tempore Breda Regi Catholico ſtratagemate erepta eſt.

Clemens Octauus Florentinus. Sedit 12. annis, alij ſcribunt 13. anno ſæculari 1600. Iubilæum ſolemniſſimum celebrauit. Sanctis annumerauit Raymundum, & Hyacinthum, vtrumque ex ordine Prædicatorum. Illo ſedente

dente bello Turcico in Hungaria vrbes variæ Chriſtianis ereptæ. Motus ab Hugonottis in Gallia. Oſtenda poſt triennij obſidionem Batauis eripitur anno 1606. Philippus Tertius Rex Hiſpaniæ.

Leo XI. Florentinus Medicæus. Ad ſolium Pontificium vix aſcendit, cum deſcendit ad ſepulchrum poſt dies 27.

Paulus V. Romanus; Sedit 16. annis, minus menſe & medio. Sanctis addidit Franciſcam Romanam, & Carolum Boromæum. Compoſuit Controuerſiam celebrem de Gratia inter Patres Societatis & Dominicanos. Inſtituit Communionem generalem in templis Societatis. Illius tempore cæpti motus Bohemici. In Belgio induciæ factæ anno 1608. Bellum inter Danos & Suecos. Moritur Rudolphus tertius Imperator anno 1612. Succedit illi Matthias Rex Hungariæ & Bohemiæ. Moritur Matthias anno 1619. Coronatur Francofurti Imperator Ferdinandus ſecundus. Inbilæus Romæ indictus anno 1620. Philippus tertius Rex Hiſp. moritur: cui ſuccedit Philippus quartus anno 1621.

Gregorius XV. Bononienſis. Creatus Pontifex anno 1622. Moritur 8. Iunij biennio nondum expleto. Sanctorum faſtis adſcribitur S Ignatius Loyola, Xauerius, Iſidorus, Tereſia, Phil. Nerius.

Vrbanus octauus Florentinus dictus Maphæus Barberinus. Viginti & vnum annum & menſem vnum in Pontificatu expleuit, obijt anno 1644. Anno inſequenti in Anglia plexus capite Archiep. Cantuarienſis, & Protex Hiberniæ, & poſtea Rex ipſe Carolus Primus anno 1649. Andream Corſinum Carmelitam Sanctis adſcripſit. Poſt S. Petrum tres tantum Pontifices Vrbano diutiùs ſederunt.

Innocentius X. Romanus, decem annis ſedens numerum ſui nominis expleuit, electus Pontifex anno 1644. die 15. Sept. Edita Conſtitutione anno 1655. Ianſenij doctrinam damnauit, & iterum illius ſucceſſor,

Alexander Septimus Senenſis, anno 1655. euectus ad Sedem Apoſt. eam tenuit 12. circiter annis. Franciſcum Saleſium Sanctis adſcripſit.

Clemens IX. Piſtorienſis dictus Roſpigliofina, Pontificatum adijt menſe Iunio anno 1667. in quo triennium non expleuit. Sub illo Candia à Turcis capta eſt.

Clemens X. Romanus; antea Cardinalis Altieri, octogenario maior creatus eſt Pontifex 29. Aprilis anno 1670. Sanctorum faſtis adſcripsit Bertrandum, Caietanum, Benitium, Roſam, Franciſcum Borgiam; ac poſtremò Pium V. Beatum declarauit. Obijt an. 1676.

Innocentius XI. Mediolanenſis, antea Cardinalis nomine Odeſchalchus, creatus eſt Pontifex anno 1676. qui pergit Eccleſiam feliciter gubernare. Hæc poſtremorum Pontificum tempora, & res præcipuæ in illis geſtæ facilè adhuc recenti hominum memoria retinentur.

SPE-

# SPECIMEN PROPHETIÆ S. MALACHIÆ ARCHIEPISCOPI ARMACANI

## DE SVCCESSIONE FVTVRA

## *SINGVLORVM PONTIFICVM AD FINEM MVNDI.*

FVit hic S. Malachias Archiepiſcopus Armacanus & Primas Hiberniæ, diſcipulus S. Bernardi, cuius hic vitam conſcripſit. Inter alia admiranda extat apud authores probatos vulgata S. Malachiæ Prophetia, qua exprimitur vnico Lemmate ſiue ſententia congruente de ſingulis Pontificibus ſucceſſuris, à tempore S. Malachiæ vſque ad extremum mundi iudicium. Quoniam verò, præter inſtitutum noſtrum, prolixum foret hic omnes ab initio adducere, tantum de poſtremi ferè ſæculi Pontificibus vſque ad finem ſpecimen allquod exhibemus. Tota autem ſeries huius Prophetiæ, præter alios, reperitur apud Arnoldum VVion lib. 2. Ligni vitæ cap. 40 pag. 307. Vixit S. Malachias anno 1158. adeoque centum & ampliùs annis ante inſtitutum ordinem Minoritarum: aduerte tamen in ſequenti Sixto IV. ſub initium ferè Sæculi 16. à quo hic inchoamus, quàm proprium de illo Lemma appoſuerit, quia aſſumptus eſt ex ordine Minoritarum, & piſcatoris filius fuit, paulò ante initium ſæculi decimi ſexti.

Piſcator Minorita. SIXTVS IV. *Piſcatoris filius & Minorita Franciſcanus.*
Præcurſor Siciliæ. INNOCENTIVS VIII. *Qui vocabatur Ioannes Baptiſta, & vixit in curia Alphonſi Regis Siciliæ.*
Bos Albanus in portu. ALEXANDER VI. *Epiſcopus Cardinalis Albanus & Portuenſis, cuius inſignia Bos.*
De paruo homine. PIVS III. *Senenſis familia Piccolominea, quod paruum hominem importat.*
Fructus Iouis iuuabit. IVLIVS II. *Ligur, eius inſignia quercus Iouis Arbor.*
De craticula Politiana. LEO X. *Filius Laurentij Medices, & ſcholaris Angeli Politiani.*
Leo Florentius. ADRIANVS VI. *Florentij filius; eius inſignia Leo.*
Flos Pilei ægri. CLEMENS VII. *Florentinus de Domo Medicea, eius inſignia Pila & Lilia.*
Hiacinthus medicorum. PAVLVS III. *Farneſius, qui Lilia pro inſignibus geſtat, Cardinalis fuit SS. Coſmi & Damiani Medicorum.*
De corona montana. IVLIVS III. *Antea vocatus Ioannes Maria de Monte.*
Frumentum floccidum. MARCELLVS II. *Cuius inſignia ceruus & frumentum, ideò floccidum quod pauco tempore vixit in Papatu.*
De fide Petri. PAVLVS IV. *Antea vocatus Petrus Caraffa.*
Eſculapij Pharmacum. PIVS IV. *Michael vocatus in oppido Boſchi.*
Angelus nemoroſus. PIVS V. *Michael vocatus in oppido Boſchi.*
Medium corpus pilarum. GREGORIVS XIII. *Cuius inſignia medius draco, Cardinalis creatus à Pio IV. qui pila in armis geſtabat.*

Axis

Axis in medietate signif. Sixtus V. *Qui axem in medio Leonis in armis gestat.*
De rore cœli. VRBANVS VII. *Quifuit Archiepiscopus Rossanensis in Calabria vbi manna colligitur.*
De antiquitate orbis. GREGORIVS XIV. *Vtroque Parente antiquissimæ Familiæ, ipse antiquitatum vrbis restaurator.*
Pia ciuitas in bello. INNOCENTIVS IX. *Nemo hucusque explicauit.*
Crux Romulea. CLEMENS VIII. *Cuius insigne Trabs argentea tribus segmentis interstincta ad modum crucis Pontificis Romani.*
Vndosus vir. LEO XI. *Paralysi obnoxius.*
Gens peruersa. PAVLVS V. *Nemo explicauit.*
In tribulatione pacis. GREGORIVS XV. *Sub quo Imperium maxime turbatum nunquam hucusque respirauit.*
Lilium & Rosa. VRBANVS VIII. *Florentinus, cui vrbi Lilium pro insigni, ipsi verò tres Rosis amicissimæ Apes. Cæterum respici ab Octauo videtur Vrbanus IV. Cuius insignia Lilium & Rosa.*
Iucunditas Crucis. INNOCENTIVS X. *Cuius insignia Columba suauem pacis Oliuam gestans electus Festo S. Crucis.*
Montium custos. ALEXANDER VII. *Cuius insignia montes quibus sydus cœleste velut oculus vigil & custos, supereminet.*
Sidus olorum. CLEMENS IX. *Dicitur in cubiculi ipsius fornice pictus Olor cum Cruce in pectore.*
De flumine magno. CLEMENS X. *Explicatum non reperi.*
Bellua insatiabilis. INNOCENTIVS XI.

## *PONTIFICVM QVI SEQVENTVR SYMBOLA EIVSDEM S. MALACHIAE.*

| | | |
|---|---|---|
| Pœnitentia glorioſa. | Peregrinus Apoſtolicus. | Paſtor Angelicus. |
| Raſtrum in porta, | Aquila rapax. | Paſtor & Nauta. |
| Flores circumdat. | Canis & Coluber. | Flos Florum. |
| De bona Religione. | Vir Religioſus. | De medietate Lunæ. |
| Miles in bello. | De balucis A Ethruriæ. | De labore Solis. |
| Columna Excelſa. | Crux de cruce. | Gloria Oliuæ. |
| Animal rurale. | Lumen in Cœlo. | |
| Roſa Vmbriæ. | Ignis ardens. | |
| Vrſus velox. | Religio depopulata. | |
| Fides intrepida. | Fides intrepida. | |

In perſecutione extrema S. R. E. Sedebit Petrus Romanus qui paſcet oues in multis tribulationibus, quibus tranſactis Ciuitas ſepticollis diruetur, & Iudex tremendus iudicabit populum ſuum. Finis.

Quæ ad Pontifices pro explicatione ſunt adiecta, non ſunt ipſius S. Malachiæ, Sed R. P. F. Alphonſi Ciaconij Ordinis Prædicatorum huius Prophetiæ interpretis, vſque ad GREGORIVM XIV. Cætera ex VVion.

# QVÆSTIONES RELIQVAE

## *De Concilijs Generalibus, ac Particularibus, cum varia eorum notitia.*

### §. I.

### *Spectantia ad conuocationem, normam, ac potestatem Concilij generalis.*

CVm de Concilijs, eorumque potestate pleraque Theologo necessaria hactenus tradiderimus, operæ pretium erit alia hic adiungere, quæ ad vberiorem eorum notitiam non tantum in Controuersijs fidei, sed etiam in Theologicis, ac Canonicis resolutionibus vsum frequentissimum habere solent. Suppositis ergo assertionibus quas hactenus stabiliuimus.

Dico vlterius primò; Ad Concilium generale legitimum requiritur Imprimis, vt à Romano Pontifice, vel cum eius assensu conuocetur, aut saltem ab ipso eius conuocatio rata habeatur.

Quia si Christus in terra conspicuus suam Ecclesiam per se gubernaret, haud dubiè ad illum spectaret Concilia generalia conuocare. Ergo Christo in cœlum recepto munus illud ad legitimum illius in terris Vicarium pertinere debet, non verò ad Imperatores, aut magistratus sæculares, vti contendunt hæretici. Vnde factum vt Concilia ab his absque Pontificis consensu coacta, hactenus in Ecclesia pro illegitimis habita fuerint, nisi postea subsecuta sit Pontificis approbatio.

Secundò requiritur, vt per se vel suos Legatos Pontifex Concilio præsideat, vel accedente eius approbatione hic defectus postea suppleatur, vti in Synodo generali 2. & 5. factum constat.

Tertiò, necesse est vt conuocentur ex orbe Christiano quantum fieri potest omnes Episcopi; sic vt nullus ex Episcopis, qui diœcesim habet, positiuè excludatur, nisi per excommunicationem ab Ecclesia segregatus fuerit. Sufficit autem absolutè ad integritatem Concilij, vt saltem ex potioribus orbis Christiani partibus Episcopi aliqui adueniant, qui possint ex Pontificis assensu cæterorum vices, & vota supplere; vti docet Suar. *hic disp.* 11. *Sect.* 2. *n.* 7.

Obtinuit etiam consuetudo, vt aduocentur Cardinales, Generales Ordinum, ac nonnulli Abbates, qui omnes cum Episcopis exercent munus Iudicis, & suffragium habent decisiuum, ideoque cum illis signant, *Definiens subscripsi*. Alij verò Theologi qui aduocantur vt consultores, tantum signant, *Consentiens subscripsi*. Adsunt etiam plerumque Imperatores, Reges, aut eorum Legati, tantum vt testes, & Concilij defensores: his positis

Dico Secundò, ab omni erroris periculo immunes sunt definitiones Concilij generalis absente etiam Pontifice concepiæ, si postea à Pontifice approbatæ fuerint. Quæ doctrina ad Concilia etiam particularia extenditur, & inter Catholicos pro certa habetur.

Probatur primò, Quia approbatio Pontificia, de rebus à Concilio eo absente decisis, æquiualet Pontificiæ definitioni. Atqui hactenus ostendimus Pontificias definitiones nulli errori obnoxias esse. Certa igitur est sequela.

Probatur 2. Quia Concilium generale cum Pontifice sic epprobante definiens repræsentat totam Ecclesiam; hæc autem, dum Dei nomine loquitur, & eliquid definit, errare non potest. Idque confirmatur ex eo quod Concilij Nicæni I decretum à S. Cyrillo *lib.* 1. *de Trin.* vocetur Sanctissimum, & diuinum oraculum: & S. Greg. *cap.* 1. *epi.* 24. Dicat se quatuor Concilia generalia, quæ ipsum præcesserunt, suscipere ac venerari sicut quatuor Dei Euangelia.

Dico tertiò, Concilium generale in suis definitionibus errare non potest, si neque Patres Concilij Legatis Pontificis repugnet, neque ipsi Legati contradicant mandato, & instructioni quam à Pontifice priuetim acceperunt.

Nonnulli sunt Doctores Catholici qui hanc assertionem pro certa non admittunt, nisi Pontifex per se rem prius definierit. Bellarminus tamen *lib.* 2. *de Concil.* dicit assertionem nostram videri certam, & Suar. hic *disp.* 5. *sect.* 7. *n.* 10. certam censet, & inter Authores communem. Ratio est, quia hic concurrit totum quod requiritur ad Ecclesiam Dei nomine definientem; nempe vniuersalis Concilij definitio, simul cum instructione, assensu, & mandato Pontificis vt res summa potestate decernatur, quæ videntur positiuæ Pontificis approbationi æquiualere. Ergo nihil hic desideratur, quo minus Deus per totam Ecclesiam hoc modo legitimè congregatam, & consentientem loqui censeatur. Dico, *per totam Ecclesiam*, quia definitio Concilij particularis, cum tali Legatorum instructione, non debet necessariò censeri ab omni erroris periculo immunis, cum Concilium particulare vniuersam Ecclesiam non repræsentet.

Dico quartò; Concilium generale congregatum absque authoritate Pontificis indubitati, potest in errorem prolabi. Certa est ex prædictis hæc conclusio.

Et

Et probatur, Quia aſſiſtentia Dei excludens errorem promiſſa eſt ſoli Pontifici, & Eccleſiæ vniuerſæ. Concilium verò ſic congregatum, neque eſt Pontifex, neque Eccleſia vniuerſa, cùm non includat authoritatem Pontificis, qui eſt Eccleſiæ caput, & pars præcipua.

Dico quintò, Si Concilium generale congregatum ſit pro aliqua neceſſitate Eccleſiæ, Sede vacante, aut viuente tantum dubio Pontifice, ſuberit iſti Concilio dubius Pontifex, eritque infallibile in iis quæ requiruntur, vt præſenti neceſſitati ſubueniatur.

Quia niſi in hoc caſu authoritas ſuprema, & ab errore libera Concilio competeret, non ſatis proſpexiſſet Chriſtus gubernationi Eccleſiæ dum Sedes vacat, aut de remedio tollendi Schiſmatis, quando inter plures contendentes de vero, & indubitato Pontifice non conſtaret.

Dico ſextò; Concilium generale, etſi authoritate Pontificis congregatum, errare poteſt, ſi neque Legatis ſuis, neque Concilio expoſuerit Pontifex mentem ſuam de controuerſijs in vnam partem decidendis, etiamſi cum Epiſcopis Legati ſincerè conſenſerint. Hæc eſt communior ſententia Doctorum cum Bellarmino *Hic lib. 2. cap. 11.* contra Banez, Amicum &c.

Quia in tali definitione deeſt Concilio authoritas Capitis ſimul docentis. Legati autem non ita repræſentant Pontificem, vt illis docentibus cenſeatur Pontifex idem docere, cùm neque Pontifex per ſuam inſtructionem id mandauerit, neque neceſſaria gubernatio Eccleſiæ id requirat; pro rebus enim ſic deciſis poſtea Pontificis approbatio poſtulari poteſt. Non parum confirmatur hæc doctrina ex facto Concilij *Calcedonenſis Act. 3.* quod in epiſtola ad Leonem Pont. vbi poſtulat decretorum confirmationem, apertè fatetur ſe eam petere, quoniam præter decretum fidei contra Dioſcorum, alia etiam quædam ſtatuta erant ſine expreſſa Pontificis ſententia.

Neque refert, quod ante Pontificis confirmationem, Concilia quoſdam hæreſeos damnauerint, ex eo quod ſuis Decretis non obtemperaſſent, id enim factum eſt ex eo quod Decreta illa manifeſtè Scripturis ſacris, aut priorum Conciliorum definitionibus conformia fuerint.

## §. II.

### *Pertinentia ad Concilium Prouinciale, ac Diœceſanum.*

EX dictis etiam commodè intelligitur, quibus limitibus contineatur legitimus ordo, norma, & authoritas Concilij Prouincialis, ac Diœceſani, quæ maxima ex parte formam modumque Concilij generalis imitari ſolent; in quibus, præter ea quæ hactenus reſoluimus.

Obſeruandum primò, Metropolitanum teneri ſtatutis temporibus celebrare Concilium prouinciale, niſi ob legitimum impedimentum à ſummo Pontifice diſpenſationem obtineat.

Concilij verò huius celebrandi tempus, cauſas, modumq; præſcribit Trident. *ſeſſ. 24. de reform. cap. 2.* Prouincialia [ioquit] Concilia pro moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controuerſijs componendis, aliiſque ex Sacris Canonibus permiſſis, renouentur. Quare Metropolitani per ſeipſos, vel illis legitimè impeditis, Coepiſcopus antiquior..... quolibet ſaltem Trienio poſt octauam Paſchæ, ſeu alio commodiori tempore pro more Prouinciæ, non prætermittat Synodum in Prouincia ſua cogere, ita Trid. In Iodia tamen, ob diſtantiam Epiſcoporum comprouincialium, hoc triennij tempus ad Concilium celebrandum vſque ad ſextum annum à Sede Apoſtolica prorogatur.

II. Concilio Prouinciali tenentur intereſſe Epiſcopi omnes, & alij qui iuriſdictionem Epiſcopalem obtinent, vt ſuot aliqui Abbates, & Priores, & quicunque alias iure, vel conſuetudine intereſſe ſoleot, niſi obſtet itineris graue periculum. Poſſunt quoq; ex deputatione Pontificis adeſſe aliqui Presbyteri, aut Diaconi, & ſimul definiendi ius habere, vt factum eſt in Syoodo ſub Symmacho Papa in Italia, in qua aliqui Presbyteri, & Diaconi ſubſcripſerunt; eſt enim hic actus non ordinis, ſed iuriſdictionis, quæ vel conſuetudine, vel alio modo obtineri poteſt. Alij verò exempti, vbi conſuetudo contrarium non obtinuit, cogi non poſſunt à Metropolitano vt ad prouinciale Concilium accedant.

Abbates commendatarij, & Capitulorum deputati obtinent vocem dumtaxat conſultiuam, Epiſcoporum verò abſentium procuratores poſſunt etiam habere vocem deciſiuam, ſi Concilio prouinciali viſum fuerit.

Quamuis etiam Capitula Eccleſiarum Ca-

thedralium ſint ſpecialiter ad Concilium inuitanda, & poſſint etiam iuſtas ob cauſas Laici quidam admitti, in eo tamen votum ſiue ſuffragium mere conſultiuum habere poſſunt, vti diximus de Imperatore, aut Rege in Concilio generali.

III. Decreta quæ in Concilio prouinciali conduntur, non debent inconſulto Pontifice Romano publicari.

IV. Ad obſeruationem decretorum Concilij prouincialis obligantur omnes qui Epiſcopali iuriſdictioni ſubduntur. Ad hanc tenentur etiam Exempti, vt ſunt Regulares, in caſibus quibus à iure communi, & Concilijs decretis, ſpecialiter Epiſcopis in eos poteſtas attributa eſt: & contra refractarios per iuris remedia procedi poteſt.

Electio loci ad celebrandum Synodum prouincialem poſita eſt in arbitrio Metropolitani. Ceſſantibus tamen iuſtis impedimentis, non eſſe relinquendam Eccleſiam Metropolitanam cenſuit Sacra Congregatio Concilij.

V. Synodum Diœceſanam quotannis celebrandam ſtatuit Tridentin. ſupra *Seſſ. 24. de reform. cap. 2.* Ad hanc tenentur conuenire etiam Exempti, qui alias ceſſante exemptione intereſſe deberent, nec Capitulis generalibus ſubduntur. Ratione parochialium Eccleſiarum accedere debent omnes qui earum curam gerunt.

Quod ſi Epiſcopus fuerit legitimè impeditus, poteſt celebrare Synodum Diœceſanam per procuratorem, aut ſuum Vicarium generalem ſufficienti mandato inſtructum.

VI. In Conſtitutionibus autem legitimè faciendis non requiritur conſenſus & approbatio Cleri, ſed tantum aſſenſus Capituli, ſed neque hunc ſequi neceſſe eſt, præterquam in quibuſdam caſibus à iure expreſſis.

## §. III.

### *Exponitur ſeries & geſta Conciliorum Generalium quæ pro Legitimis, aut Illegitimis haberi debent.*

AMplioris ſcientiæ cauſa, peculiari ſtudio hic in compendium contrahemus Seriem Conciliorum Generalium quę hactenus in Eccleſia celebrata fuere, prout recenſita reperiuntur, cum notitia rerum in ijs præcipue geſtarum; vbi & Concilia probata ab improbatis, ac legitima ab illegitimis, cum varia in ijs obſeruatione, ſecernemus. Mirum enim in modum hæc notitia conducet ad diſtinctionem temporum quibus ſingula celebrata ſunt, ad variorum dogmatum deciſionem, ad peritiam Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, ad reſolutiones Controuerſiarum plurimarum, quæ ab accurata horum obſeruatione dependent.

Quamquam in notando ordine, præſertim annorum, non contendimus omnia ad amuſſim ſibi conſtare, cum in multis neceſſe ſit ſequi Chronologos, qui in ſignando tempore ac numero non raro diſcrepant.

### *Concilia generalia quæ hactenus legitima fuerunt octodecim numerantur.*

PRimum eſt Concilium Nicænum, cui interfuerunt 318. Patres, inchoatum ann° 327 & abſolutum anno 330. vti cum communiori tradit Bellarminus, vel vt placet Baronio ac Binnio, anno 325. & cœptum, & abſolutum. Præſides huius Concilij fuerunt Pontificis Legati Oſius Epiſcopus, Vitus, & Vicentius, Presbyteri, quorum proinde nomina ante omnes extant Concilio ſubſcripta. Conuocatum fuit Concilium Nicænum à S. Syluestro Papa, & Conſtantino Imperatore, qui Concilium ingreſſus non niſi annuentibus Epiſcopis ſedere voluit, dein habita ad eos oratione latina, profeſſus eſt non eſſe deinceps ſuum, ſed Epiſcoporum iudicare, ac proinde, poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, vti refert Baſilius Imperator ſub fidem Synodi 8 Actione 20. Coactum fuit hoc Concilium præcipuè contra Arium, qui Chriſti diuinitatem negabat, quæ in Concilio definita eſt, & alia circa diem paſchatis controuerſa. Decreta huius Concilij Romam perlata collectis Italiæ Epiſcopis à S. Syluestro approbata fuere. De numero Seſſionum huius Concilij non liquet, cum non omnia eius acta, ſed tantum viginti Canones ſuperſint.

Secundum generale Concilium numerari ſolet Conſtantinopolitanum primum, quamuis alij Sardicenſe præponant; Inchoatum fuit anno 383. vt tradit Bellarminus, vel biennio citius, vt placet Baronio. Non præſedit in hoc Concilio Damaſus Pontifex per ſe, aut per ſuos Legatos. Sed ab eodem confirmatum fuit in his quæ fidem Catholicam concernunt, teſte Photio in lib. de 7. Synodis. Septem tantùm huius Concilij Canones, nulla vero Acta à Binnio adferuntur. Interfuerunt Epiſcopi Catholici 150. ac præterea 36. Macedoniani ſiue Semi-Ariani, vt ex Socrate refert Baronius. Conuocatum fuit à Theodoſio ſeniore Imperatore ex mandato Damaſi Pontificis; vti patet ex Epiſtola Concilij ad Damaſum apud

Theo-

Theodoretum lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 9 apud Bellarminum, & Baronium. Cauſa huius Synodi conuocandæ præcipua fuit, 1. vt fidem Concilij Nicæni confirmaret, 2. vt Gregorium Nazianzenum Conſtantinopoli Epiſcopum ſtabiliret; ſed firmauit inſuper Spiritus Sancti diuinitatem contra Macedonium, qui eo tempore illam negabat.

Tertium eſt Concilium Epheſinum primum, in quo numerati Epiſcopi pluſquam ducenti. Conuocatum fuit anno 430. vt vult Baronius, vel 434. vt tradit Bellarminus: idque authoritate Cæleſtini Papæ, cuius vice præſedit Cyrillus Alexandrinus alijque Legati, & opera Theodoſij Imperatoris Iuniores, qui Candidianum Comitem miſit ad Synodi defenſionem, ea conditione vt non immiſceret ſe negotijs fidei, & Eccleſiaſticis; conditionem tamen non ſeruauit Candidianus. Damnatus eſt à Synodo Neſtorius, quem Pontifex non voluerat de nouo ſubijci examini, ſed damnari iuxta ſententiam à ſe Anno præcedenti latam in Concilio Romano, Confirmata fuit, inquit Binnius, vt conſtat ex Epiſtola Cæleſtini I. ad Synodum ſcripta, & ex actis Concilij in cauſa Neſtorij Romæ habiti, vtrobique etiam ob eamdem cauſam hæreſiarca damnatus fuit.

Quartum eſt Chalcedonenſe, 630. Epiſcoporum contra hæreſim Dioſcori, & Eutychetis Archimandritæ, qui vnam tantum in Chriſto naturam aſſerebat, celebratum in ſuburbijs Chalcedonenſibus in templo S. Euphemiæ anno 451. iuxta Baronium alioſque. Confirmauit Synodum id petentem, geſtaque eius, in ſola tamen cauſa fidei, approbauit Leo, vt patet ex eius Epiſtola ad Synodum 59.

Quintum autem generale, & legitimum Concilium [ vt patet ex Nicæno Secundo Actione prima ] fuit Conſtantinopolitanum Secundum, contra Origenem, & tria Capitula, 255. Epiſcoporum, inchoatum eſt anno 553. vt Bellarminus, Baronius, aliique Kalendis Maij, finitum quarto Non. Iunij eiuſdem anni, habitis collationibus octo. Conuocatum fuit à Iuſtiniano Imperatore conſenſu quidem Vigilij Papæ, ſed non obſeruatis à Vigilio præſcriptis, cui contra voluntatem ſuam conuenienti, nec per ſe, nec per Legatos præſedit, morbum allegans, etſi in eadem ciuitate eſſet: ſed præſedit non Imperator, non Mennas, ſed Mennæ ſucceſſor Eutyches Patriarcha Conſtantinopolitanus. Quod Synodum probare nollet in exilium miſſus Vigilius, inter tamen redux poſt medium annum eam probauit Epiſtola ad Eutychium, quæ ante hac ignota, opera Petri de Martha ex Regia Pariſienſi bibliotheca deſumpta, extat modò in 12. Tom. Conciliorum impreſſionis Pariſienſis pag. 262.

Sextum eſt Conſtantinopolitanum tertium contra Monothelitas, Epiſcoporum 289. Celebratum in Secretario quod vocatur Trullis anno 680 Inchoata eſt prima actio die 17. Nouembris: vltima autem, & 18. die 17. Septembris anni ſequentis. Conuocatum fuit Concilium conſenſu Agathonis Papæ ab Imperatore Conſtantino Pogonato, qui omnibus ferè actionibus interfuit quidem, & eminentiori loco præſedit, ſed non vt Iudex, verum vt propugnator. Reuera enim præſederunt Pontificis Legati Petrus, & Georgius Presbyteri, & Ioannes Diaconus, qui vbique loquuntur primi, ſubſcribunt primi, Imperator autem ſententiam non tulit, & vltimò ſubſcripſit. Acta ibi ſunt omnia ex præſcripto Agathonis. Confirmationem ab eo petijt Synodus: obtinuiſſe dicitur communiter à Leone Secundo, ſed Epiſtola Leonis confirmatoria quæ circumfertur Spuria videtur Baronio, Binnio, aliiſque.

Septimum eſt Nycænum Secundum, contra Iconomachos, Epiſcoporum 350 Actio eius prima habita anno 787. octauo Kal. Octob. 7. & vltima 3. idus Octob. Conuocarunt illud Imperatrices Conſtantinus, & Irene eius mater conſenſu Adriani I. Papæ, cuius Legati Petrus Archipresbyter, Petrus Abbas S. Sabbæ præſederunt, & nominantur, & ſubſcripſerunt primi. Omnia ibi acta ſunt ex præſcripto Adriani qui Concilium deinde confirmauit teſte Binnio.

Octauum eſt Conſtantinopolitanum quartum, in cauſa Photij per vim intruſi in Patriarchatum Conſtantinopolitanum, Epiſcoporum 383. vel vt alij 102. Actio prima habita anno 869. 3. Non. Octobris, 10. verò vltima Februarij ſequentis. Conuocatum eſt mandante Adriano Papa induſtria Baſilij Imperatoris, qui interfuit quidem Concilio, ſed in fine proteſtatus eſt non eſſe ſuum, nec vllius Laici Eccleſiaſticis negotijs ſe immiſcere. Tandemque poſt Patriarchas omnes ante Epiſcopos ita valentes ſubſcripſit non definiens, Sed Synodum ſuſcipiens, proteſtanſque ſe poſt Epiſcopos debuiſſe ſubſcribere: primi autem ſubſcripſerunt qui præſederunt Legati Pontificij Donatus, & Stephanus Epiſcopi, ac Marinus Diaconus. Synodus in principio Epiſtniæ ad Adrianum quæ exſtat ad finem actionis decimæ, reſtatur nil ſtatutum à ſe eſſe niſi quod iam ante à Nicolao

colao decretum, & firmatum ab Adriaoo Pontificib us, petit Syoodum recipi, & coofirmari, confirmatam autem esse testatur Baronius alijqoe cum Binoio, qui id in suis notis susiùs ostendit.

Prędicta Coocilia in Oriente, sequentia in Occidente celebrata fuere.

Nonum itaque Concilium fuit Lateranense, 300 & amplius Episcoporum, conuocante, præsidente, & coofirmante Callisto II. anno 1122. pro pace, & concordia ioter Ecclesiam, & Imperium, nec non pro terra Sancta à Saracenis recuperanda.

Decimum Lateranense secundum, Episcoporum ferè mille, coouocante, præsideote, confirmante Ionocentio II. Papa, anoo 1139. celebrsrum contra Anacletum, & Victorem Aotipapas, & Aroaldum de Brixia, ac pro reformatione morum. Huius, & præcedeotis acta iotercidisse dicuntur.

Vodecimum, Lateranense tertium, Episcoporum amplius 300. coouocaote, presidente, confirmante Alexandro Papa aooo 1179. contra Catharos [quos VValdenses, & Albigenses aliqui appellant) & Schismaticos ab Aotipapis ordinatos, ac pro morum reformatiooe. Acta eius comprehenduntur cap 27. apud Binnium, vbi additur appendix Actorum per partes 30. io alia capita distributa.

Duodecimum Lateraneose quartum, Episcoporum ad mious 400. aliorum verò Patrum puta Abbatum, & Priorum coouentualium 800. Conuocante, presidente, coofirmante Innoceotio tertio anno 1215. contra hæreses Albigensium, ac errorea Abbatis Ioachim, nec noo pro recuperatione terræ Sanctę, &c. Acta exiotaot apud Bioniom in capita 70. distincta.

Decimum tertium, Lugduneose primum, Episcoporum 140. conuocante, præsideote, confirmante Ionocentio quarto aono 1245. causa Friderici Imperatoris deponeodi, expeditioneque in terram Sanctam suscipieodæ. Tertia sessiooe depositus etiam Imperator, & coodita decreta quæ refert Bioolus.

Decimum quartum, Lugduneose secuodùm Patrum, vt ait Bellarminus, ferè mille, conuocaote, præsidente, confirmaote Gregorio X. præsente Michaele Paleologo Græcorum Imperatore anno 1294. contra errores Græcorum, & pro recuperatione terræ Sanctæ; vbi facta est voio cum Græcis maximè opera S. Booauenturæ.

Decimum quiotum, Viennense Io Gallia, Episcoporum 300. & amplius; conuocante, præsidente, confirmante Clemente V. anno 1311. contra Fratticellorum, Beguardorum, Beguioarum hæreses, extioctus in eo est Templariorum Ordo. Nec huius, nec præcedentis acta refert Binnios, plutimæ eorum constitutiones exstant Io iure Canonico.

Secutum est anno 1414. Concil. Cooslantieose, & Basileense, de quibus iofra inter illegitima.

Decimum sextum, Florentinum anno 1438. togatu Ioannis Paleologi Græcorum Imperatoris, qui deinde ioterfuit, coouocatum ab Eugenio IV. qui præsedit; Ferrariæ inchoatum. Inde habitis sessionibus 16. propter pestem translatum Florentiam, sed non finitum ibi anno 1429. vt plures putarunt, sed contiouatum ibidem per tres alios annos, vnde Florentiæ habitæ sunt plus quam octo sessiooes illæ, quæ præter telatas 16. reperiuntur solum apud Binolom; tum verò translatum Romam vbi durauit saltem vsque ad aonum 1445. vt patet ex actis Florentinæ Syoodi, editis in lucem per Horatium Iustinianum Oratoristam, postea Cardioalem. Ita Pallauicious in actis Syoodi Tridentinæ lib. 6. cap. 11. De numero Patrum qui interfuerint non satis liquet, conuocatum autem fuit cootra errorea Græcorum.

Decimum septimum, Lateranense V. anno 1512. inchoatum sub Iulio II. qui quinque primis sessiooibus partim per se, partim per suum Legatum præsedit. Sessio autem 6. habita præside Leone X. soccessore Iulij anno 1513. sub quo post habitas alias sex sessiooes finitum etiam anno 1517. Concilium confirmauit deinde Leo, habitum autem fuit ad tollendum schisma propagatum per Conciliabulum Pisanum anno 1511.

Decimum octauum, Tridentinum, cœptum anoo 1545. sub Paulo III. sub quo octaua sessio habita est Trideoti 11 Martij an. 1547. Inde Bonooiam translatum, vbi celebrata eodem aooo sessio 9. & 10. Tum verò sub Iulio III. aono 1551. habita item Tridenti sessio 11. 12. 13. 14. & anno 1552. habita sessio 15. & 16. Tom verò sub Pio IV. anno 1562. ibidem sessio 17. 18. 19. 20. 21. 22. anno 1563. sessio 23. 24. & 25 vltima. Non semper ijdem præsedere legati Pontificij tot annorum spatio. Noo semper ijdem, aut æque multi ioterfuere Patres. In hoc Coocilio subscripsere Patres 255. Denique à Pio IV. anno 1563. 7 Kal. Februarij confirmatum est hoc Concilium, quod est postremum œcumenicum, coutra emergeotes Lotheri, aliorumque hæreses, & pro morum reformatiooe, summo Ecclesiæ bono celebratum.

Con-

### *Concilia ſeptem generalia dicta, ſed illegitima.*

COnſtantius Imperator Orientis anno 341. Antiochiam conuocauit 90. vel amplius Epiſcopos ex Oriente, inter quos 36. Ariani, ſed Arium, vt ſimulabant, abiurantes: finitaque dedicatione ab illis celebratum Concilium illud quod dicitur Antiochenum, præſente Conſtantio, in quo ab Arianis damnatus eſt Athanaſius, ſucceſſorque ei ſtatutus, & via pateſacta ad euerſionem Concilij Nicæni primi per 4. ſubdolas fidei formulas. Non apparet cur hoc Concilium debet dici generale.

Secundum, Mediolanenſe plusquam 300. Epiſcoporum ferè Occidentalium, pleriſque Orientalium impeditis. Anno ſcilicet 355. permiſſu Conſtantij Imperatoris generalem Synodum Mediolanum conuocarat Liberius Papa, eoque miſerat Lucifernm Epiſcopum Caiaritanum, Pancratium Presbyterum, & Hilarium Diaconum legatos. Inchoatum fuit Concilium in templo abſente Imperatore; ſed Valens, & Vrſatius Ariani recuſantes fidei Nicænæ ſubſcribere, populumque veriti, ſimul cum alijs Arianis, imò & reliquis, ex templo aufugerunt ad Palatium Imperatoris, qui omnes Epiſcopos per vim coegit ſubſcribere damnationi Athanaſij, cuius cauſa vt examinaretur indictum fuerat Concilium; & recuſantes Legatos, & virgis prius cæſum Hilarium alioſque in exilium relegauit. Vnde etſi Concilium hoc legitimè fuerit inchoatum, in progreſſu tamen & exitu omninò illegitimum fuit.

Tertium, Ariminenſe, Epiſcoporum 600. ſub Conſtantio anno 372. ita Bellarminus. Verum Baronius, Binnius, alijque diſtinguunt duo Concilia Ariminenſia, vnum generale legitimum plus quàm 400. Epiſcoporum, qui omnes fere Catholici, & Occidentales anno 356. ſub Liberio Papa, qui per Legatum ſuum Vincentium Epiſcopum Capuanum alioſque præſedit. Comprobatum in illo eſt communi Patrum decreto Nicæna fides, damnatique præſentes Verſatius, Valens, alijque Ariani, quo peracto finitum Concilium, Patribus ab Imperatore miſſionem petentibus.

Aliud verò Conciliabulum illegitimum, & reprobatum poſt aliquot menſes à diſſolutione Concilij ibidem coactum, in quo fraude Arianorum præſertim Vrſatij, & Valentis ac minis Imperatoris paulatim omnes ferè Epiſcopi Catholici, ſed dintiſſimè reſiſtente Seruatio, ſubſcripſere formulæ fidei, in qua nomen homouſios omiſſum eſt, quamque Arianam eſſe deinde iactarunt Ariani. Vnde illud Hieronymi, Ingemuit orbis terrarum, & ſe Arianum eſſe miratus eſt.

Quartum, Epheſinum ſecundum anno 449. Epiſcoporum 128. connocatum inſcio Pont. Leone ab Imperatore Theodoſio, qui Præſidem Concilij conſtituit Dioſcorum Alexandrinum, facultatemque ei dedit conuocandi quos vellet Epiſcopos. Conuocauit verò, qui Eutychetis ſententiæ fauerent, omiſſis qui maximè reſiſterent. Citatus Papa non comparuit, ſed Legatos miſit Iulianum Renatum, atque Hilarium, qui tamen non ſunt permiſſi præſidere. Omnia vi, & minis ibi acta, Eutyches abſolutus, eiuſque hæreſis confirmata; occiſus Flauianus Conſtantinopolitanus Epiſcopus; fugati Legati Pontificij. Vnde prædatoria Synodus, & latrocinium meritò vocatum fuit, & à Chalcedonenſi Concilio, cui illius acta inſerta ſunt, prorſus reprobatum.

Quintum, Conſtantinopolitanum, fuit tempore Gregorij II. & Leonis Iſaurici Iconomachi anno 730. contra ſacras Imagines; ita Bellarminus: huius tamen Concilij mentionem non facit Baronius, aut Binnius, nec videtur eſſe œcumenicum.

Sextum, Conſtantinopolitanum pſeudoſeptimum dictum, ſub Conſtant. Coprouimo tempore Stephani II. anno 754. Fuit 338. Epiſcoporum Iconomachorum Orientalium, qui damnarunt cultum ſacrarum imaginum. Reprobauit illud Stephanus, & deinde Synodus Oecumenica Nicæna 2. quæ fuit omninò legitima.

Septimum, Piſanum contra Iulianum II. anno 1510. aut citius conuocatum à Cardinalibus hæreticis, & Schiſmaticis, & paulò poſt in Lateranenſi V. Concilio reprobatum fuit.

### *Concilia generalia partim approbata, partim reprobata ſeptem enumerantur.*

PRimum Sardicenſe Epiſcoporum 376. anno 351. Sed notat Baron. alijque, duo fuiſſe Sardicenſia Concilia, vnum generale, & legitimum circa annum 347 Aliud particulare 76. Arianorum, qui Concilium quod Philippopolim dilapſi ibidem celebrarunt, Sardicenſe vocarunt, ab omnibus Catholicis deinde reiectum, & nunquam pro Legitimo habitum fuit.

Secundum, Sirmienſe anno 356. vel vt Baronius 357. addens potius fuiſſe conuenticulum ſathanæ conuocatū à Conſtantino Imperatore, damnatus quidem in ea fuit Photius, & edita

prima formula fidei, quam Hilarius Catholicam dixit, cui tandem nimis cedens subscripsit Papa Liberius. Concilium hoc ponit Petauius potius anno 351.

Tertium, Concilium Quini sextum Constantinopolitanum in Trullo celebratum anno 692. Petauio anno 707. Vnde eius Canonis Trullani dicti. Conuocatum fuit inscio Rom. Pontifice Sergio, qui ideo ei ne quidem per Legatos præsedit, sed illud statim reprobauit, teste Beda apud Binnium. Canones itaque nulli ex 102. quos condidit illa Synodus ex illa auctoritatem habent, admissis tamen à Catholicis aliquibus, quia per se sanæ erant doctrinæ.

Quartum, Francofordiense 300. circiter Episcoporum ex Italia, Gallia, Germania, & Britannia, præsentibus Legatis Papæ Adriani, qui illud conuocari permiserat, à Carolo Magno Franc. Rege, qui deinde eidem interfuit. Verum Concilium hoc celebratum Anno 794. œcumenicum non est, cum nulli Orientales interfuerint, neque generale esse volnerit Pontifex, sed prouinciale vel nationale fuisse dicunt Binnius, alijque. Ea quæ de filiatione Christi naturali in eo definita reperiuntur, sine dubio ab Ecclesia sunt approbata. Dicitur autem à Bellarmino alijsque, per Ecclesiam reprobata esse damnatio Synodi Nycænæ secundæ quam fecisse fertur hoc Concilium, sed putat Binnius Concilium hoc nil statuisse contra Nycænam, eo quod alia pars decretorum illius, vt potè particularis Concilij, approbata non fuisset.

Quintum, Pisanum Anno 1409. ad tollendum schisma, Gregorio XII. & Benedicto XIII. se pro Pontifice gerentibus, congregatum à Cardinalibus vtriusque Obedientiæ præsentibus Episcopis 180. Abbatibus 900. à quibus omnibus sessione 15. depositus est vterque Antipapa. Sess. 17. data facultas Cardinalibus eligendi Papam, qui post sessionem 19. elegerunt Alexandrum V. Hnic demortuo successit deinde Ioannes XXIII. Concilium hoc fuisse illegitimum volunt aliqui, legitimum putat cum aliis Spondanus, sanè inter Pontifices veros computatur Alexander V. qui in eo electus fuit.

Sextum, Constantiense Anno 1414. ratione eiusdem schismatis, & contra Hus, & VVicleff, conuocatum est rogatu Sigismundi Imperat. à Iosnne quem XXIII. communiter dicunt, qui 1. sessioni interfuit vna cum Imperatore, & sessione 2. habita 2. Martij 1415. promisit, voluit, iurauit se cessurum Papatu quando Petrus de Luna Benedictus XIII. dictus, & Angelus de Corario Gregorius XII. dictus simpliciter cederent. Interim noctu 21. diem Martij præcedente prædictus Ioannes clam aufugit, quare sessio 3. habita est 26. Martij absente Ioanne, fugam suam per literas excusante. Quarta sessione declarauit Synodus quod ipsa potestatem à Christo habeat immediatè, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis etiamsi Papalis existat, obedire teneatur in his quę pertinent ad fidem, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ Ecclesiæ in capite, & in membris. Circa quam declarationem quoniam ab aliquibus perperam intelligi videtur.

Nota primò, ex Eugenio IV. in constitutione, *Moyses, &c.* illam non esse accipiendam in sensum generalem, ita vt Concilium quandoque sit supra quemcumque Pontificem, sed ita vt illud Concilium esset supra Papam dubium, prout tunc erant illi tres de Pontificatu contendentes. Nota secundò Concilium illud sess. 4. & 5. in qua declaratio allegata confirmata fuit, non fuisse Concilium generale, cum tantum interesset obedientia Ioannis XXIII. Deinde declarationi illi nullus consensit Pontifex.

Sessione 8. ab ijsdem damnatus VVicleff. Sessione 12. tandem Patrum sententia Pontificatu depositus Ioannes XXIII. qui sententiam auditam approbauit, & re ipsa cessit Pontificatu, qua facta cessione Pontificatu omninò excidit.

Sessione 14. postquam sponte Papatu cessisset Gregorius XII. absens, Cardinales ipsius obedientiæ in Concilium admissi cum reliquis Sess. 15. damnatus præsens Ioannes Hus, viuusque combustus.

Sessione 37. tandem definitiua sententia Pontificatu depositus Benedictus XIII. cedere nolens: & sess. 41. anno 1417. electus in Pontificem Martinus V. qui sess. 45. Concilium dimisit. Edita autem constitutione, quæ incipit, *Inter cunctas*, sacro approbante Concilio, solum approbauit quod gestum erat contra errores VVicleffi, aliorumque, non approbauit autem quæ sess. 4. & 5. declarata retuli, imò in eadem constitutione statuit, Inter alia Interrogatoria de hæresi suspectis proponenda, etiam hoc, vtrum credat quod Papa canonicè electus, qui pro tempore fuerit, sit successor B. Petri, habens supremam potestatem in Ecclesia Dei. Certum autem eam non habere si non sit maior Concilio. Quod ergo sess. 4. statutum erat de Concilio supra Pontificem, nullo modo de Pontifice indubitato intelligi voluit.

Se-

Septimum, Baſileenſe à Martino V. indictum, & ſub Engenio IV. legitimè inchoatum anno 1431. ſed in progreſſu variæ inciderunt controuerſiæ de auctoritate Papæ, &c.

Prima ſeſſio habita eſt 14. Decembr. præſidente Iuliano Cardinali Pontificio legato. Interim Engenius, 18. Decemb. edito Romæ decreto, Concilium ſi quod Baſilee congregatum videretur diſſoluit. Patres autem Baſilee congregati de hoc Eugenij decreto publicas ad vniuerſos fideles litteras dedere, quibus declarant decreuiſſe ſe Concilium Baſilee continuare, quod & fecerunt.

Seſſione itaque ſecunda, quam celebrarunt 15. Kalend. Martij anni ſequentis, præſidente etiam Iuliano, confirmarunt in primis decreta ſeſſ. 4. Conſtantienſis, ſtatueruntque Concilium eſſe ſupra Pontificem. Alijs deinde ſeſſionibus Eugenium IV. citarunt, accuſarunt, contumacem declararunt. Seſſ. 16. litteræ Engenij recitantur, in quibus pacis ſtudio declarat, Concilium illud à prima inchoatione legitimum fuiſſe, & irritas iuſſit eſſe priores litteras Concilij diſſolutiuas. Notandum autem Eugenium non approbare illis litteris omnia quæ uſque ad hanc ſeſſionem à Concilio geſta ſunt legitima eſſe, imò positiuè reprobat ea omnia quæ contra ipſos Cardinales &c. decreta erant, ipſum Concilium tantum approbauit, inſſitque legitimum eſſe.

Seſſione autem 18. nullo Præſidente Pontificio Legato, Concilium repetit iterum decretum Conſtantienſe. Non conſtat quibus deinde ſeſſionibus legati præſederint, conſtat ipſos decretis Concilij ſe opponentes non fuiſſe auditos ſeſs. 21. & 24. imò opus deinde fuiſſe Tarentino armis ſe tutari. Deinde à ſeſſionis 31. tempore, id eſt anno 1438. Kaiendis Febr. dilapſus Baſilea Iulianus, qui olim Concilio fauerat, alijque omnes Cardinales, vno excepto Arelatenſi, quem deinde Præſidem Concilij crearunt. Hoc itaque Præſide Concilium ita ſegregatum à Romano Pontifice, vt neque ſpeciem Pontificiæ auctoritatis præ ſe ferret, conuocatis Presbyteris, quibus loco Epiſcoporum, pauciſſimi enim aderant, ſuffragij ius datum, & in manus datæ Sanctorum reliquiæ Seſſ. 33.

Seſſione 34. Eugenium Pontificatu deponunt Seſſ. 39. in Anti-Papam eligunt Amadeum Ducem Sabaudiæ, qui dictus fuit Felix V. Quo deinde Pontificatu cedente Nicolaus V. Eugenij IV. ſucceſſor dedit hoc nomen concordiæ, vt confirmaret acta quædam Baſileenſia ad beneficia Eccleſiaſtica, & cenſuras pertinentia. Præter hæc nihil omninò approbauit, vt ex eius Bulla ſatis apparet. Cæterum non tantum Engenius, ſed & deinde Leo X. in Concilio Lateranenſi ſeſs. 11. decreta Baſileenſia damnarunt, ac proinde nullum poſſunt ab auctoritate huius Concilij robur habere.

# CONTROVERSIÆ

## GALLICANÆ RECENTIORES

## De Pontificis Poteſtate.

HArum Controuerſiarum Propoſitiones ſingulas, progreſſum, ac fundamenta auido Lectori breuiter exponemus, ne in materia tanti momenti hoc loco ea notitia deſtituatur: illas fideliter ex ipſis Actis, cum alijs eodem pertinentibus exhibemus.

### *Cleri Gallicani Declaratio.*

ECcleſiæ Gallicanæ decreta & libertates à maioribus tanto ſtudio propugnatas, earumque fundamenta ſacris Canonibus & Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur, nec deſunt qui earum obtentu priuatum beati Petri eluſque ſucceſſorum Romanorum Pontificum, à Chriſto inſtitutum, ijſque debitam ab omnibus Chriſtianis obedientiam, Sedisque Apoſtolicæ, in qua fides prædicatur, & vnitas ſeruatur Eccleſiæ, reuerendam omnibus gentibus Maieſtatem imminuere non vereantur. Hæretici quoque nihil prætermittunt quo eam poteſtatem qua pax Eccleſiæ continetur, inuidioſam & grauem Regibus, & populis oſtentent, ijſque ſrandibus ſimplices animas ab Eccleſiæ matris, Chriſtique adeò communione diſſocient. Quæ vt incommoda propulſemus: Nos Archiepiſcopi & Epiſcopi Pariſijs mandato regio congregati, Eccleſiam Gallicanam repræſentantes, vnà cum cæteris Eccleſiaſticis viris nobiſcum deputatis, diligenti tractatu habito hæc facienda & declaranda eſſe duximus.

I.

Primum beato Petro eiuſque ſucceſſoribus Chriſti Vicarijs, ipſique Eccleſiæ rerum ſpiritualium & ad æternam ſalutem pertinentium, non autem ciuilium ac temporalium à Deo traditam poteſtatem, dicente Domino: *Regnum*

*gnum meum non eſt de hoc mundo:* & iterum: *Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Ac proinde ſtare Apoſtolicum illud; *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt à Deo ordinatæ ſunt: itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit*. Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubijci, neque auctoritate cuiuſcumque Eccleſiæ directè vel indirectè deponi, aut illorum ſubditos eximi à fide atque obedientia, ac præſtito fidelitatis ſacramento ſoluj poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec minus Eccleſiæ quam Imperio vtilem, vt verbo Dei, Patrum traditioni, & Sanctorum exemplis conſonam omninò retinendam.

II.

Sic autem ineſſe Apoſtolicæ ſedi ac Petri ſuccaſſoribus Chriſti vicarijs rerum ſpiritualium planam poteſtatem, vt ſimul valeant atque immota conſiſtant ſanctæ œcumenicæ Synodi Conſtantienſis, à ſede Apoſtolica comprobata, ipſoque Romanorum Pontificum ac totius Eccleſiæ vſu confirmata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetua Religione cuſtodita Decreta de Authoritate Conciliorum generalium, quæ Seſſione quarta & quinta continentur; nec probari à Gallicana Eccleſia qui eorum decretorum, quaſi dubiæ ſint authoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad ſolum ſchiſmatis tempus Concilij dicta detorqueant.

III.

Hinc Apoſtolicæ Poteſtatis vſum moderandum per Canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos: valere etiam regulas, mores, & inſtituta à Regno & Eccleſia Gallicana recepta; Patrumque terminos manare inconcuſſos; atque id pertinare ad amplitudinem Apoſtolicæ ſedis, vt ſtatuta & conſuetudines tantæ ſedis & Eccleſiarum conſenſione firmatæ propriam ſtabilitatem obtinaant.

IV.

In fidei quoque quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, eius decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabila eſſe iudicium, niſi Eccleſiæ conſenſus acceſſerit.

V.

Quæ accepta à Patribus ad omnes Eccleſias Gallicanas atque Epiſcopos Spiritu Sancto authore præſidentes mittenda decreuimus; vt id ipſum dicamus omnes, ſimuſque in eodem ſenſu & in eadem ſententia.

Sequitur edictum Regium, quo prohibetur primò, cunctis ſubditis & externis qui ſunt intra Regnum, Sæcularibus ac Regularibus cuiuſcumque Ordinis Congregationis & Societatis, docere in ſuis Domibus, Collegijs, & Seminarijs, aut ſcribere aliquid contrarium doctrinæ contentæ in declaratione præcedenti.

II.

Ordinatur vt qui deinceps erunt electi ad docendam Theologiam in quouis Collegio ſingularum Vniuerſitatum ſiue ſæculares illi fuerint, ſiue regulares, dictæ declarationi ſubſcribant Greffiarijs facultatum Theologiæ, antequam munus hoc in Collegijs, aut domibus Regularium & Sæcularium obire poſſint: Præterea vt ſubmittant ſe ad eam profitendam doctrinam quæ expoſita ibidem eſt, vtque Theologiæ facultatum Syndici, ordinarijs locorum, & noſtris Procuratoribus Generalibus dictarum ſubmiſſionum exemplaria per Greffiarios earundem facultatum ſignata nominibus tradant.

III.

Vt in collegijs omnibus ac domibus dictarum Vniuerſitatum, in quibus Profeſſores plures fuerint, ſiue ſæculares ij ſint ſiue Regulares, vni eorum annis ſingulis incumbat, doctrinam dicta declaratione contentam tradere, in Collegijs autem in quibus vnus tantum Profeſſor fuerit tenebitur is, vno eam ex tribus conſequentibus annis profiteri.

IV.

Syndicis Theologiæ facultatum iniungimus, vt annis ſingulis ante lectionum initium, Vrbium in quibus eæ præleguntur, Archiepiſcopis aut Epiſcopis, vti & Procuratoribus noſtris Generalibus, eorum Profeſſorum tradant nomina, quibus doctrinæ illius tradendæ cura fuerit demandata; Profeſſoribus verò ipsis vt ijſdem Prælatis, dictiſque Procuratoribus Generalibus oſtendant ſcripta

pta ſua [oum ſcilicet petitum hoc fuerit] quæ ſcholaſticis ſuis ſunt tradituri.

## V.

Nolumus vt quis deinceps Bachalaureus ſiue Sæcularis ſiue Regularis, tam Theologiæ quam Iuris Canonici creetur Licentiatus, aut in Doctorem admittatur, niſi ante in vna ſuarum Theſium, quam ijs quibus in Vniuerſitatibus gradus illos conferendi ius eſt oſtendet, dictam doctrinam propugnarit.

Circa illas controuerſias quæ concernunt Pontificis authoritatem ſupra Concilium generale, infallibilitatem definiendi, & declarandi in quæſtionibus iuris & facti, &c. Videri poterunt quæ pridem, ante iſtam declarationem editam, deduximus ſupra de authoritate Pontificis & Conciliorum quæſtione 1. 2. 3. &c. Recentius verò circa ipſam declarationem, inter alios D. Nicolaus du Bois in Academ Louan. Sacrar. Litter. Profeſſor primarius, edidit Conſultationes Theologico-Iuridicas, in quibus ex Canon. & Hiſt. Eccleſiaſtica fuſius deducit. 1. Ab ipſo exordio naſcentis Eccleſiæ illam fuiſſe amplitudinem ſanctæ Sedis, Gallicarum Eccleſiarum perpetua conſuetudine & conſenſione firmatam, vt in materijs fidei & morum ad ſalutem neceſſariorum Prælati conſulerent ſanctam Sedem, & illius iudicium expectarent. Quod demonſtrare pergit per ſinguła ſæcula progrediendo:

Et ſæculo quidem ſecundo Eleutherius Pontifex in Epiſtola ad Galliæ prouincias, de vſu etiam primi ſæculi teſtimonium ſerena, ita ſcribit: „De accuſationibus Clericorum, „ ſuper quibus conſulti ſumus, quia omnes eo„ rum accuſationes difficilè eſt ad Sedem „ Apoſtolicam deferre, finitiua tantum Epiſ„ coporum iudicia huc deferantur, vt huius „ Sanctæ Sedis authoritate finiantur, ſicut ab „ Apoſtolis eorumque ſucceſſoribus multo„ rum conſenſu Epiſcoporum iam definitum „ eſt. De hac Epiſtola agit Baronius ad an„ num Chriſti 181.

Sæculo *Tertio* Felicem Pontificem conſuluit Benignus Epiſcopus: & extat reſponſum quod incipit, *Suſcipientes*, &c.

Sæculi *Quarti* initio Quæſtiones motas ad Euſebium Pontificem Galliæ Epiſcopi retulerunt.

Sæculo *Quinto* Exuperius Epiſcopus Toloſanus de ſeptem diuerſis articulis conſuluit Innocentium primum; cuius & extat reſponſum *Dilectio tua*, &c.

Sæculi *Sexti* initio Symmachus Pontif. Cæſareo Epiſcopo Arelatenſi reſpondit, *Qui venerando*, &c. Sicut & Anitus Epiſcopus Viennenſis de rebus fidem concernentibus conſuluit Hormiſdam Pontif. cui reſpondet in Epiſtol. 10 *Quid de his*.

Circa ſæculi *Septimi* initium vixit Gregorius primus, qui vti ab alijs per orbem, ita à Gallis conſultus fuit, cuius reſponſales Epiſtolæ in libris 12. extant plurimæ.

Sæculo *Octauo*, S. Bonifacius qui Galliæ partes varias illuſtrauit, Decreta ſua retulit ad Zachariam Pontif. & ſi illi iuſta viderentur confirmari poſtulauit. Habetur hoc in Codice Canonum B. Iſaac Lingonenſis Epiſcopi, *Ego Iſaac*, &c.

Sæculo *Nono*, in Concilio Aquiſgranenſi, cui plurimi intererant Galliæ Prælati, mota eſt quæſtio, de proceſſione Spiritus Sancti, & alijs grauibus cauſis. Iudicauit Concilium quæſtiones illas eſſe remittendas ad Leonem 111. tunc Pontificem. Vti habet Ado Viennenſis in Chronico, *Synodus magna*, &c. Reperiuntur etiam hoc ſæculo plurimæ Epiſcoporum, etiam Galliæ relationes ad Benedictum 111. Nicolaum 1. Adrianum 11. quæ in Conciliorum tomis exprimuntur.

Sed præterire non oportet, quo pacto eodem ſæculo ſe geſſerint Britanniæ Epiſcopi dum de materia ſimoniæ ab ijs relatum eſſet ad Leonem IV. vti patet ex ipſius Epiſtola in qua ſic pergit: Legationem denique com„ munem omnium Epiſcoporum Reuerendiſ„ ſimorum nobis propoſitam delinquentes requiritis de his qui turpiſſimo lucro columbas in templo Domini vendere non pertimeſcunt, & ſua acta improba temeritate Simonis hæreſi conlungunt, vtrum poſſint in ordine pœnitentium agere, aut tantummodò extra Ordinem, Sacerdotalem fieri gradum.

Sæculo *decimo*, Herueus Rhemenſis Archiepiſcopus Ioannem 1x. conſuluit qualiter agendum eſſet cum Northmannis recenter ad fidem conuerſis, quorum alij baptizati fuerant & rebaptizati, poſt baptiſmum gentiliter vixerunt. Ad quem extat Pontificis reſponſum. *Quod debis*, &c.

Sæculo *Vndecimo*, in Gallia, & Hiſpania exortæ fuerunt Quæſtiones in materia ſimoniæ, alijſque: De his Victorem 11. Pontif. ad rem determinandam conſuluerunt varij Epiſcopi, cuius reſolutio conſtat ex Concilio Toletano in præfatione, *Anno Incarnationis* &c.

Sæculo *Duodecimo*, Pontifices erant Alexander 111. Vrbanus 111. &c. Nec omiſerunt illius temporis Epiſcopi in cauſis grauioribus ſanctæ Sedis iudicium requirere & expectare. Vti

ſecit

fecit Cænomanensis, cui Alexander III. in cap. 1. de Clericis peregrinis, *Tua nos duxit &c.*

Sæculo decimo tertio, inter alios Pontifex erat Innocentius III. & Honorius III. ad quos etiam recursum habuerunt Galliæ Episcopi in causis grauioribus, vti docent iuris Canones varij ex cap. 11. *de ætate, & qualitate*, c. 13. *de foro compet. &c.*

Sæculo decimo quarto, Prælati, & Rectores Ecclesiarum etiam Galliæ recurrernnt ad Ioannem XXII. pro obtinenda interpretatione constitutionum Bonifacij VIII. & Clementis V. quas dicebant à Religiosis mendicantibus infringi, qui id negabant. Vnde emanauit eiusdem constitutio, quæ incipit *Frequenter, &c.*

In huius sæculi decursu exortum est schisma illud grauissimum, piuribus de Pontificatu diurno tempore contendentibus, quod demum sæculo decimo quinto in Constantiensi Concilio finem habuit, Martino V. tunc in Pontificem electo. Quomodo autem sæculo decimo sexto errores Lutheri, & Caluini ad Leonem X. vt deciderentur vndique delati fuerint, omnibus eruditis notum est, & patet ex eius Bulla de his edita quam adducimus supra Tract. 3. Art. 5.

Hoc autem sæculo decimo septimo in quo versamur, patet in hoc puncto, vti ceterorum, ita vel maximè Prælatorum Galliæ sensus circa propositiones Iansenij quas communi consensu tam ad Innocentium X. quàm ad Alexandrum VII. irrefragabili authoritate damniendas retulerunt.

Horum 85. Prælatorum Litteras in ea causa ad Pontificem iuuat hic subijcere ad perpetuam Ecclesiæ Gallicanæ, suorumque Prælatorum gloriam, adiuncto etiam ordine alphabetico, singulorum nomine, dignitate, & diœcesi, vnde, & Lector illius Ecclesiæ ac regni multiplicem in particulari notitiam breui compendio haurire poterit.

# LITTERÆ

## GALLICANORVM EPISCOPORVM.

### Ad Pontificem Maximum

## INNOCENTIVM X.

BEATISSIME PATER

Maiores causas ad Sedem Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuò retineri pro iure suo postulat. Aequissimè huic legi obsequentes, de grauissimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum esse censuimus. Decennium est ex quo vehementissimis turbis Gallia magno nostro mœrore commouetur ad librum posthumum & doctrinam Reuerendi Cornelij Iansenij Iprensis Episcopi. Tales quidem motus sedari oportebat cum Concilij Tridentini Authoritate, tum Bullæ illius, qua Vrbanus VIII. Felicis memoriæ aduersus Iansenij dogmata pronuntiauit, & decreta Pij V. ac Gregorij XIII. in Bainm edita confirmauit. Atque huius quidem Bullæ veritatem ac robur nouo quidem diplomate vindicasti. Sed quia nulli singillatim propositioni certa censuræ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquid quorundam cauillis & effugio relictus est. Intercludendum autem penitus speramus si, vt precamur, Sanctitas tua quid hac in re sentiendum sit clarè distinctèque definiat. Obtestamur ergo vt has præsertim propositiones, de quibus disceptatio periculosior ac contentio ardentior est Sanctitas tua expendat ac perspicuam & certam de vnaquaque sententiam ferat. *Tum subiungunt illas quinque propositiones tum maximè controuersas, & postmodum ab Innocentio X. damnatas, quas cum suis censuris hic supra relatas reperies. Quibus subijciunt sequentia.*

Experta est nuper Beatitudo tua quantum Apostolicæ Sedis in gemini Ecclesiæ capitis errore profligando valuerit authoritas: continuò sedata est tempestas, atque ad Christi vocem & imperium venti & mare obedierunt: Quamobrem flagitamus, Beatissime Pater, vt clara, firmaque de propositionum istarum sensu prolata sententia, cui Reuerend. ipse Iansenius morti proximus opus suum subiecit, caliginem omnem discutias; animos fluctuantes componas, dissidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillitatem splendoremque restituas. Dum hæc spes mentibus nostris affulget, Sanctitati tuæ multos & prosperos annos, sæculoque beatissimam æternitatem Rex sæculorum immortalis adijciat, optamus ac vouemus. *Subscripserunt, vt supra annotaui octoginta quinque Episcopi, quorum nomina & munia Alphabeti tantum ordine hic recensentur.*

Ademarus de Montheil de Grignan, *Archiepiscopus Arelatensis*, Alanus de Solniac, *Episcopus Cadurcensis*. Annas de Leui de Ventadour, *Archiepiscopus Bituricensis*. Anthinius Dionysius Cohon, *Episcopus Dolensis*. Benedictus Theophilus *Archiepiscopus Tarentasiensis*. Claudius d'Anghirs *Episcopus Adurensis*, Carolus Augu-

lus

Rus *Epiſcopus Genouenſis*. Claudius de Rebe *Archiepiſcopus Narbonenſis*. Carolus de Roſmadec. *Epiſcopus Venetenſis*. Claudius Anbri *Epiſcopus Conſtantienſis*. Claudius de la Magdelene de Rsgnij. *Epiſcopus Eduenſis*. Claudius Mallier *Epiſcopus Tarbienſis*. Clemens Bonſius *Epiſcopus Bitterenſis*. Dionyſius Sanguin. *Epiſcopus Silnanecteníis*. Dominicus Segnles *Epiſcopus Meldenſis*. Eduardus Melè *Epiſcopus Baiocenſis*. Euſtachius de Cherij *Epiſcopus Niuernenſis*. Ferdinandus Neufuille Villeroy *Epiſcopus Maclouienſis*. Franciſcus à Lotharingio *Epiſcopus Verdunenſis*. F. Franciſcus France *Epiſcopus Glandanenſis & nominatus Ambianenſis*. Franciſcus de la Fayette *Epiſcopus Lemouicenſis*. Franciſcus Fonquet *Epiſcopus & Comes Agathenſis*. Franciſcus de Harlay, *Epiſcopus Rotomagenſis*. Franciſcus de Harlay *nunc poſt mortem Patrui, Archiepiſcopi Rotomagenſis*. Franciſcus Pericad *Epiſcopus Eugoliſmenſis*. Franciſcus de Perrochel, *Epiſcopus Bolonienſis*. Fr. Franciſcus Suarez *Epiſcopus Mempbiticus*. Franciſcus de Viſdeloup, *Epiſcopus Madaurenſis*. *Coadiutor Cornubienſis*. Gaſpardus Dallion. *Epiſcopus Albrenſis*. Harduinus de Beaumont *Epiſcopus Rutbenenſis*. Henricus Barbanius *Epiſcopus Metenſis*. Henricus de Barradat *Epiſcopus & Comes Neniomenſis*. Henricus de Bethune *Archiepiſcopus Burdegalenſis*. Henricus de Lansl *nominatus Epiſcopus Leonenſis*. Henricus de Maupas *Epiſcopus & Comes Aniciensis*. Henricus à Sabaudia *nominatus Archiepiſcop. & Dux Remenſis*. Iacobus *Epiſcopus Aquenſis*. Iacobus *Epiſcop. Sancti Flori*. I V. De Tulles *Epiſcopus Vaurenſis*. Iacobus de Grignan *Epiſcopus Tricaſtinenſis*. Iacobus Leſcot *Epiſcopus Carnotenſis*. Iacobus de Marlij *Epiſcopus Tolonenſis*. Iacobus de Neufcheres *Epiſcopus Cabillonenſis*. Ioannes Antonius Delingendes *nunc Epiſcopus Matiſconenſis*. Fr. Ioannes *Epiſcopus Anienenſis ſuffraganeus Claromontenſis*. Ioannes de Gordon de Ge. oillac de Vaillac *Epiſcopus Tutellenſis*. I. I. De Fleures *Epiſcopus Sancti Pontij*. Ioannes De l'Eſtrades *Epiſcopus Condomenſis*. Ioannes de Paſſelaigue *Epiſcopus Bellicenſis*. Ioannes de Plantauit de la Pauſe *Antiqnus Epiſcopus Londonenſis*. Iſaacius Habert *Epiſcopus & Comes Vabrenſis*. Leonorius d'Eſtampes de Valencsy *Archiepiſcopus, & Dux Rbemenſis*. Leonoſius de Matignon *Epiſcopus Lemouicenſis*. Ludouicus Dinet *Epiſcopus Matiſconenſis*. Ludouicus d'Eſtain *Epiſcopus Claramontanus*. Ludouicus Domus d'Atrichy *Epiſcopus Raienſis, nunc Eduenſis*. Ludouicus de Suze *epiſcopus Vinarienſis*. Ludouicus *Epiſcopus Mirapicenſis*. N. Le Clerc. *Epiſcopus Glandauenſis*. Nicolaus Boyleue *Epiſcopus Abrinenſis*. Nicolaus Grillet *epiſcopus & Comes Vſeticenſis*. Nicolaus de Sangnin. *epiſcopus Silnanecteníis*. Nicolaus Levin, *epiſcopus Sarlatenſis*. Paulus *epiſcopus Maurianenſis*. Petrus de Broc *epiſcopus Antiſiodorenſis*. Petrus Fenoillet *epiſcopus Monſpelienſis*. Petrus Marca *epiſcopus Conſerananorum*. Petrus Scarron *epiſcopus & Princeps Gratianopolitanus* Philibertus Brandon. *epiſcopus Petrocorienſis*. Philibertus de Brinchanteau de Nangis *epiſcopus, & Dux Laudunenſis*. Renatus de Louet *epiſcopus Cauublenſis*. Robertus Cuppif *epiſcopus Dolensis*. Rogerius d'Aumont *epiſcopus Abriucensis*. Samuel Martinesu *epiſcopus Vaſatensis*. Simon le Gras *epiſcopus Sueſſionenſis*.

Præter hęc, quæ tantum ad Controuerſiarum elucidationem aliunde adduximus, videri poſſunt plura in Conſultatione Theologico-Iuridica D. Nicolai du Bois ſupra memorati, vti plurimis anteriorum temporum teſtimonijs & exemplis deducit iura competentia, & authoritatem Sedis Apoſtolicæ, tam in temporalibus, quam in Spiritualibus, ac plura alia ſtudioſo Lectori idonea, ſi de his controuerſijs prolixiorem tractatum deſideret.

Ad notitiam in hoc genere magis generalem & maximè pro Hęterodoxis inſtituendis, peculiari ſtudio adijcimus ſequentia.

## PRÆROGATIVÆ SPECIALES PONTIFICI ROMANO

*A Sanctis Patribus, ac Concilijs omni ævo attributæ, & hìc in ordinem Alphabeticum redactæ.*

PRimus & ſanè ſingularis huius Annotationis vſus eſt, per illam demonſtrare omnis ævi, in toto mundo, conſenſum communem pro authoritate perpetua Pontificis Romani in ſingulis ſuis Titulis ac Prærogatiuis, & conſequenter infallibilem veritatem eccleſiæ huic Capiti annexæ. Atque eadem opera penitus conuellere infames Titulos, hìc in fine memorandos, quibus moderni Sectarij Pontifices Romani, & Eccleſiæ illi ſubiectæ Authoritatem apud ignarum populum opprimere nituntur: in quo & ſeipſos ſegregare à vera eccleſia, & illius Capite toto mundo ſemper agnito, hinc manifeſtè conuincuntur.

Secundus vſus eſt, in his, & alijs dogmatibus à Pontifice Romano definitis ipſos Catholicos conſtabilire, ſi qui fortè in illis minus eſſent roborati.

Ter-

Tertius eſt, in Quæſtionibus particularibus huc ſpectantibus, in promptu habere facilem recurſum ad ipſos Patres, & Concilia in particulari, quæ in hoc diſtincto ordine commodiſſimè reperiuntur.

A.

Pontifex Romanus *Abrahæ Patriarchatu, Aaron Dignitate*. S. Bernardinus lib. 2. de conſider. cap. 8.

*Abel ſprimatu*. Idem ibid. c. 2.

*Antiſtes venerabilis Apoſtolicæ Sedis*. S. Auguſt. Epiſt. 157.

*Antiſtes Pontificialiſſimus Apoſtolicæ ſummitatis*. Sexta Synodus Actione 18. In proſphonetico ad Imperatorem.

*Apex Pontificatus*. Iuſtinianus Nouella 131.

*Apex diuinus*. Baſil. & Conc. Epheſ. Actio. 11. Concilij Chalcedon. initio.

*Apex ſublimiſſimus Apoſtolatus*. Lactantius Epiſt. ad Nicol 1. Pont.

*Apoſtolatus Principatus cuilibet Epiſcopatui præferendus* S. Auguſt. lib. 1. de Baptiſm. contra donat, cap. 1.

*Apoſtolicus vniuerſalis Eccleſiæ, & Epiſcopus omnium Eccleſiarum*, Synod. Chalcedon. Actione 6.

*Arbiter, Liganderum Soluendorumque*. S. Leo ſerm. 2. de ſua aſſumpt.

B.

*Baſis fidei*. Chryſoſt. hom. 2. in Pſal. 50.

*Baſis immobilis*. Chryſoſt. hom. de Petro, & Elia.

C.

*Cacumen ac vertex humani generis*. Petri Damiani. Opuſc. 23. cap. 1.

*Caput, & Princeps omnium Patriarcharum*. Concilium Nicænum cap. 39. apud Piſanum lib. 3.

*Caput Sacerdotij omnium Chriſtianorum*. Petrus Damiani. In Odilone.

*Caput Eccleſiæ adamantis naturam firmitate ſuperans* Chryſoſt. homil. 55. in Matth.

*Caput fidei*. Sanctus Gregorius II. regiſtri Epiſtola 42.

*Cardo ſummus totius mundi*. Petrus Damiani Opuſc. 30. cap. 1.

*Claviger cæli*. Cyrillus Hieroſym. Catech. 6. & 17. Anaſtaſius Biblioth. in præfatione ad vitam S. Ioannis Eleemoſ. Nicolas 1. ad conſulta Bulgar. cap. 5.

*Columen Eccleſiæ, fundamentum fidei*. Chryſoſt. homil. 3. in Acta Apoſt.

*Columna incorrupta Eccleſiarum, fidei Baſis*. Chryſoſt homil. 2 in Pſal. 50.

*Conſiliarius neceſſarius Chriſtianorum*. Chryſoſt. in encomio SS. Petri, & Pauli.

*Curator Vicarius Omnium Chriſti*. S. Fulgentius ſerm. 57.

*Cuſtos vineæ à Saluatore ipſo deputatus*. Conc. Chalced. in fine, & Actio 3. in relatione Synodica S. Leonem.

*Cuſtos fidei*. Petrus Chryſolog. ſerm. 107. Concil. Epheſ. tomo 2. cap. 15.

D

*Diſcipulus crucis, & ſucceſſor piſcatoris*. Sanctus Hyeronim. Epiſt. 57.

*Doctor ſupremus orbis terrarum*. S. Damaſcenus in hiſtor. Barlaam cap. 11. iuxta Græcum Codicem ab Hieronymo Donato exhibitum in Apologetico de Romanę Sedis principatu.

*Dominus & Pater totius Eccleſiæ in terra peregrinantis*. S. Anſelmus lib. de incarnat. verbi cap. 7.

*Dominus Sanctus & Apoſtolici culminis; venerandus S. Romanæ & Apoſtolicæ Sedis atque vniuerſalis Eccleſiæ Papa*. S. Athanaſius & Epiſcopi Aegyptij ad Marcum Papam.

*Dominus omnium gentium*. Concilium Nicænum 1. Canone 44. è verſis ex Arabico.

*Dux diſcipulorum Chriſti*. S. Epiphanius hæreſi 151.

*Dux vniuerſalis Eccleſiæ*. Damaſcenus Orator. de transfiguratione.

E

*Epiſcopus orbis*. Petrus Bleſens Epiſtola 145. & Bernard. Epiſt. 239.

*Epiſcopus Patriarcharum*. Caſſiodorus Epiſtola 15. lib. 9

*Epiſcopus vniuerſalis*. In tribus epiſtolis quæ habentur in Concil. Chalcedon. Actio. 3. S. Leo ſic denominatus.

*Epiſcopus ſolus vniuerſalis omnium Eccleſiarum* Petrus Damiani Opuſc. 23. cap. 1.

F.

*Faſtigium ſublimæ Sacerdotij*. S. Cyprianus epiſtola 52.

*Firmamentum omnium*. S. Auguſtin. ſer. 26. de ſanctis.

*Firmamentum à Deo fixum & immobile*. Athanaſius & Epiſcopi Aegyptij ad Felicem.

*For-*

*Forma, & fundamentum Eccleſiarum à quo omnes Eccleſias principium ſumpsiſſe nemo rectè credentium ignorat.* Virgilius Papa epiſtola ad Eleuther.

*Fundamentum æternum fidelium.* S. Chryſoſtomus homil. in 12. Apoſtolos.

*Fundamentum Eccleſiæ.* S. Dioniſius ad Timoth. S Clem. epiſtol. 2. ad Iacob. S. Hilar. in Pſalm. 131.

*Fundamentum ſupra quod ædificij Eccleſiaſtici altitudo conſurgit.* S. Auguſtinus ſermon. 15. de Sanctis.

## G. H.

*Gubernator Throni Apoſtolici.* Conc. halced. Actio 1.

*Hæres Apoſtolorum.* S. Bernardus conſider. cap 8.

*Hæres Sancti Petri.* Petrus Bleſenſis epiſtola 145. S. Leo ſermon. de anniuerſar. ſuæ aſſumptionis.

*Homo hominum præcipuus.* Petr. Damiani Opuſc. 23 cap. 1.

## I.

*Ianitor cælorum.* Petrus Chryſologus ſermon. 127. Vrbicus apud Sanctum Auguſtinum epiſtola 86.

*Ianitor cœlis Chriſti.* S. Ambroſius cum Synodo Mediolanenſi ad Syricum.

*Interpres vocis B. Petri omnibus conſtitutus.* Concilium Chalcedonenſe epiſtola ad S. Leonem.

*Iudex cœli in terreno iudicio.* Sanctus Hilarius in Pſalm. 131.

*Iudex omnes iudicans, ipſe à nemine iudicandus,* Synodus Romana ſub Nicolao I. contra Photium colloq. 1.

## L.

*Lingua cælorum.* Petrus Damiani ſermon. 26.

*Lumen ſupremum, & Princeps Sacerdotum primus.* Theodorus Studita lib. 2. epiſtola 12. & 13. ad Paſchalem.

## M.

*Magiſter orbis terrarum.* Chryſoſtomus hom. de Petro, & Elia.

*Mater, & Caput omnium Eccleſiarum Romana.* S. Athanaſius cum Concil. epiſtol. ad Marcum Papam.

*Mater, & Magiſtra vniuerſorum Chriſti fidelium Romana Eccleſia.* Concil. Lateranenſ ſub Innocent III. cap 5

*Moderator, & Rex vniuerſæ Eccleſiæ.* Damaſc. Orat. de transfig.

*Murus inexpugnabilis contra hæreſes.* Rupert. lib. 2. Offic. cap. 22.

## O.

*Origo Chriſtianæ religionis, & Sacerdotalis magiſter dignitatis Apoſtolica Sedes.* Epiſcopi German. ad Ioan. VIII

*Os Apoſtolorum, & Princeps, ac vertex cœtus.* Chryſoſtomus homil. 87. in Ioan.

## P.

*Papa Cathedræ Apoſtolicæ.* Octaua Syn. Actio 10. cap. 11.

*Papa vniuerſalis ter beatiſſimus.* Tertia Synod. Actio 17.

*Paſtor vnus omnium, & Paſtorum omnium.* S. Bernard 2. de conſiderat. cap. 8.

*Pater Chriſtiana plebis.* Sanctus Auguſtinus epiſtol. 162.

*Pater orbis.* Petrus Damianus Opuſc. 23. c. 1.

*Patriarcha vniuerſalis.* Concil. Calced. Actio 3. in acclamationibus ad S. Leonem.

*Petra fidei.* Damaſcen. in Hiſtor. Barlaam.

*Petrus poteſtate.* S. Bernardus 2. de conſideratione cap. 8.

*Petra Eccleſiarum.* S. Auguſtin. ſermon. 26. de ſanctis, olim apud Ambroſ. ſerm. 47.

*Petra à qua fons ſalutiferæ confeſſionis emergit.* Sanctus Maximus homilia 1. in Natiu. SS Petri, & Pauli.

*Pontifex Summus magnæ Sedis Apoſtolicæ.* Synodus 2 Conſtantinopol. Actio 4.

*Portus fidei.* Chryſoſt. hom de Petro, & Elia.

*Portus tutiſſimus Catholicæ Communionis.* Sanctus Hieronymus epiſt. 16.

*Præco ſupremus Eccleſiæ.* Cyrill. Hieroſol. Catech. 11.

*Præfectus toti orbi terrarum, clauiger cœlorum, cuius arbitrio, & poteſtati cuncta Deus permiſit.* Chryſoſtomus hom. de S. Ignatio.

*Præſes Eccleſiæ totius orbis terrarum.* S. Auguſtin. lib. 1. contra Iulian. cap. 2.

*Præſul Eccleſiæ diuina Prouidentia præordinatus.* Damaſcenus orat. de transfigurat.

*Præſul Apoſtolicus in ſummitatis arce conſtitutus, cui Deus omnium Eccleſiarum curam habere præcepit.* S. Athanaſius cum collegis epiſt. ad Felicem Papam.

*Primas omnium Epiſcoporum.* S. Leo ſerm. 2. de ſua aſſumpt.

*Prima Diœceſeos.* Concilium Chalced 9.

*Primas omnium, & Præfectus orbis.* Theophilatus in cap. 22. Lucæ

*Princeps communis Chriſtianorum omnium.* Michael Palæologus Imperator Græcorum ad Gregorium X.

R. S.

*Radix, & matrix Catholicæ Eccleſiæ.* S. Cyprianus epiſt. 45.

*Rector omnium Gentium.* Concil. 1. Nycenum can. 44.

*Rex Regum, & vnicus Chriſtianorum Princeps.* Ladislaus Rex Hungariæ orat. ad Nicolaum V. apud Cochlæum lib. 11. hiſtor. Huſſitarum.

*Robur, & Petra Eccleſiæ.* Theophilatus in Luc. 22.

*Sacerdes ſummus.* S. Hieronymus in præfatione Euang. ad Damaſum.

*Sacerdos vnus.* S. Cyprianus Epiſt. 55.

*Saxum immobile, totius Chriſtiani operis compagem molemque continens.* S. Auguſtin. ſerm. 16. de Sanctis.

*Sedes in qua ſemper extra maculam ſeruata eſt Catholica Religio.* Iuſtinianus ad Agapetum Papam.

*Sedes vnde Religionis noſtræ fons, & origo manauit.* Epiſcopi Gallicani ad S. Leonem.

*Seruator aureæ fidei catenæ præcepto Legislatoris ad nos vſque deductæ, omnibus B. Petri vocis conſtitutus interpres.* Synod. Chalced. epiſtola ad Pontificem Romanum.

*Seruus ſeruorum Dei.* S. Gregorius titulum hunc modeſtiſſimum vſurpauit, & cæteri poſt illum Pontifices.

T.

*Tenens principatum Sedis in Eccleſia per cunctum orbem patente.* Sexta Synodus epiſt. ad Agathonem.

*Thronus ſupremus verticalis in quo Chriſtus fidei claues poſuit, aduerſus quem non præualebunt vſque ad conſummationem portæ inferi, ora ſcilicet hæreticorum.* Theodorus Studita epiſtola ad Naueratium.

V.

*Vertex Apoſtolicus Præſulum, cuius cuncta ſolicitudo eſt eam mala damnare, quam reuelare laudanda.* Epiſcopi Africani epiſtola ad Damaſum.

*Vertex membrorum omnium Eccleſiæ.* S. Auguſtinus ſerm. de tempore.

*Vicarius amoris Chriſti ab eo in cælum eleuato relictus.* S. Ambroſ. in Luc. vlt.

*Vice Chriſti fungens, & ſummo Paſtorum Apoſtolica dignitate ſuccedens.* Petri Damiani Opuſc. 17. cap. 4. Et S. Gregorius lib. 2. Epiſt. 33. Propriè igitur dicitur Pontifex Vicarius Chriſti, ſed non propriè ſucceſſor Chriſti, ſed Petri in Eccleſię Sacerdotio, quia Chriſtus Sacerdotium habet ſempiternum.

# CONCLVSIO

## EX PRÆDICTIS.

AVdis, O ſectarie, vocem, & aſſenſum vnanimẽ Patrum, Conciliorum, Sanctorum, Doctorum Eccleſiæ vniuerſæ Orientis, & Occidentis, in toto orbe, & in omni æuo, à quibus Chriſtiani omnes ſe intemeratam Chriſti fidem, & doctrinam accepiſſe gloriantur. Hi omnes vno ore Pontificem Romanum, vt Chriſti Vicarium, Eccleſiæ caput, interpretem fidei, cum reliquis prærogatiuis ſemper agnouerunt, coluerunt, prædicarunt. Tu ab horum veſtigijs, ab orbis vniuerſi, ab omnis æui fide, conſenſu, ac teſtimonio ab vno nouo Luthero, aut Caluino Apoſtatia te miſerè abduci, & excæcari pateris. Neque contra illos vniuerſos exhorreſcia credere Pontificem Romanum eſſe *Antichriſtum.* Sedem illius Apoſtolicam eſſe *Cathedram peſtilentiæ.* Eccleſiam quam ille regit eſſe *Eccleſiam malignantium, Concilium vanitatis, Sedem iniquitatis, Synagogam Satanæ,* vt alia omittam effata rabida, & totius orbis verè Chriſtiani ſenſui è diametro contraria, vt tuis ipſe oculis ſupra aſpexiſti. Quid hoc aliud eſt, quàm vltrò inſanire, & cæco impetu in interitum ruere voluntarium?

Collige igitur animum, vias tuas tam obliquas ſerió tandem conſidera, ac deteſtare. Et ſi fortè probratam iniqua, & impia in Chriſti Vicarium; quæ etiam in Chriſtum ipſum redundant, te hactenus veræ fidei lumine indignum reddiderunt, tandem per humilem orationem, vt perfectè illuſtreris, ad Dei gratiam ac miſericordiam recurre, iuxta breuem formulam hìc ſubiectam, & ſincero corde ſæpius iterandam.

ORA-

## ORATIO.

*DEus meus, & ſalus mea æterna! in medio poſitus quo me ſecurè verterem hactenus neſciui. Video nunc de Chriſti in Terris* Vicario, *& conſequenter de Eccleſia illi adhærente, conſenſum vnanimem illorum quos ab initio, & omni deinceps æuo Fidelibus tuis veræ Fidei Duces, ac Præcones conceſſiſti. Ex toto igitur corde pro gloria tua, & ſalute æterna animæ meæ ſupplex imploro, vt condonatis delictis meis, mihi veræ Fidei lumen, animique robur firmum concedas, vt Eccleſiæ ſic rectè conſtitutæ veritatem plene agnoſcam, & agnitæ veritati tuæ in perpetuum conſtanter adhæream. Hoc, inquam, ſuppliciter efflagito per Ieſu Chriſti merita, paſſionem, ac ſanguinem, qui eſt omnibus ſincere ſe requirentibus fidei Author, & fidelis Remunerator in ſecula ſæculorum. Amen.*

# TRACTATVS SECVNDVS
## DE
# CONTROVERSIIS
## PARTICVLARIBVS,
## MODERNIS, ET QVINQVE IANSENIANIS.

### CAPVT I.

*Explicatur Methodus in ſequentibus Controuerſijs præcipuè obſeruanda.*

STatuenda ſunt hìc quatuor Principia ab ipſis Sectarijs communiter conceſſa, & neceſsariò admittenda, ex quibus ſingulas Controuerſias in particulari ita deducemus, vt cogatur Sectarius veritatem Catholicam admittere, vel ſuis principijs contradicere per viam argumentandi breuem, & cuiuis legenti apertam.

Primò admittunt nobiſcum Sectarij Scripturæ ſacræ authoritatem eſse infallibilem: ac proindè in quauis Controuerſia ab ea parte ſtare victoriam, pro qua verus Scripturæ ſenſus declaratur.

Secundò, Docent ipſi vt fidei ſuæ dogma indubitatum, Eccleſiam primitiuam, quæ duranit poſt Chriſtum annis circiter quingentis, ſanctam, incorruptam, & omnis erroris expertem fuiſſe: ac proindè verum Scripturæ ſenſum tenuiſſe, ac fideliter docuiſſe. Nam niſi admitterent Eccleſiam ſaltem primitiuam non erraſſe, fateri deberent nunquam poſt Chriſtum veram Eccleſiam in mundo fuiſſe, cum prorſus impoſſibile ſit veram Eccleſiam ſine vera fide exiſtere: aliàs enim eſſet vera, & non vera, quod apertè repugnat.

Hinc tertiò, admittunt Patres primitiuæ eccleſiæ veram Chriſti fidem tenuiſſe, & docuiſſe, atque in ea docenda verum Scripturæ ſenſum cognouiſſe. Vndè ſequitur illorum qui tunc vixerunt Patrum authoritatem, & communem conſenſum, in quauis fidei controuerſia recipiendum eſse: quos, & ipſi pro ſuis dogmatibus omni ſtudio adducere conantur.

Et patet primò, quia cum Patres illi fuerint primitiuæ eccleſiæ Paſtores, & Doctores, non potuerunt veram illius doctrinam ac ſenſum ignorare. Si enim ipſi eccleſiæ Doctores eius doctrinam ignoraſſent, multo magis aliis ignota fuiſſet: vndè ſequeretur nullam fuiſſe in primitiua eccleſia legitimam Verbi Dei prædicationem, quam tamen ipſi Sectarij primariam veræ eccleſiæ notam agnoſcunt.

Patet ſecundò, Quia illorum Patrum Scripta in primæua eccleſia paſsim recepta, & perpetuo vſu approbata fuerunt. In Scriptis autem ſic approbatis eccleſiæ tunc approbantis authoritatem, ſenſum, & teſtimonium poſſidemus. Præterea, eorum Libri ad impugnandos errores, & hæreſes à primitiua

Ecclesia perpetuo adhibiti fuerunt: hoc autem fieri non potuit, nisi doctrinam in ijs contentam, veram, solidamque agnoscerent; non enim potest per doctrinam quæ erronea est, error debitè impugnari.

Patet deniqne ex eo, quod SS. Patres in primitiua Ecclesia pro Sanctis agniti fuerint, & ipsi Sectarij pro talibus eos agnoscant. Vnde necessariò sequitur eos veram, & communem fidem profiteri debuisse; vera enim sanctitas sine vera, & saltem communi fide nullo modo subsistere potest; quinimò docent Sectarij, solam esse fidem, quæ per se hominem verè iustum, & sanctum constituit.

Hi igitur primæuæ Ecclesiæ Patres, in suis Scriptis vnanimi consensu posteritati traditis, sunt indubitati testes fidei, & doctrinæ quam olim profitebatur vera Christi Ecclesia, cuius ipsi ad populum præcipui interpretes, & Doctores fuerunt. Si enim horum testimonium, & consensus non sufficiat, nulli prorsùs Ecclesiæ primitiuæ idonei testes adduci poterunt. Eoque magis quod illi modo sint arbitri maximè sinceri, & incorrupti, vt sententiam ferant de exortis hoc æuo controuersijs, de quibus olim nihil audierunt, sed absque omni partium studio doctrinam à vera Ecclesia acceptam, solo veritatis amore, posteris suis puram, sinceramque tradiderunt.

Hoc qnoque argumentum pro authoritate Patrnm, qui se in primitiua Ecclesia antecesserunt, adducit ipse Augustinus contra Iulianum hæreticum lib. 2. cap. vlt. Nondum vobiscum apud illos Iudices (Patres) aliqnid agebamus, & apud eos acta est causa nostra; nec nos ea noti fueramus, & eorum pro nobis lata contra vos sententias citamus; nondum vobiscum certabamus, & eis pronunciantibus vicimus.

Quartò, Principium certum est etiam apud Sectarios: Hæreticam esse eorum doctrinam, quos primitiua Ecclesia pro hæreticis damnauit. Nam si eorum doctrina erronea, & hæretica non esset, vera, & primitiua Ecclesia eam reprobando in fide erraret, & hoc ipso vera Christi Ecclesia non esset.

Ex his igitur principijs, quæ ipsi Sectarij pro manifestis agnoscere debent, procedemus ad doctrinam cum Ecclesia Romana controuersam ipsis perspicuè demonstrandam; hoc modo:

Illa doctrina, & sensus Scripturæ debet esse verus, quem tradidit primitiua Ecclesia per suos Patres, & Doctores, qui veram Ecclesiæ fidem præ omnibus perspectam habuerunt, alijs prædicarunt, & librorum suorum monumentis posteritati consignarunt, vt pluribus ostensum est.

Atqni doctrina Ecclesiæ Romanæ, quam in sequentibus controuersijs proferemus, est talis, vt in singulis ostendemus. Ergo Ecclesiæ Romanæ doctrina necessariò debet esse vera.

Item illa doctrina necessariò est falsa, quam in antiquis Hæreticis primitiua Ecclesia damnauit.

Atqui doctrina Romanæ fidei opposita est talis, vti infrà patebit. Ergo illa necessariò est falsa. Atque hæc argumentandi ratio ex proprijs principijs desumpta, cuiuis Sectario facilis esse deber, & eorum quibus hæc scribo captui, & vtilitati maximè accomodata.

Quod si Aduersarij hac methodo conniĉti, conentur ad nouas Scripturæ latebras declinare, adigendi erunt ad Methodum triplicem supra assignatam par. 1. cap. 9.

## CAPVT II.

### *De Fide, Operibus, Gratia, & Prædestinatione.*

### §. I.

### *Sectarij refelluntur.*

DOcent primò Catholici, Fidem, & bona Opera peccatorem disponere ad iustificationem, & gratiam primam, qua transfertur à statu peccati ad statum gratiæ, & filiorum Dei.

Docent secundò, per Fidem, & bona opera iustum mereri iustificationem secundam, siue augmentum gratiæ, & iustitiæ semel acquisitæ, adeoqne digna esse mercede, mediante tamen semper gratia & meritis Christi, *Tridentinum sess. 6. cap. 8.*

Contra docent tam Lutherani, quam Caluinistæ, solam Fidem ad salutem, & institiam sufficere. Bona opera ad salutem neque necessaria neque vtilia: Imò omnia iustorum opera esse peccata, & illos tantùm esse iustos per iustitiam Christi illis imputatam.

Visa sunt *Vortio* cum qnibusdam modernis Sectarijs; nimis cruda, ac rigida hæc suorum Prophetarum Lutheri, & Caluini oracula. Illa igitur ipsi nouo Spiritus afflatu sic reformanda censuerunt, vt per bona Opera obtinentur aliqua iustificatio, non quidem in hac vita, sed saltem in futura. Sed hoc ipsum vt

nimis

nimis laxum contrario Spiritu damnat Samuel Mareſius, & acerbè probat Voetianis, *Illos plus quam mediam partem Victoriæ Papiſtis concedere*. Ita loquitur in ſuis Diatribis de ſtatu afflicto modernæ Theologiæ apud Confœderatos p. 8.

Sed parent priora quæ retulimus dogmata, ex ipſis Caluini verbis referentis tam ſuam, quam Lutheri doctrinam, *lib. 1. de libero arbitrio, pag.* 141. Peccare iuſtos etiam in operibus bonis, & bona opera eſſe ex ſe mortalia peccata (ait:) nihil eſt in iſtis verbis quod non ſimpliciter, & circa vllam figuram verum ſit. Item Lutherus, *in confut. Latomi f.* 220. Omnis iuſtitia eſt immunda, omne opus bonum peccatum. Denique Caluinus *in antidot. pag.* 291. In eo differt à Lege Euangelium, quia non ſub conditione operum, ſicut illa, ſed ex fide vitam promittit. Et hæc eſt communis Sectariorum confeſſio, quæ iuxta traditam cap. 1. Methodum clarè, & ſolidè confutatur hoc argumento.

II. Illa doctrina eſt hæretica quæ aduerſatur Scripturis ex ſenſu primitiuæ Eccleſiæ, vt omnes Sectarij admittunt. Sed hæc Doctrina aduerſatur Scripturis ex ſenſu primitiuæ Eccleſiæ: Ergo hæc Doctrina eſt hæretica.

Scripturæ aduerſari oſtenditur ex Euangelio, vbi præter Fidem requiritur obſeruatio Mandatorum. Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi ſerua mandata*. Et de mercede dicitur: *Matthæi* 20. *Vocа operarios, & redde illis mercedem*. Et Matth. 5. v. 12. *Gaudete, & exultate quia merces veſtra copioſa eſt in cœlis*. Eodem modo de merito, & mercede bonorum operum loquitur Apoſtol. ad Roman. 2. v. 6. *Deus reddet vnicuique ſecundùm opera ſua*. Et 1. ad Corinth. 3. v. 8. *Vnuſquiſque propriam mercedem accipiet ſecundùm ſuum laborem*. Fruſtrà inſuper diceretur 1. Ioann. 3. v. 14 *Qui non diligit manet in morte*, ſi ſola fides ad vitam, & ſalutem ſufficeret.

Denique Apoſtolus Iacobus ſuæ Epiſtolæ cap. 2. v. 20. apertè declarat, *Fidem ſine operibus mortuam eſſe*..... Et *ex operibus iuſtificari hominem, & non ex fide*. Si dicat Sectarius Epiſtolam D. Iacobi Canonicam non eſſe, iubeatur id ex Scripturis probare, iuxta methodum primam ſuprà aſſignatam.

3. Si in oppoſitum adferat Apoſtolum Paulum ad Roman. 2. vbi dicit, *nos gratis iuſtificari, & ſine operibus legis*: Reſpondetur Apoſtolum agere de operibus legis ceremonialibus, quibus Iudæi ſe coram Deo iuſtos reddi, falsò exiſtimabant. Noſtram autem Doctrinam apertè tradit Idem Apoſtolus ad Rom. 2. v. 13. *Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur*.

4. Senſum primitiuæ Eccleſiæ circa has Scripturas Luthero, & Caluino è diametro contrarium eſſe; ex teſtimonijs SS. Patrum, qui in primitiua Eccleſia floruerunt, nunc manifeſtè declaro.

S. Auguſtinus *lib. de fide, & operibus, cap.* 14. Iam, *inquit*, illud videmus quod excutiendum eſt à cordibus religioſis, ne mala ſecuritate ſalutem ſuam perdant, ſi ad eam obtinendam ſolam fidem ſufficere putauerint.

Idem in *epiſt.* 105. *ad Sixtum*. Sicut merito peccati tanquam ſtipendium redditur mors, ita merito iuſtitiæ tanquam ſtipendium vita æterna.

S. Cyprianus *lib. de vnit. Eccleſ. circa medium*, Iuſtitiæ opus eſt, vt promereri quis poſſit Deum, præceptis, & monitis eius obtemperandum eſt, vt accipiant merita noſtra mercedem.

S. Ambroſius *lib. 1. de offic. cap.* 35. Nonne euidens eſt meritorum aut præmia aut ſupplicia poſt mortem manere.

S. Baſilius *Orat. in init. prouerb.* Omnes qui viam Euangelicam incedimus mercatores ſumus, per opera mandatorum nobis poſſeſſionem cœleſtium comparantes.

S. Cyrillus *lib. 10. in Ioann. cap.* 18. Quod autem fides ad ſalutem non ſufficiat, Chriſtus etiam diſcipulis oſtendit; tu credis quia vnus eſt Deus.

5. Ex his adeo manifeſtis hoc tantùm modo potes concludere. Vel Scriptura errauit cum primitiua Eccleſia, vel nunc errat doctrina Lutheri, & Caluini in terminis tam illi, quàm illis contraria. Sed nec Scriptura, nec primitiua Eccleſia errarunt, vt ipſi fatentur. Ergo erronea eſt hæc Lutheri, & Caluini doctrina, & conſequenter tota eorum Secta, quæ huic doctrinæ adhæret.

## §. II.

### *Prædeſtinatio Caluiniana exponitur, & refutatur.*

DOcent Caluiniſtæ, Primò, Homines independenter à ſuis meritis, vel demeritis æterno Dei decreto prædeſtinari ad gloriam, vel reprobari ad pœnas æternas: etiam independenter à præuiſione peccati originalis.

II. Vt Deus prædictum Decretum executioni

tioni manderet, illum absolutè ordinasse, vt Adam cum tota posteritate peccaret, vt inde haberet occasionem exercendi suam *iustitiam* circe reprobos, & suam *misericordiam* erga prædestinatos. Sed hæc manifestè aduersantur Scripturis omnes homines sine exceptione excitantibus ad virtutem, hortantibus lapsos ad pœnitentiam, & testantibus Deum ex parte sua nullius hominis perditionem desiderare, vt illud Ezechielis 18. *Nolo mortem peccatoris dicit Dominus, sed magis vt conuertatur, & viuat*, & elibi locis innumeris. Vnde cum torrente Patrum clarum est illud Augustini, *Omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideò creatus est, vt pereat, quia alia est causa nascendi, alia pereundi. Vt enim nascantur homines, est beneficium, vt autem pereant, prænaricationis est vitium.*

III. Docent Christum pro omnibus mortuum non esse, sed pro solis electis, & prædestinatis. Contra apertam Scripturam 2. ad Corinthios 5. v. 15. *Christus pro omnibus mortuus est.*

IV. Deum non omnibus dare gratiam, sed solis prædestinatis. Contra illud Apost. *Deus vult omnes homines saluos fieri*, quantùm est ex parte auxilij diuini.

V. Hominem in statu naturæ lapsæ, perdidisse libertatem arbitrij, sic vt concupiscentiæ, aut gratiæ internæ non possit resistere. Cùm tamen Scriptura contrarium dicat Act. 7. v. 51. *Vos semper Spiritui sancto resistitis.*

VI. Denm hominibus præcipere impossibilia, adeoque omnia mandata non posse seruari. Contra Apostolum ad Philip. 4. v. 13. *Omnia possum in eo qui me confortat.*

VII. Hinc porrò fieri, vt solis prædestinatis detur fides in Christum, quam illi amittere non possunt, reprobi autem ad fidem non vocentur, nisi fortè voce externa, nec ad hanc habeant gratiam sufficientem.

VIII. Hinc solos prædestinatos esse per fidem adscriptos in Ecclesiam Dei, reprobos verò, vti à Fide, ita ab Ecclesia excludi.

IX. Prædestinatos etsi peccent, eorum peccate ipsis non imputari: reprobos verò à Deo impelli ad peccandum; nec vllum ipsis peccatum remitti. Hæc Scripturis supra citatis, alijsque apertè aduersantur.

Ista autem dogmata nefaria vt ex Ipsius Caluini doctrina solidius pateſcat, paucula hic ipsius verba oculis subijcio. Caluinus *lib. 3. Institutionum cap. 21.* post multa *§. 7. circa finem*, sic concludit. Quod ergo Scriptura clarè ostendit, dicimus, æterno, & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim assumere vellet in salutem, quos rursum exitio denouere. Hoc consilium quoad electos in gratuita eius misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu: Quos verò damnationi addicit, his iusto quidem, & irreprehensibili, sed incomprehensibili ipsius iudicio, vitæ aditum præcludi.

Et *cap. 22. §. 3.* Vbicunque verò hoc regnat Dei placitum, nulla in considerationem veniunt opera. Et *§. 11.* Si non possimus rationem assignare, cur suos misericordia dignetur, nisi quoniem illi ita placet; neque etiam in alijs reprobandis aliud habebimus, quam eius voluntatem.

Et *c. 23. §. 1.* Minimè consentaneum est, præparationem ed interitum aliò transferre, quam ad arcanum consilium Dei.

Et *c. 23 §. 8.* Hic ad distinctionem voluntatis, & *permissionis* recurritur, secundùm quam obtinere volunt, permittente modo, non autem volente Deo perire impios; & paulò post: Non dubitabo igitur cum Augustino simpliciter fateri, voluntatem Dei esse rerum necessitatem, atque id necessariò futurum esse, quod ille voluerit. Hæc, & plura de his passim Caluinus, & cum eo eius asseclæ.

Doctrinam horum singulis oppositem communi consensu profitentur, ac probant Catholici, vti à nobis illa exhibetur, & deducitur infra *par. 2. controuers. 3.* de prædestinatione absolura ad gloriam, &c.

*Obiciunt* Caluinistæ pro se potissimum locum Apostoli ad *Roman. cap. 9.* vbi *vers. 9.* ait: Non est volentis neque currentis sed miserentis Dei. Et ibidem *vers. 17.* In hoc ipsum te (scilicet Pharaonem) vt ostendam in te virtutem meam. Et *vers. 18.* Cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Denique *vers. 21.* An non habet potestatem figulus luti ex eedem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam. Ergo Deus sua sola voluntate independenter ab operibus homines prædestinat siue ad gloriem, siue ad pœnam æternam.

Respondeo nego consequ. Hic enim agit Apostolus tantum de electione, & reprobatione ad primam gratiam, & fidem independenter à præcedentibus meritis, non verò de electione ad gloriam æternam, aut reprobatione ab illa, de qua loquitur, & contendit Caluinus: Scopus enim Apostoli erat reprehendere Iudæos qui propter opera legis, & cæremonies præferebant se Gentilibus ad Fidem Christi conuersis, declarans illis vocationem, & electionem ad fidem, & gratiam Christi non dependere ab operibus legis, sed

esse

esse gratuitam, & ex beneplacito Dei hos præ illis ad fidem vocantis: ac proinde nihil facit pro electione victimata, & absoluta ad gloriam independenter ab operibus.

Obiciunt 2. Prædestinationem diuinam cum libertate humana non consistere, hoc argumento: Præscientia Dei cui nititur prædestinatio, est certa, & infallibilis, sic vt non possit non esse quod illa præscivit futurum. Ergo opera nostra, & ex illis salus aut perditio necessario proueniunt.

Respond. negando conseq. Potest enim aliquid esse certum, & infallibile, quamuis ex necessitate proueniat, sed sit merè contingens ac liberum, quando scilicet non prouenit illa infallibilitas ex intrinseca terminorum connexione, vel sit in diuina præscientia, & prædestinatione quæ est extrinseca respectu nostræ operationis: hoc modo certum, & infallibile est me iam loqui: quamuis omninò liberè loquelam exerceam.

Obiciunt 3. Nemo potest resistere Decreto prædestinationis diuinæ: Ergo omnia quæ Deus fieri decreuit circa hominis prædestinationem, aut reprobationem, fiunt necessariò.

Respond. negando consequentiam. Sed sic tantum inferri potest, ergo omnia quæ Deus fieri decreuit fiunt eo modo quo Deus decreuit vt fierent, siue valit fieri necessario, siue liberè. Iam verò ex Scripturis passim constat, vt supra breuiter ostendi, Deum decreuisse eo modo concurrere cum nostra voluntate vt huic in agendo sua libertas relinquatur, Ergo isto modo conaurrit, nisi velit Deo suam omnipotentiam, & veracitatem adimere. Tali autem Dei decreto nemo potest resistere, quia nemo potest impedire quominus Deus, quo ipsi placet modo, cum homine etiam ad liberè agendum concurrat sicut ipse decreuit. Vnde aduertat Caluinista se illo argumento non tam hominis libertatem, quam Dei omnipotentiam, & veracitatem oppugnare.

Instant tamen vlterius. Deus ab æterno præscivit v. g. Antichristum peccaturum: Ergo Antichristus peccabit. Antecedens huius consequentiæ est necessarium, ergo, & ipsum consequens, Antichristus peccabit; cum necessitate autem non potest stare libertas.

Respondeo. Antecedens illud est necessarium, necessitate antecedente, nego; necessitate consequente, concedo, hoc est, ex suppositione quod Antichristus se actu, & liberè determinabit ad peccandum, necessarium est illud peccatum à Deo præsciri, qui nihil potest ignorare: hæc autem necessitas consequens non prouenit ex aliqua causa antecedente quæ illum vrgeat aut determinet ad peccandum, sed potius præscientia illa præsupponit exercitium libertatis, & est illo natura posterior, quamuis sit tempore prior, eo quod omnia quæ sunt in Deo debeant esse æterna: vti magis deducimus infra *par. 2. de scientia Dei, gratia, prædeterminatione, &c.* Vnde patet quam immeritò iactauerit *Wiclefus* argumentum prædictum adeo esse efficax vt *Armacanus* per viginti annos in illius solutione laborauerit, ac tandem vi illius coactus dixerit, Deum in sua præscientia posse errare. Quod in Armacano nuspiam legi, & falsò imponi testatur doctissimus *Thomas Waldensis*.

Ex prædicta Caluinistarum doctrina oritur illud hominum desperatorum Dilemma, ad omnem viuendi libertatem, ac flagitium viam apertam pandens. Vel ab æterno sum prædestinatus ad cœlum, vel reprobatus ad infernum. Si prædestinatus, quidquid agam saluabor: si reprobatus, quidquid agam certò damnabor. Ergo non debeo de bona vel mala vita esse sollicitus.

Sed huius dilemmatis fallacia dissoluitur hoc modo: Si sum prædestinatus, per media scilicet in mea potestate constituta, certò saluabor, si illa media adhibeam; damnabor si illa nolim adhibere. In mea autem libertate relictum est, illa media amplecti, ex quibus debeo esse prædestinatus, vel ea omittendo efficere vt sim reprobatus: quod satis vnicuique rectè viuendi curam imponit. Vt patet in hac ægrotantis similitudine. Vel Deus ab æterno præuidit, & decreuit te ex hoc morbo moriturum, vel non. Si præuidit moriturum, certo morieris, sin minùs, certò conualesces. An ideò omittes medicinam idoneam applicare ne mora obrepat? Quod si putas vitam corporis per medicinam conseruari posse, ne intereat, quomodò non credis te per Pœnitentiam, & bona Opera impedire posse ne mortem animæ æternam incurras.

Vt verò hi, aliique errorea de Gratia Diuina, & Libertate humana accuratius refallantur, plures de ijs horum temporum controuersiæ in sequentibus explicandæ erunt. (1)

## §. III.

### *De Gratia Christi, Operibus, Libero arbitrio, Controuersiæ Recentiores.*

POst hæreses Lutheri, & Caluini de Gratia Christi, & Libertate humana, circa annum 1641. prodierunt errores comprehensi in libro qui Augustinus Iansenij ioscribitur. Hos errores in primo orto detexerunt Professores Societatis IESV in Academia Louanienſi, ac ne latius serperent, illos publicis Thesibus, ac validis argumentis oppugnarunt. Signum sustulerunt illi cæteris Europæ Academijs, & Prouincijs, vt aduersus dogmata fidei Catholicæ peroiciosa omni ope, & authoritate dimicarent. Id impigrè tam voce, quàm calamo præstiterunt omnium ordinum Viri celeberrimi, & imprimis Doctores Sorbonici, ac totius penè Galliæ Antistites. Horum omninò supra octoginta doctrina aut insulis eximij, cum Sorbonæ parte longè maxima, ac frequenti aliorum Ordinum assensu, vt grauissimum ab Ecclesia periculum auerterent, rem totam ad supremum controuersiarum iudicem Pontificem Romanum suo nomine deferendam censuere.

Fuerunt quidem præcipua Iansenij dogmata pridem proscripta inter propositiones septuaginta nouem Michaelis Baij per Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. quas postea confirmauit Vrbanus VIII ipsumque Iansenij librum tanquam damnatæ dogmata restaurantem omnibus sub anathemate interdixit. Sed cum non deesset qui vario ducti studio Pontificum Decretis obstreperent, placuit Apostolicæ Sedi ad nouum, supremumque examen rem totam reuocare.

Itaque Innocentius X. summa cura ac studio tam per se, quàm per viros doctissimos excusso Iansenij volumine, quinque ex eo propositiones selegit quæ præcipuam libri doctrinam continebant, easque sæpiùs examinatas, de Apostolicæ potestatis plenitudine, grauibus censuris confixit, & Constitutione in perpetuum valitura condemnauit.

Vt verò aliqui ictum hunc fatalem noua arte à noui Authoris capite auerterent, has quinque propositiones, quas antea ipsam esse Augustini doctrinam defendebant, postea aliqui mutato consilio easdem à Iansenij libro, ac mente longissimè abesse affirmarunt. Hos demum nouo diplomate compescendos censuit Alexander VII. quo damnata dogmata, non tantum eadem quæ prædecessores censura, profligauit, seu etiam ea in Iansenij libro eo quo damnata sunt sensu contineri Apostolica sua authoritate definiuit.

Vt igitur has quoque propositiones in controuersijs polemicis de Gratia quas cœpimus methodo, Missionario Apostolico breuiter proponamus, primò singula dogmata cum censura illis inusta proferemus, & quo loco ab authore tradita sunt, prolatis etiam ipsius verbis, demonstrabimus. Dein quo modo Scripturæ, Conciliorum, Patrum, ac præsertim S. Augustini authoritati aduersentur, cum faciliori argumentorum solutione, breuiter, & dilucidè exponemus.

### *Prima Iansenij Propositio.*

*ALiqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia qua possibilia fiant.* Hanc doctrinam Innocentius X. & Alexander VII. vt temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & Hæreticam declararunt ac damnarunt. Extat autem illa doctrina in libro Iansenij Tom. 3. lib. 3. c. 13. columna 334. his termiois: *Hæc igitur omnia plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm infidelibus, cæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & iustis volentibus, conantibus secundùm præsentes quas habent vires sint impossibilia, deesse quoque gratia, qua fiant possibilia.* Idem patet ex ijs quæ habentur eod. cap col. 325. & 326.

Reprobatur illa doctrina primò ex Scripturis. Hæ enim hortantur homines ad omnium mandatorum obseruationem, quod frustrà fieret si ad hanc voluntati humanæ vires deessent; quin, & gratiam qua præcepta impleri possint eædem Scripturæ disertè pollicentur 1. ad Corinth. 10. v. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari, supra id quod potestis.* Et Lucæ 19. v. 21. *Regnum Dei intra vos est*, ac Ioan. 5. v. 4. *Mandata illius grauia non sunt.* Quomodo verò grauia non essent, aut intra nostram potestatem constituta, si nec gratia, nec vires adessent, quibus per obseruationem mandatorum peccatum vitari possit?

Causam vero comminiscitur Iansenius *Tom. 3. lib. 3. cap. 17.* cur non frustra ad obseruationem mandatorum consilia, & monitiones adhibeantur: *Quia*, ioquit, *habent vsum significandi homini, vt si fortè possit, faciat quod*

*quod iubetur, si non possit, infirmitatem doleat, oretque pro viribus impetrandis.*

At quid iuuant ista ad mouendam peccandi necessitatem, si dum tentatio vrget, nec spatium, nec gratia ad orandum necessaria concedatur? Hanc autem quandoque deesse, diserte fatetur ipse Ianseuius supra c. 13. *Est*, ait, *quædam voluntatis infirmitas qua non potest certas tentationes superare, nec adest gratia, qua superentur, nec Spiritus orationis quo vires impetrentur.*

Reprobatur secundò, ex mente Sancti Augustini, quem frustra Ianseuius doctrinæ suæ patronum gloriatur. Huic enim errori apertè refragatur, de peccatorum meritis & remiss. lib. 2. cap. 6. *Dubitare* inquit, ( non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adiuuandum, quò fiat quod iubet, impossibile aliquid esse, ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato adiutus à Deo. ) Quid dici potuit apertius? Sed audit fortius ioquentem *Serm. 191. de Temp.* [Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis, sed ab omnibus in communi posse seruari. ) Quinimò *lib. de nat. & grat. cap. 67.* pro euidenti principio statuit, neminem posse peccare in eo quod nullo modo caueri potest: peccatur autem præcepti violatione: ergo ea caueri potest.

Ad hunc Scripturæ, ac S. Augustini sensum tam explioratum accedunt Canones Conciliorum, à quibus impium dogma diro anathemate confixum est. Sic enim primis illis Ecclesiæ temporibus de hac Doctrina pronunciauit Concilium Arausicanum Can 25. Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes Baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent possint & debeant; si fideliter laborare velint, adimplere. ) Et contra huius æui Nouatores nouum hoc anathematis fulmen vibrat Tridentinum Sess. 6. Can. 18 ( Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam iustificato, & sub gratia constituto esse ad obseruandum impossibilia, anathema sit. ] Idemque Concilium, ad implenda Dei præcepta adesse iusti vires, nec abesse Dei adiutorium diserte inculcat, eadem Sess. 6. cap. 11. ( Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adiuuat vt possis.

Si quæras, quid ad hæc profligati dogmatis asserto? Argutias quasdam obtendit, scilicet, Impotentiam implendi mandata talem esse, vt peccatores non desinerent ea implere, si velint; velint enim, & mox vt voluerint, mandata implebunt. Aperta est hæc responsio, eamque tam facilè capio, quam claudum posse ambulare, dummodò ambulet: istud verò non concipio, quid ista potentia ad ambulandum iuuet, si qui incedere iubeatur, qui fractis cruribus non magis potest gressus formare, quam assumptis alis in cœlum euolare. Neque magis concipi potest quo pacto peccator possit mandatis obtemperare, cui deest gratia & potentia, vt per viam mandatorum progredi valeat.

At, inquies, posset peccator implere præcepta in alio statu: quando scilicet gratiæ victricis auxilium haberet, ac proinde dum peccat, est saltem remotè potens ad non peccandum.

Sed quid iuuat posse hominem in alia hypothesi seruare præcepta, si nunc dum mandatum illi incumbit ita constitutus sit, vt auxilium in promptu non habeat, quo possit præceptum explere? Vt si quis in tenebricoso carcere conclusus iubeatur litteras perlegere, quis dicet illi nunc adesse obtemperandi potestatem, quamuis postea, si panderentur fenestræ, luce affulgente, legendi facultas non deesset. Nunquam sanè negauit Caluinus voluntatem humanam, quæ violato præcepto in peccatum prolapsa est, potuisse à Deo per alia auxilia inflecti ad præcepti obseruationem: & tamen eius doctrina ab Ecclesia reprobata est, eo quod asseruerit, in hoc statu homini iusto aliqua Dei præcepta esse impossibilia. Hac igitur via nullum datur effugium, nisi iubeat Caluini vepribus inhærere.

Alia tentatur via, sed longinquæ ad Adamum scilicet, & Paradisum, & prima mundi exordia recurritur. Prætenditur enim, peccatum quod à nobis propria voluntate admittitur, continuationem esse delicti ab Adamo in Paradiso pridem commissi, ex quo in nos peccati fomes profluxit: atque ita ex vtriusque peccato vnum quodammodo actum conflari, qui nobis hoc ipso sit liber, quo in Adamo liberè incepit.

En Machinam longè quæsitam, & bellè compactam. Quid enim à veritate longinquius fingi potest, quam peccatum ab vno homine propria voluntate hodie commissum, eam quam habet libertatem isto modo deruare ab alieno delicto, quod à sex millibus annorum suæ tantum voluntatis arbitrio liberè incurrit? Aliud longè est de reatu peccati originalis, quem vt contrahamus nul-

lus omninò voluntatis noſtræ actus requiritur.

Quod ſi poſſint actus à nobis eliciti malitiam pœna æterna plectendam contrahere, ex eo quod Adami peccato cauſam, & ortum habuerint, cur etiam per amentiam, cæcitatem, & alias huiuſmodi affectiones neceſſarias, peccati reatum non incurrimus, cum hæ quoque à primi parentis delicto in nos profluxerint?

Quinimò ſi reſponſum illud aliquid veritatis haberet, inde pariter conficerem, peccata hominis Baptizati omni prorſus culpa carere. Cum enim, vt aiunt, ſuam libertatem ac formalem malitiam ea non habeant, niſi vt coniuncta cum peccato Adami, ſublato iam in nobis per Baptiſmum primi parentis peccato, non poſſunt actus noſtri, quibus præcepta tranſgredimur, formalem malitiam retinere, aut pœnæ à Deo iuſtè infligendæ reatum incurrere. Denique ſi actus illi aliena ex libertate malitiam contraherent, nequidem poterunt à Deo ſub reatu pœnæ æternæ hominibus prohiberi; ſic enim in ſtatu naturæ lapſæ homini imperare non poteſt vt careat concupiſcentia, quamuis in Adamo liberum fuerit non peccando concupiſcentiæ fomitem à poſteris ſummouere. Ex quibus breuiter, ac manifeſtè apparet, hanc doctrinam ab Eccleſia meritò proſcriptam, nulla veritatis ſpecie à quocunque defendi.

## *Secunda Propoſitio.*

*Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Ianſen. Tom. 3. lib. 2. ca. 5. col. 103. *Nullum*; inquit, *adiutorium gratiæ, cuius vſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur aut non vtatur, vt illud amplectatur aut aſperat, aut illi conſentiat aut non conſentiat ſi voluerit, ad medicinale adiutorium Chriſti ullo modo peruenire poteſt.* Idem patet ex eodem lib. cap. 24. col. 200. & cap. 25. columna 202. & cap. 27 colum. 210. Hanc propoſitionem Innocent. X. & Alexander VII. hæreticam declarauit, & vt talem damnauit.

Repugnat illa primò, teſtimonijs Scripturarum, quæ docent hominem reſiſtere vocationi diuinæ, & ſæpius hortantur vt acceptæ gratiæ cooperetur: quod fruſtraneum foret, ſi gratia per ſe voluntatem humanam ad conſenſum ita raperet, vt nunquam ei diſſentiendo reſiſteret. Sic autem loquitur Scriptura, Prouerb. 1. verſ. 24. *Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non erat qui aſpiceret.* Et Matthæi 20. v. 16. *Multi ſunt vocati, pauci vero electi.* Item Matth. 23. verſ. 37. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Et Actor. 7. v. 51. *Vos ſemper Spiritui Sancto reſiſtitis.* Denique 2. ad Corinth. 6. v. 1. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* An non otioſa hæc ad gratiam recipiendam exhortatio, an non iniqua in reſiſtentes exprobratio, ſi talis eſſet natura gratiæ diuinæ, vt à nulla poſſit voluntate repudiari?

Iam verò inſpiciamus de hoc dogmate quis fuerit primæuæ Eccleſiæ ſenſus, ac imprimis S. Auguſtini de Spirit. & litt. cap. 34. *Miſericordia Dei præuenit nos, conſentire autem vocationi Dei aut ab ea diſſentire, noſtræ voluntatis eſt.* Eodem modo vim illam voluntatis, in repellenda gratia vocationis diuinæ, exponit in Euangelio de vocatis ad nuptias, quorum aliqui noluerunt Chriſto vocanti obtemperare: *Ad illam cœnam*, inquit, *nec omnes qui vocati ſunt venire voluerunt, neque illi, qui venerant venire poſſent niſi vocarentur: itaque nec illi debent ſibi tribuere, qui venerunt, nec illi qui voluerunt venire, debent alteri tribuere, ſed tantum ibi.* QVI VT VENIRENT VOCATI, ERAT IN LIBERA VOLVNTATE. Sanctus Auguſtinus teſtis accedat eiuſdem Doctoris, & qui diſcipulus Sanctus Proſper. lib. 2. de vocat. Gent. cap. 26. *Voluntas de ſua habet mutabilitate ſi deficit, de gratia verò ejus ſi proficit. Et quod à multis refutatur gratia, ipſorum eſt nequitia, quod à multis recipitur, gratia diuina eſt, & voluntatis humanæ.*

Perpetuum hunc Eccleſiæ ſenſum veneratur Tridentina Synodus, & oppoſitum contra Sectarios noſtri temporis ſub anathemate proſcribit Seſs. 6 Can 3. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum.... non poſſe diſſentire, ſi velit, anathema ſit.* Nec minus apertè Seſs. eadem cap. 5. *Tangente Deo cor hominis.... inſpirationem illam recipiens, abigere poteſt.* Eodem veritatis ſpiritu afflatum idem enunciat Concil. Senonenſe anno 1528. Decreto fidei 15. *Non eſt tale trahentis gratiæ auxilium, cui reſiſti non poſſit.*

Si quæ igitur vis diuinis eloquijs, ſi quæ veritas Sanctis Eccleſiæ Patribus, & Concilijs, ex his manifeſtum euadit: hanc eſſe doctrinam omni ævo in Eccleſia Chriſti comprobatam: adeo vt quiſquis adhuc veritati fidei tam luculentæ repugnat, hoc ipſo ſatis oſtendat, ſe diuinæ gratiæ poſſe reſiſtere.

Quibus verò modis, & argumentis quidam molientur huic veritati obſiſtere, & in operibus gratiæ voluntatem humanam ineluctabili

bili neceſſitati ſubijcere, in propoſitionis 3. refutatione, vbi agitur de libertate ad meritum requiſita, mox aperiemus.

### *Tertia Propoſitio.*

*AD merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.* Hanc propoſitionem Innocentius X. & Alexander VII. hæreticam declarauit, & vt talem damnauit. Eam verò docet & explicat fusè Ianſenius lib. 6. de grat. Saluatoris cap. 6. & ſeqq. vbi declarat in ordine ad actionem meritoriam vel demeritoriam, nihil eſſa quod impediat libertatem voluntatis, præter coactionem. Et breuiter Tom. 3. lib. 9. cap. 12. col. 658. Sic pronunciat: *Nihil aliud libero generaliter repugnat, quàm neceſſitatis illius præmentis, cogentiſque violentia.* Et hinc aſſerit ſatis ineſſa libertatis ad meritum actui amoris quo Deus ſeipſum diligit, ſi Deus meriti capax eſſet.

Huic errori ſat apertè quadrat hæreſis Caluini, qui diſertè profitetur, ſe non aliam impugnare libertatem, quam eam quæ ſita eſt in facultate voluntatis ad vtramque partem expeditam, quæ ſcilicet præbeat liberam agendi vel non agendi poteſtatem, quam libertatem indifferentiæ nuncupamus: ſic enim loquitur ipſa in Antidoto ad Can 5. Concil. Tridentini. *De verbo*, inquit, *ne mouearmus rixam, ſed quia per liberum arbitrium intelligunt* [Catholici] *eligendi facultatem, quæ ſit in vtramque partem libera & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habere auctorem.*

Quam verò longè abeat dogma hoc fatale à Scripturæ, Patrum, & Eccleſiæ ſenſu, teſtantur aperta veritatis oracula, quibus inimicum gratiæ & libertati humanæ commentum perpetuò aueſſantur.

Atque imprimis ex Sacris litteris manifeſta intorquetur ſententia Geneſis 4. verſ. 7. *Nonne ſi bene egeris recipies; ſin autem male, ſubeſt erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Hanc expeditam ad vtrumq; libertatem in homine iuſto diſertè agnoſcit Eccleſiaſticus cap. 31. verſ. 1. *Qui potuit tranſgredi & non eſt tranſgreſſus, facere mala & non fecit.* Nec minus humanam libertatem, vt ſubſiſtat, ab omni neceſſitate remotam requirit Gentium Apoſtolus 1. ad Corinth. 7. verſ. 37. *Qui ſtatuit in corde ſuo firmus, non habens neceſſitatem, poteſtatem autem habens ſuæ voluntatis.* Neceſſitatem à libertate ſeiungit Apoſtolus, illam cum libertate coniungit Ianſenius: quis hic errauit niſi qui errare potuit?

Sed, iuquies, quid de Auguſtino? Sat nota eius mens & ſententia, ſi non alius quam ille Eccleſiæ Auguſtinus audiatur. Paucis verbis decretoriam in hac controuerſia ſententiam pronunciat Lib de vera Religione c. 14. *Quoniam peccari non dubium eſt, nec hoc quidem dubitandum video, habere animas liberum voluntatis arbitrium: tales enim ſeruos ſuos meliores eſſe Deus iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent.* Audis S. Auguſtinum liberum arbitrium ſic explicantem, vt nulla ſit liberalitas, nulla libertas, ſi Deo non ſeruiatur ea voluntate quæ omni careat neceſſitate. An non hoc iterum inculcat lib. de Spir. & litt. cap. 34. *Conſentire vocationi Dei vel ab ea diſſentire, propriæ voluntatis eſt.* Iterumque de lib. arbit. lib. 3. cap. 18. *Ipſa eſt cauſa voluntatis, ſi non ei poteſt reſiſti, ſine peccato ei cedetur, ſi autem poteſt, non ei cedatur, & non peccabitur.* Si quis Auguſtinum tam clara, tam ſana ſuadentem audire nolit, videat ne ab eodem inſaniæ arguatur lib. de duab. Animabus cap. 12. *Dicere reum teneri quempiam, quia non fecit quod facere non potuit, ſumma eſt iniquitatis, & inſaniæ.*

Quid ergo mirum ſummos Pontifices diuino Spiritu afflatos illam doctrinam abolere, quam Sacrarum litterarum, Sanctorumque Patrum conſenſus toties condemnat.

Conſenſum hunc teſtatur Concilium Senonenſe in decretis fidei *decreto* 15. vbi concludit, percurrenti Sacram Scripturam obuium eſſe quod liberum in vtramuis partem hominis arbitrium aſſeueret. Horum denique veſtigijs inſiſtens Concilium Tridentinum Seſſ. 6. Can. 4. ſic tandem definit. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum... Deo excitanti atque vocanti non poſſe diſſentire; ſi velit, anathema ſit.* Agit autem de poteſtate diſſentiendi, quæ conſiſtit in libertate indifferentiæ ad merendum & demerendum neceſſaria. Si enim libertas ad meritum requiſita ſtare poſſet cum neceſſitate ad vnam partem determinante, parum Concilio laborandum fuiſſet, vt ſtatueret de libertate per quam voluntas motioni præſentis & excitantis gratiæ poſſit diſſentire, cum hæc alia eſſe non poſſit quam libertas in ſenſu compoſito expedita ad agendum vel non agendum, quæ cum neceſſitate ad vnum adſtringente componi non potuit.

Quid

Quid igitur in re tam clara reponunt istius dogmatis patroni? Aliquas excogitant subtiles remoras quæ perspicuam veritati tenebras offundant. Aiunt enim se admittere in voluntate libertatem siue *indifferentiam potentiæ*, non verò actionis: istam verò indifferentiam potentiæ dicunt sitam esse in mutabilitate, & flexibilitate humanæ voluntatis, quæ annexa est statui vitæ præsentis, in qua modò ad volendum, modò ad nolendum facilè inflectimur, quamuis quod in particulari volumus, id necessariò velimus.

Sed quid hoc aliud est, quam voluntatem de vno actu necessario, in alium necessarium deuolui? cum quæuis actio voluntatis sua careat indifferentia, & eliciatur hic & nunc à potentia in actu primo ad illum determinata. Aut quam potest ipsa potentia habere indifferentiam, quando, sine potestate ad oppositum, ad hanc tantummodo actionem adstricta retinetur: Itaque tota quæ hic prætenditur voluntatis mutatio, alia non est, quam concatenata commutatio vnius necessitatis in aliam: interea in quauis actione catenam semper ad vnum astringentem subit voluntas, siue auream operis boni, siue ferream actionis prauæ: optio verò catenæ qua astringitur non est ipsius voluntatis, sed prouidentiæ gubernatricis, quæ siue delectationem iustitiæ, siue concupiscentiæ pro arbitrio dispensset, debebit illi voluntas humana ineuitabili necessitate obsecundare. Hæc illa est insignis larua libertatis, quam neque Manichæi quos impugnat Augustinus, nec Astrologi fatorum assertores, nec VVieleſus, aut Caluinus ab Ecclesia damnatus, suam esse recensarent; ac proinde, si huic sententiæ credimus, hæretici illi totam admisere libertatem, quæ ad merendum & demerendum in naturæ lapsæ statu requiritur. Alia sanè libertate eget creatura ratione prædita, vt apud suum creatorem laudem vel vituperium, præmium vel pœnam mereatur: vt nempe cardo voluntatis in bonum vel malum ab ipsa inflectatur, & fiat, vt quantum est ex parte omnium quæ actionem antecedunt possit ab agendo abstinere. Sine huiusmodi libertate nemo sui mancipij actionem moralem pœna, vel præmio dignam censebit.

### *Quarta Propositio.*

*Semipelagiani admittebant prauenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod vellent tam gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.* Tradit huius primam partem diffusè nominatus Author lib. 8 de hæresi Pelag. cap. 6. Secundam lib. 2. de grat. Saluat. cap. 4. &c. quam breuissimè stringit col. 215. dum aduersarium suum perstringit his verbis: *Quanta audacia, post condemnatos iam à tot seculis Massilienses, differre quod quia in statu Innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia qua poterat perseuerare si vellet, etiam nunc sufficere.* Declarata vero est ab Innoc. X. & Alexandro VII. hæc 4. Propositio falsa & hæretica, & vt talis damnata.

Prima pars huius propositionis, quæ facti quæstionem continet, falsa declaratur ex historia hæresis Pelagianæ in ijs quæ apertè tradit S. Augustt. Prosper. & Hilarius, qui contra hanc hæresim decertarunt. Refert verò Augustinus lib. de Prædest. cap. 2. 3. 5. Semipelagianos gratiam interiorem ad singulos actus non admisisse, sed censuisse, *initium fidei esse ex nobis, tanquam si fides non à Deo nobis donetur.* Idem, *Fidem non esse donum Dei.* Item, Eos agnouisse quædam merita sua, *tanquam ipsi sibi ea fecissent, non gratia Dei.* Denique, *& credere & perseuerare ita nostrum esse, tanquam non à Domino nos accipiamus &c.* Consentit fusè S. Prosper contra Collatorem, præsertim cap. 4 6 to. 13. 14. & deinceps, vbi diserte exprobat, quod diceret hominem posse bene agere sine gratia, non incitatum à Deo; ante gratiam; sine adiutorio Dei; per vires tantummodò humanæ voluntatis; merito gratiam præuenientem &c. Quæ omnia in illis adeo obuia sunt & manifesta, vt contrarium sustinere aliud non videatur esse, quam velle quodammodo lectori oculos, & mentem eripere.

Secunda pars propositionis damnatæ asserit: *Hæresim esse Semipelagianam, talem administrare gratiam, cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.* Hæc autem assertio non videtur reipsa dissidere à propositione secunda, quæ supra refutata est. Nempe *interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam restiti.* Potest verò vtraque Propositio Caluino authore pridem gloriari. Docet enim ille *lib. 2. Instit cap. 5. §. 11.* Errorem esse Scholasticorum, quod putarent in manu nostra esse respuere vel recipere oblatam Dei gratiam: & fuisse hunc errorem Pelagianorum, quos secuti sunt Semipelagiani, ibidem Caluinus diserte asserit. §. 23. *Audiamus*, inquit, *nunc Augustinum suis verbis loquentem, ne ætatis nostræ Pelagiani, hoc est Sorbonici Sophistæ, totâ vetustatem nobis aduersari pro suo errore criminentur, in quo scilicet patrem suum Pelagium imitantur, à quo in eandem arenam ipse Augustinus protractus est.*

Porrò,

Porrò, ne in refellendo hoc errore ex Scriptura ac Patribus superiora repetamus, ex sola Tridentini definitione vnum formemus argumentum nulli respuendum, qui orthodoxæ Ecclesiæ authoritatem saluam velit. Tridentinum sic definit sess. 6. cap. 4. *Si quis dixerit liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum non posse dissentire si velit, anathema sit.* Censet igitur liberum arbitrium, hoc est, humanam voluntatem à Deo motam per interoam gratiam posse illi gratiæ dissentire siue resistere, vel consentire ii valit, quod est obtemperare. Atqui propositio damnata ex aduerso asserit, *Semipelagianum*, siue hæreticum, *esse admittere gratiam cui possit humana voluntas resistere vel obtemperare.* Ergo Semipelagiana, & falsa est definitio Tridentini, si vera est à Pontificibus damnata Ianseni doctrina; quod saluo fidei Catholici veritate nemo admiserit.

Frustra hinc quæritur effugium; nexus est qui nec solui, nec frangi potest. Frustra, inquam, cum quibusdam finges Concilium hic ad potentiam remotam, vel ad sanum diuisum respexisse, dum dixit liberum arbitrium posse dissentire *si velit*, posse autem velle dissentire pro eo statu quo præsentis gratiæ impulsu carebit. Quis enim credat Concilium in re maximè seria nugas agere, aut linguam loqui quam nemo capiat; Nemo nisi nugacio dicet, pauperem posse facere eleemosynam, si velit; si is media requisita in promptu non habeat, aut potentiam proximam vt ea acquirat. Nequa dicetur ligatus posse currere, si velit, si præter voluntatem non adsit illi facultas qua possit se vinculis expedire. Ergo quando Tridentinum pronunciat, hominem posse dissentire diuinæ gratiæ si velit, necessariò definit, adesse potentiam proximam, & expeditam, vt velit dissentire, aut tollere impedimenta quæ faciunt, ne hic, & nunc possit dissensum elicere. Ergo necessarium est verba Concilij gratiæ Ianenianæ voluntatem ad assensum necessitanti, è diametro aduersari.

Atque hinc vltarius satis inferri poterit, à Concilio definitum esse dari veri nominis gratiam merè sufficientem, cui voluntas actu resistit, quamuis ex eius potestate fuerit illi consentire, & obtamperare. Sed hoc infra inter controuersias Scholasticas de gratia magis explicandum erit.

## *Quinta Propositio.*

*SEmipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.* Hanc conclusionem ex suis principijs infert idem Ianseuius, quam S. Augustino imponere conatur, sic enim loquitur ille lib. 3. de gratia Saluat. cap. 21. col. 390. *Quæ sanè (inquit) cum in Augustini doctrina, conspicua certaque sint, nullo modo principijs eius consentaneum est, vt Christus Dominus, vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iustorum non perseuerantium æternæ saluti mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem erasse sentiatur.*

Cootra hoc dogma fidelium auribus sanè acerbissimum, Ecclesia Romana, varia censurarum fulmina pridem detorsit: sic autem post alios Innocent. X. & Alexander VII. in diplomate gemino aduersus propositionem quintam Ianseoij, de ea doctrina pronuntiauit: *Falsum, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu*, vt Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumelioso m, diuinæ pietati derogantem, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.

Damnatur autem meritò hæc doctrina, quia apertè aduersatur diuinæ Scripturæ asserenti, Deum velle omnes homines saluos fieri, & Christum dedisse semetipsum redemptionem pro omnibus. Sic etiam loquitur Apostolus 1. ad Timoth. cap. 2. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo.* QVI OMNES HOMINES VVLT SALVOS FIERI, *& ad agnitionem veritatis venire: vnus enim Deus, vnus & Mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus,* QVI DEDIT REDEMPTIONEM SEMETIPSVM PRO OMNIBVS. Vbi sine vlla exceptione Apostolus affirmat, Deum velle omnes homines saluos fieri, & mox rationem assignat, *Vnus enim est Deus, vnus, & Mediator Dei, & hominum* &c. Atqui absolutè & absque vlla limitatione, omnium hominum vnus est Deus; ergo etiam, nullo excepto, vnus omnium est mediator, pro omnibus mortuus est; & pro omnibus etiam reprobis in cruce sanguinem effudit. Quod vel ex eo confirmatur, quod Apostolus disertè affirmet Deum velle saluos fieri omnes pro quibus dicit orandum esse, cupit autē orationes fieri pro Regibus, & omnibus qui in sublimitate sunt, cum tamen eo tempore absent Reges gentiles ac reprobi; ergo non potest Apostolus intelligi de Christo mortuo pro solis prædestinatis.

In

In eundem sensum verba Apostoli intelligit S. Augustinus lib. de Spirit. & litt. cap. 33. *Vult autem Deus omnes homines saluos fieri, & in agnitionem veritatis venire: non sic tamen vt eis adimat liberum arbitrium, quo vel bonè, vel malè vtentes iustissimè iudicentur*, &c. Vbi admittit S. Doctor, Deum ex parte sua velle omnibus salutem procurare, & illis etiam qui libero arbitrio male vtentes incidunt in iudicium, & damnationem.

Vt sententiam Augustini tam manifestam declinet Iansenius, persuadere conatur, illum loco citato non loqui ex suo sensu, sed Pelagianorum dogma recitare, postea refellendum. Sed inane est hoc effugium; hanc enim doctrinam minimè reprobat, sed pergit tantum disputare contra Pelagianos, an fides ideò sit donum DEI, quia prouenit à libero arbitrio quod à DEO creatum est, demum addens, ideo fidem esse donum DEI, *Quia binis suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus, siue extrinsecus, per Euangelium, exhortationes, &c. siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate qui ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est*. Quinimò iterum dictum suum de voluntate omnes saluandi tacitè approbat, dum asserit, dari homini auxilium, cui consentire, vel dissentire sit propriè voluntatis. Ad quid enim porrigit tale auxilium cum quo possit aliquis dissentiendo perire, nisi velit ex parte sua etiam pereuntes saluos fieri?

Apostoli verò locum, quem in hac controuersia lucidum ac decretorium omnis retrò agnouit antiquitas, nescio qua distinctionum caligine obnubilare potius quam elucidare contendit. Dum enim Apostolus sine exceptione ait, Deum velle omnes homines saluos fieri, Iansenius vult omnes homines in ea sententia sumi tantum generatim, pro generibus singulorum, non verò pro singulis generum, hoc est, Deum velle ex Iudæis, & Gentibus, ex seruis, & liberis, ex principibus & priuatis, & omni genere hominum aliquos saluari, non tamen velle, aut gratiæ suæ auxilia præbere, vt singuli homines in individuo salui fiant. Cum enim absolutè negaret dari hominibus gratiam meré sufficientem, quam vt monstrosam, & Molinisticam abolendam iudicabat, sed doceret omnem gratiam esse suo modo victricem, & efficacem, qualis reprobis ad perseuerandum non conceditur, hinc illi inferendum fuit, Deum non velle reprobos per media congrua saluos fieri, neque Christum pro eorum salute sanguinem suum patri obtulisse.

Idem gratiæ meré sufficientis odium in Caluino, vt eundem peperit errorem, ita enim Caluinus de æterna Dei *prædest. pag. 706.* recitatis Apostoli verbis, de voluntate omnes saluandi, eandem distinctionem ira subiungit: *Quis non videt ordinum hic geri mentionem, potiùs quàm singulorum hominum? nec verò ratione caret vtrò illa distinctio, non singulos generum, sed genera singulorum notari*.

Et ne huic responso deesset assueta hæreticis præfidentia; idem grauiori tono inculcat lib. de occulta Dei prouid. pag. 737. *Certè*, inquit, *certius est, Paulum illic non de singulis hominibus agere, sed intelligere ordines, & genera vocationum*. En pro malefido dogmate, quanta inconcordia.

Hinc sanè patet, quàm longè dictus Doctor ab Augustini mente ac sententia recesserit, cuius tamen se præ cæteris fidelem interpretem gloriatur. Peregrinum, vt existimo, illi Sancti Doctoris sensum reddidit, in eius opere non satis obseruata distinctio voluntatis diuinæ, in eam qua vult absolutè, & efficaciter homines, actu ad salutem peruenire, quàm certum est non ad omnes, sed solos electos pertingere, & in aliam, qua Deus quantum est ex parte sua velit omnes ad salutem tendere, & ex vi meritorum Christi omnibus præbere auxilia: quibus, si non obstet liberum hominis arbitrium, possint iustitiam, & gloriam adipisci. Et in hunc sensum doctrinam ortodoxam, atque adeò Augustino conformem exponit, firmatque Tridentin. sess 6. cap. 3. *Etsi Christus, pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt; sed ij duntaxat quibus meritum passionis eius communicatur*: Vbi manifestè mors Christi complectitur etiam eos, qui eius beneficio ad salutem non perueniunt.

Ad extremum, de hoc nefario dogmate contra Sectarios agens, non immerito notat Malderus olim Louanij Doctor, & Antuerpiæ Episcopus, in suis *Antisynodicis cap.* 4. Vehementer esse formidandum, ne homines illi, qui negant Christum pro omnibus mortuum esse, eò tandem dementiæ deueniant, vt cum Mahometanis sentiant, Christum pro nemine mortuum esse. Nec desunt qui testentur, plures Caluini asseclas qui in primum hunc errorem inciderunt, postea in secundum se præcipitasse.

*Opponunt aliqui recentius circa prædicta.*

PRimò, CHRISTVM quidem mortuum esse, & sanguinem fudisse pro omnibus etiam repro-

reprobis, eo ſenſu, quod merita illius, quæ ſunt infinita, ſint etiam omnibus ſufficientia, quamuis non ſint ab illo pro omnibus oblata. Sed ſatis refelli videtur breuiter euaſio illa, ex ipſis verbis propoſitionis damnatæ, quæ aſſerit; Semipelagianum eſſe Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe, & ſanguinem fudiſſe. Ergò vera eſt propoſitio contradictoria, quæ docet. Non eſſe Semipelagianum, ſed omninò verum, mortem, & ſanguinem à Chriſto pro omnibus *omninò* hominibus data aut oblata eſſe: ſi enim pro omnibus omninò mortuus eſt, pro omnibus mortem ſuam Patri obtulit; intelligi vix poſſe, Quomodo Chriſtus ſit Redemptor omnium, ſi non impetrauerit omnibus auxilium, quo ſaltem poſſint liberari, quod aliqui negant.

Secundò opponunt, quomodo Deus per gratiam merè ſufficientem ſincere vult reprobos ſalnos fieri, cum Deo ſciente, & aliam gratiam dare nolente, melius foret ipſis nullam, quàm talem gratiam habere; Sed æquè ſoluendum eſt ipſis, id quod cum omnibus admittunt. Quomodo Deus Angelos reprobos per gratiam merè ſufficientem ſincerè voluerit ſaluos fieri? Quod igitur gratia ſit merè ſufficiens, nec ſortiatur effectum, non prouenit ex intentione Dei illam concedentis, aut ex natura talis gratiæ: nam illa ex ſe actum bonum ſemper operaretur, niſi in hoc impediretur per liberum hominis arbitrium. Atque ita facilè intelligitur, melius quidem eſſe nullam gratiam habuiſſe, quàm illam per contumaciam liberi arbitrij neglexiſſe, non tamen melius eſſe ſimpliciter non habuiſſe gratiam illam, quæ hominem ad bene agendum inclinabat, & incitabat, & cum qua poterat rectè operari, & ſaluari, ſi illi inclinationi obtemperaſſet.

Tertiò opponunt, ſicut ſuſtineri poteſt gratia phyſicè prædeterminans, quam tradunt Thomiſtæ, æquè poſſe ſubſiſtere gratiam illam per ſe ſemper efficacem quam aiunt ſitam eſſe in delectatione victrici gratiæ cœleſtis, &c. Sed hanc concordiam nec ipſa hactenus Schola Thomiſtica, nec ipſe Ianſenius admiſit, qui gratiam illam prædeterminantem, vti aliorum gratiam congruam, diſertè impugnat, & à gratia ſua victrice vult vtramque longè abeſſe. Differentiam gratiæ Thomiſticæ prædeterminantis, & gratiæ victricis Ianſenianæ, vide in hnius Tomi I. Parte II. Controuerſia VII. circa initium, *Ab hac doctrina, &c.*

Quartò opponunt, Non eſſe damnatum omnem omninò ſenſum, quem poſſint habere Ianſenij propoſitiones, vel earum Author, ſed tantum aliquem ſenſum determinatum. Atqui probari non poteſt quòd ſenſus (quem illi ſuſtinent) ſit ille qui determinatè damnatur. Ergo poteſt ſenſus ille ſuſtineri.

Sed ex hoc effugio ſequeretur, ſi quis diſertè diceret ſe ſuſtinere propoſitiones Lutheranas, Caluinianas, Ianſenianas, non poſſe illum redargui. Quia prætendere ſemper poteſt, non eſſe damnatum omnem omninò ſenſum, &c. Quàm latum ſic ab Apoſtolicis Decretis effugium ſemper captari poſſit, quis non videt? Senſus igitur in his, & alijs ille cenſeri debet damnatus, quem verba, & contextus, & ſtatus propoſitionis damnatæ per ſe important, iuxta inſtitutionem, & proprium ſenſum verborum quibus propoſitio damnata exprimitur: ita in omni tribunali ſine tergiuerſatione proceditur.

Quintò opponunt, Receſſus nimius à doctrina Hæreticorum modernorum (qualis eſt de Chriſto pro omnibus omninò mortuo, de gratia aliqua indifferenti, & merè ſufficienti) plurimum nocet eorum conuerſioni, cum ab his longiſſimè recedant. Ergo potius amplectenda ea doctrina, quæ ab his minus recedit, ſiue, ad illos magis accedit, etſi cum illis non conueniat.

Reſp. Acceſſum illum, de quo agitur, multò plus habere periculi, ne Hæreticos modernos in ſuo errore magis confirmet, & obduret. De hoc nemo melius teſtari poteſt quàm ipſi Hæreticorum modernorum Doctores: inter quos *Samuel Maresius* in Hollandia celebris Doctor Caluinianus, in Præfatione ad ſuum Catechiſmum de Gratia, ſic loquitur: Ipſius Papæ authoritas ſenſim labaſcit per has controuerſias de Gratia, in quibus Pauli, & Auguſtini ſequaces [notum eſt ex contextu de quibus loquatur] plurimas defendunt propoſitiones, quas Pius V. Gregorius XIII. & Vrbanus VIII. damnauerant, &c. Sunt quidem hæc verba Doctoris Hæretici, nec proinde iudicis idonei: Sed ex quo facilè colligi poſſit: quid maior ille acceſſus etiam apud hetherodoxos operetur.

De his infrà plura ſcholaſticè tradimus, & explicamus in hoc *Tom. I. Parte II.* de Gratia Diuina, à Controuerſia 4. vſque ad Controuerſiam 10. Extant, & Theſes variæ, aliaque de ijſdem recentius edita anno 1684.

CA-

## CAPVT III.

### *De Christi præsentia in Sacramento Eucharistiæ.*

I. CAtholici omnes affirmant in Sacramento Eucharistiæ, post panis, & vini Consecrationem, Christum verè, ac realiter esse præsentem; ita vt virtute Consecrationis substantia panis mutetur in Corpus, & vinum in sanguinem Domini, solis accidentibus panis, & vini remanentibus.

Negant Caluinistæ per Consecrationem Christum constitui præsentem realiter, sed tantùm figuratiuè, sic vt nihil adsit præter ipsum panem, & vinum, tanquam figuram, aut signum repræsentans Corpus, & Sanguinem Christi pro nobis oblatum Et in hoc sunt contrarij ipsis Lutheranis, qui admittunt saltem in vsu huius Sacramenti realem Christi præsentiam, sed remanente simul panis, & vini substantia.

II. Probatur Catholicæ veritas ex manifestis Christi verbis Matth. cap. 26 *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hic est Sanguis meus qui pro vobis effundetur.* Atqui non figura Corporis Christi pro nobis tradenda erat, sed verum ipsius Corpus traditum, & eius verus Sanguis effusus est. Ergo Christus illis verbis affirmat verum suum Corpus, & Sanguinem in Sacramento contineri. Sic vt in sensu proprio, & identico non possint illa verba aliud significare, quam Contentum sub hac specie panis est Corpus meum. Vt si Christus in Cana Galileæ, volens vi verborum aquam sibi præsentem in vinum conuertere, dixisset, *Hoc est vinum quod vobis fundetur.* Si quis autem negaret illis verbis hoc posse præstari, non verborum proprietatem, sed Christi potentiam oppugnaret. Necessarium autem est Christum voluisse illis verbis se in Sacramento Eucharistiæ realiter constituere, vel Ecclesiam suam decipere, quod sic declaro.

Si aliquis Pater probus, & prudens promitteret se filijs relicturum auri summam, sicut Christus promisit se Corpus suum relicturum discipulis manducandum, & idem parens postea in vltimo testamento scrinium relinqueret cum his verbis: Hoc est aurum quod vobis tradetur; Quis hominum dubitaret illic verum aurum, & non tantum auri figuram aliquam contineri? vel patrem illum tunc deliraſſe.

III. Regula apud omnes certa est cum S. Augustin. *lib. 3. de doct. Christi cap. 1.* Quando verba Scripturæ sumi possunt propriè, nunquam accipienda esse figuratè, nisi aliunde constet id esse manifestè necessarium. Quod hic minimè constat, cùm Christus non minus potuerit se in Sacramento collocare vere, quàm figuratè, idque verbis illis propriè significate. Quod si nolis hic eam regulam retinere, eodem iure poterunt Ariani explicare loca Scripturæ, in quibus dicitur Christus esse vnus cum Patre æterno, de vnitate aliqua impropriè dicta Vt cùm dicit Christus Ioa. 10. v. 3. *Ego & Pater vnum sumus*, illud rectè intelliget Arianus de vnitate metaphorica, sita in concordia voluntatum, non verò de vnitate substantiæ propriè dicta. Neque vnquam poteris ostendere ex Scripturis Arianos in hoc à vero Scripturæ sensu abertare, nisi ad illam regulam illos adstringas, quæ tequirit vt verba Scripturæ absque necessitate impropriè non intelligantur.

IV. Hunc Chtisti sensum, & realem eius præsentiam declarat Apostolus Paulus 1. ad Corinth. 10. *Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio Sanguinis Christi est, & panis quem frangimus nonne participatio Corporis Christi est?* Et iterum: *Quicunque manducauerit panem hunc vel biberit Calicem indignè reus erit Corporis, & Sanguinis Domini.*

Quomodo reus erit Corporis Domini Indignè manducati, si corpus Domini non manducet, sed eius figuram? Non admittet certè Caluinista eum, qui indignè tractat figuram aut imaginem Christi reum esse culpæ, cùm Christum in sua imagine aut figura honorandum esse prorsus neget.

V. Nulla igitur hic apud Apostolum, nulla apud Euangelistas figuræ mentio, sed omnes eadem verba. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Eodem modo apertè, & simpliciter proponent: quòd certè minimè fecissent, si per Corpus Christi, figuram Corporis Christi intelligi voluissent; quomodo illud intelligi vellent, quod suis verbis toties repetitis non expressserunt?

Quinimò Christus ipse Ioan. 6. vers. 56. dicens: *Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus*, &, *Panis quem ego dabo caro mea est pro sæculi vita*; rem se miram ac nouam declarasse ac promisisse ostendit, subiungens, *Hic est panis qui de cœlo descendit*, &, *qui manducat hunc panem viuet in æternum.* Quid autem miri aut noui, meram particulam panis in sui memoriam discipulis porrigere, aut quid habet hæc triticei panis buccella cut manna cœle-

stis

ſti præferenda, & vitam æternam manducanti allatura dicatur? Hæc autem omnia in ipſum Chriſtum verè, & realiter in Sacramento præſentem rectiſſimè quadrare intelliguntur.

VI. Ad hæc omnia opponunt. Quando Chriſtus dixit, *Ego ſum vitis*, debet vitis intelligi figuratè, Ergo quando dixit, *Hoc eſt corpus meum*, Corpus Chriſti intelligendum eſt figurate. Sed quis non videt, ex illo argumento eodem modo poſſe ſic inferri, Ego ſum vitis, debet intelligi figuratè, Ergo, Ego, & Pater vnum ſumus debet intelligi figuratè, & metaphoricè cum Arianis: atque ita eodem argumento euertes omnia quæ de Chriſto in Scripturis propriè dicuntur, quo realem eius in Sacramento præſentiam auferre moliris. Verùm hæc, & ſimiles ex Scripturis conſequentiæ, per methodum tertiam ſuperiùs aſſignatam retundi debent.

Nunc vlterius ſic concludo. In cognoſcendo ſcripturæ ſenſu primitiua Eccleſia nõ potuit errare: ſed illa agnouit realem Chriſti in Euchariſtia præſentiam, non varò figuratam. Ergo fides de reali Chriſti præſentia non poteſt eſſe erronea.

VII. Ad minorem probandam Patrum primitiuæ Eccleſiæ manifeſta adduco teſtimonia.

S. Cyprianus *ſermone de cœna Dom.* Panis, *inquit*, iſte quem Dominus diſcipulis ſuis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus eſt, omnipotentia Verbi factus eſt caro. Quid quæſo clariùs dici poteſt?

S. Hilarius *lib. 8. de Trin.* De veritate Carnis & Sanguinis non eſt relictus ambigendi locus.

S. Auguſtinus verba Chriſti in ſenſu litterali clarè agnoſcit Conc. 1. in Pſalm. 33. *Ferebatur in manibus ſuis.* Quomodo, inquit hoc intelligatur in Dauide ſecundum litteram non inuenimus; in Chriſto autem inuenimus; ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis, quando commendans ipſum Corpus ſuum ait, hoc eſt Corpus meum; ferebat enim illud corpus in manibus ſuis.

S. Ioan. Damaſc. *de fide lib. 4. c. 14.* Dominus dixit, hoc eſt, non corporis ſignum, ſed corpus, non Sanguinis ſignum, ſed Sanguis.

S. Epiphanius *in ſept. Synodo act. 6.* Nunquam inuenies neque Dominum, neque Apoſtolos, neque Patres incruentum illud Sacrificium quod à Sacerdote offertur, imaginem dixiſſe, ſed ipſum Sanguinem.

Nonne hic audis, nonne vides Scripturam, Chriſtum, Apoſtolos, Eccleſiæ Patres realem Domini in Sacramento præſentiam vnore aperiè profiteri. Certè, niſi velis agnitæ veritati oculos occludere, neceſſarium eſt vt cum S. Hilario iam citato concludas: De veritate carnis, & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus.

Sic enim ad extremum argumentor. Si primitiua Eccleſia negaſſet realem Chriſti in Sacramento præſentiam, hi Patres, qui eam apertè docuerunt, fuiſſent olim hæretici, & ab Eccleſia ſeparati. Sed hoc nemo vnquam dixit aut cogitauit, imò fuerunt ipſi primitiuæ Eccleſiæ præcipui Doctores ac defenſores. Ergo manifeſtum eſt primitiuam Eccleſiam nunquam negaſſe realem præſentiam, ſed illam ſemper docuiſſe, & per ſuos Patres & Doctores poſteris credendam propoſuiſſe.

Præter teſtimonia Patrum primitiuæ Eccleſiæ pro reali præſentia iam breuiter adducta, iuuat paulò expreſſiùs oculis obijcere verba potiſſimũ *S. Ambroſij* & *Cyrilli* Hieroſolymitani, qui quarto ſæculo tam diſertè rem hanc expoſuerunt quàm ſi hodie contra Caluini aſſeclas decertarent. *S. Ambroſius* ipſius S. Auguſtini primus in fide magiſter, & eximinm primitiuæ Eccleſiæ oraculum ſic loquitur lib. 4. de Sacramentis cap. 4. *Sermo*, inquit, *Chriſti hoc conficit Sacramentum; Qui Sermo Chriſti? Nempè in quo facta ſunt omnia. Iuſſit Dominus, & factum eſt cœlum, iuſſit Dominus, & facta eſt terra, iuſſit Dominus, facta ſunt maria, iuſſit Dominus, & omnis creatura generata eſt. Vide ergo quam operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tanta vis in ſermone Domini Ieſu, vt inciperent eſſe quæ non erant, quanto magis operatorius eſt, vt quæ erant, in alia commutentur? Cœlum non erat, mare non erat, terra non erat, ſed audi dicentem, ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandauit, & creata ſunt. Ergo tibi vt reſpondeam, Non erat Corpus Chriſti ante conſecrationem, ſed poſt conſecrationem dico tibi quod iam Corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt.* Si ex his nondum vides *ſenſum primitiuæ Eccleſiæ* contra ſolam corporis figuram, te excœcatum, aut dementatum agnoſcas neceſſe eſt.

Audi eiuſdem circiter æui *Cyrillum* Hieroſolymitanum in ſua Catecheſi myſtagogica. *Cum ipſe dixerit, Hoc eſt corpus meum, Quis audebit deinceps ambigere? & cum idem ipſe iam aſſeueranter dixerit, Hic eſt Sanguis meus, quis vnquã dubitauerit, vt dicat non eſſe eius ſanguinem? Aquam olim in vinum conuertit in Cana Galilææ, & non erit dignus cui credatur, quod vinum in ſanguinem tranſmutarit?* Quomodo poſſit hodie in rem hanc ſimilitudo clarior, aut iuculentius argumentum adduci? Verſa te quo volueris, vel te ipſum, vel primitiuam Eccleſiam erroris neceſſariò condemnabis.

Addo aliud teſtimonium, & argumentum inuincibile ex apertis monumentis *Hiſtoriæ*

*Ec-*

*Eccleſiaſtica* de mente primitiuæ Eccleſiæ.

Ex illa patet euidenter ab infidelibus ſæpè ac vehementer accuſatam, & paſſam fuiſſe Religionem Chriſtianam, quod Chriſtiani eſſent *Antropophagi*, id eſt, comeſtores carnis humanæ, quia Chriſti ſui carnem, & ſanguinem manducabant, vt infrà teſtimonijs citatis oſtendam. Atqui hoc ita intellectum, de manducatione reali Chriſti in Euchariſtia, Chriſtianæ Eccleſiæ Patres tunc viuentes nunquam negarunt, quod paucis verbis facere poterant, dicendo, non manducamus corpus, & ſanguinem Chriſti, ſed tantum illius figuram, ſcilicet panem, & vinum in paſſionis, & mortis illius memoriam.

Ergò ex illa Infidelium accuſatione, & Chriſtianorum reſponſione manifeſtiſſimum eſt, doctrinam primitiuæ Eccleſiæ fuiſſe eandem, quæ nunc eſt Romanæ, Chriſti carnem, & ſanguinem in Euchariſtia verè ac realiter manducari.

In huius argumenti, quod aſſumpſi, probationem euidentiſſimam, ſubijcio Patrum de illa accuſatione tunc in primordijs Eccleſiæ ſeduló tractantium aperta teſtimonia.

Accuſatio iſta patet primò ex *Tertulliano*, qui ſecundo circiter Chriſti quo vixit, *Apologia, cap. 7. & 9. l. 6. contra Celſum*; vbi ſic loquitur: Dicimur ſceleratiſſimi de Sacramento Infanticidij. Qui iſta credis de homine, potes, & facere. Tu homo es, & ipſe quod, & Chriſtianus. Excipe rudem Sanguinem, eo panem tuum ſatia, veſcere libenter. Quod ſi non potes facere, non debes credere, homo eſt enim Chriſtianus, quod & tu.

Adde hominis etiam Athei, ac Philoſophi celebria de hoc teſtimonium: *Auerroes commentar. in metaphyſ.* mundum, inquit, peragraui, multaſque, adeòque omnes regiones circuiui, varias ſectas inueni, ſed Chriſtiana deteriorem, aut etiam fatuam non reperi: *Quia Deum ſuum quem colunt, deuorant*.

En quid poſt accuſationem iſtam ſupra, quid alibi dicat idem Tertullianus *lib. de Reſur. carnis c.* 8. Carne, Corpore, & Sanguine Chriſti veſcimur, vt anima de Deo ſaginetur.

Quid ad eam *S. Cyprianus de cœna*, ſæculo tertio. Quam præclarus, inquit, eſt calix iſte, quam religioſa huius potus ebrietas, per quam accedimus Deo, non habentes ſenſum huius mundi, ſanguinem fugimus, & intra ipſa Redemptoris noſtri vulnera linguam figimus, quo interius, exteriuſque rubricati, à ſapientibus huius ſæculi iudicamur *Amentes*. Quomodo quæſo, primi illi veræ Eccleſiæ Chriſtiani à Sapientibus Ethnicis fuiſſent iudicati *Amentes*; Quomodo accuſati vt *Antropophagi*? Quomodo *Deum ſuum quem colunt deuorare*? ſi illi in memoriam Chriſti ſui, panem tantum, & vinum in ſuis cœtibus more Caluiniſtico manducarent? illi certè ipſi ſapientes ethnici in memoriam amici abſentis, aut defuncti, aut Cereris, & Bacchi ſui, non rarò cum pane, & vino conuiuia celebrabant: nihil proinde ipſis circa primos Chriſtianos, abſque reali Chriſti manducatione, mirum, vel nouum, vel ſupplicio dignum viſum fuiſſet.

Ex prædictis omnibus hoc irrefragabile formatur argumentum. In primitiua Eccleſia primi illi Patres, primi illi Chriſtiani, imo, & primi illi infideles, qui Chriſtianorum Ritus vbique explorabant, in Euchariſtia realem Chriſti præſentiam aperè teſtantur: nec erat in ſequentibus ſæculis vlla ſecta, quæ eam negaret vſque ad Berengarium, qui & errorem illum conuictus retractauit: eodemque tenore hodie tota Eccleſia Romana, imo quoad hanc realem præſentiam Lutherana, in credendo procedit. Atqui primitiua Eccleſia fuit expers erroris, vt ipſi ſectarij fatentur, & Romana ſemper, hodieque in hoc eſt primitiuæ conformis. Ergo omnino fatuus conuincitur, qui contra hunc apertum omnium ſæculorum ſenſum, ſolius Caluini deliramentis adhæret. Quam tenues ſint vmbræ quas Caluiniaſſeciæ pro ſe obijciunt, ex ſequenti earum ſolutione patebit.

## *Refelluntur inania Modernorum Effugia, & Doctoris Morlæi in Anglia.*

OPponunt primò, ſi Chriſtus eſſet realiter præſens in Euchariſtia, deberet idem Chriſti corpus eſſe ſimul in duobus locis diſcretis, ſcilicet in cœlo, & in altari. Atqui idem corpus eodem tempore eſſe in duobus locis inuoluit contradictionem, quia ſic eſſet in cœlo, & ſimul à cœlo abeſſet.

Reſp. Negando minorem, Quia præſentia in vno loco, non eſt negatio præſentiæ in alio loco, in quo ſolo conſiſtit contradictio, ſed ſunt duæ affectiones poſitiuæ eiuſdem corporis, ſcilicet præſentia ad hunc locum, & ſimul præſentia ad alium locum ſeparatum. Hoc ſi neges Deum alicui corpori poſſe concedere, non hoc Sacramentum, ſed potius Dei omnipotentiam oppugnas. Quinimò reipſa vnum corpus in duobus locis diſcretis diuina virtute aliquando extitiſſe, patet *Actor. 9.* vbi Chriſtus in via D. Paulo apparuit, & præſens adfuit, & palam locutus eſt, *Saule, Sau-*

*Saule, quid me perſequeris &c.* & nec tamen ideo cœlum & dexteram Patris deſeruiſſe dicendus eſt, iuxta illud Actor. 3. v 21. *Oportet illum cœlum ſuſcipere uſque ad tempus reſtitutionis omnium*, id eſt, extremi iudicij. Apparuit etiam corporaliter Chriſtus Dominus Petro Romam cogitanti, cum diceret, *vado Romam iterum crucifigi*, vt teſtatur Diuus Athanaſius in Apologia pro ſua fuga, & D. Ambroſius contra Auxentium.

Confirmantur hæc à paritate rationis. Quia poſſunt duo corpora diuina virtute in vno eodemque loco ſimul conſtitui, & ſe mutuo penetrare: quod tamen non minus eſt contra naturalem conſtitutionem corporum, quam vnum corpus in duobus locis diſſitis collocari. Patet Ioannis 20. v. 6. quando ad Apoſtolos *venit Ieſus ianuis clauſis*, vbi cum penetratione dimenſionum in eodem loco fuit ianua & corpus Chriſti, vti paſſim admittunt Sancti Patres, qui in hoc Chriſti ingreſſu manifeſtum miraculum agnoſcunt, vti & in Natiuitate ac Reſurrectione Domini corpus Virginis & ſaxum ſepulchrale penetrantis.

Opponunt ſecundò, de ratione corporis, ſiue quantitatis corporeæ eſt, in loco extendi, ſiue habere partes extra partes. Atqui corpus Chriſti in modica Hoſtia non habet ſuarum partium extenſionem. Ergo nequit Chriſtus corporaliter in Hoſtia conſecrata contineri.

Reſp. Maiorem tantum eſſe veram de extenſione intrinſeca, ſiue, quod debeat habere partes intrinſecè inter ſe diſtinctas, & quoad ſitum internum: non verò quod debeat vna pars eſſe vno loco, & altera pars alio loco quoad ſitum extrinſecum. Cum enim ſitus ille extrinſecus partium ſit tantum proprietas naturalis, quam corpus exigit habere quando relinquitur in ſtatu ſuo naturali, non eſt cur Deus non poſſit illius exigentiæ effectum actualem impedire, ſunt combuſtionem ignis, aut illuminationem corporis ex natura ſua lucidi. Hic proinde à Doctis meritò reprobatur opinio inanis *Carteſij* conſtituentis eſſentiam corporis in actuali extenſione & impenetrabilitate partium, niſi ea aliter explicetur, vt aliqui conantur. Sed hoc pondus habere non poteſt apud hæterodoxos qui paſſim profitentur ſe illius Principijs aduerſari, vti fuſè, & adductis præcipuorum ſuorum Profeſſorum & Academiarum decretis, oſtendit Fridericus Spanheminus ex Academia Leydēſi in Hollandia Profeſſor in lib ſuo de nouiſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidijs, pag. 76. & ſeq.

Confirmatur apertè ex ipſis Scripturis hæc doctrina Lucæ cap. 18 v 25. *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam diuitem intrare in regnum cælorum*, vbi apertè indicatur Deo poſſibile eſſe vt camelus tranſeat per foramen acus, cum dicat hoc facilius eſſe quam diuitem retinentem diuitias intrare in regnum Dei, quod tamen cum diuina gratia eſt abſolutè poſſibile: aliàs & Abraham, & Dauid, & Salomon, & omnes etiam pij Reges & Principes Catholici cœlorum regno excluderentur.

Alia argumenta meræ plebæia, & per ſe futilia, à quouis his principijs inſtructo facilè diſſoluentur.

Ex quibus manifeſtè corruunt noua Aſſerta D. Morlæi in ſuis Tractatibus de Controuerſijs Religionis Romanæ *pag.* 21. & 22. vbi maiori confidentia quam peritia aſſerit, *Tranſubſtantiationem* in Euchariſtia rem eſſe impoſſibilem & incredibilem, vt pote contrariam *Senſuum* teſtimonio & neceſſariò inducentem ad deliria *Scepticorum* non tantum in alijs artibus & ſcientijs, ſed etiam in ipſis Theologicis.

Sed, vt breuiter concludam: Quiſquis Theologus eſt, aut Philoſophus mediocris, ſatis nouit non tantum quatuor, ſed quinque eſſe hominis ſenſus, Fidem autem non eſſe ex viſu, guſtu, &c. ſed ex ſolo *Auditu*, vt teſtatur Apoſtolus ad Romanos 10. *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti*. Verba autem Chriſti de reali ſua præſentia in Euchariſtia adeò ſunt clara apud præcelentiſſimos primitiuæ Eccleſiæ Patres, quos ſupra recenſui, vt non timeamus nos ad alios ſcepticos, quàm ad Chriſtum, Euangeliſtas, & primo Eccleſiæ Patres à D. Morlæo relegari.

## CAPVT IV.

### *De Impanatione Lutherana & præſentiâ Chriſti in ſolo vſu.*

ARgumenta quæ hactenus euincunt in Conſecratione vi verborum panem mutari & conuerti in Chriſti Corpus, & vinum in Sanguinem, probant non fieri impanationem, id eſt, panem cum Corpore Chriſti in Euchariſtia non permanere, vti contra Lutherum docet Eccleſia Catholica cum *Trident. Seſſ* 13. *cap.* 4. Non enim dici poteſt vna ſubſtantia in aliam conuerti, niſi prima deſierit, & altera in eius locum ſuccedat. Sic lignum non poteſt conuerti in ignem, niſi forma

ignis introducta, forma ligni deſierit: neque dici poſſet virga Moyſis conuerſa in ſerpentem, ſi virga cum ſerpente permaneret.

II. Declarant autem hanc tranſubſtantiationem teſtimonia Patrum ſupra allata, qui aſſerunt panem fieri Corpus Chriſti, mutari, conuerti &c. Audi quæſo in quarto ſæculo primitiuæ Eccleſiæ loquentem S. Cyrillum Hieroſ *Catechesi 4. myſtag.* Aquam olim in vinum conuertit in Cana Galileæ, & non erit dignus cui credatur quod vinum in ſanguinem tranſmutauerit?

Idem eodem ſæculo profitetur Gregorius Nyſſen. *Orat. catech. cap.* 37. Recte ergo nunc quoque Dei Verbo ſignificatum panem, in Dei Verbi corpus credo tranſmutari.

Denique S. Ambroſius diſertis verbis ſcribit de pane fieri corpus Chriſti *lib.* 4. *de Sacrament. cap.* 4. Panis iſte panis eſt ante verba Sacramentorum, vbi acceſſerit conſecratio de pane fit corpus Chriſti. Ac pergit ibidem oſtendere nihil hic eſſe creditu difficile: Si enim, inquit, creauit Deus cœlum & terram quando non erant, quantò magis poterit panem & vinum, quæ iam exiſtunt, in aliud commutare.

III. Altera controuerſia cum Lutheranis eſt, quod doceant Chriſtum eſſe realiter præſentem in ſolo vſu, & ſumptione Euchariſtiæ, ſic vt in Hoſtia conſecrata non perſeueret dum exponitur in templo, ſeruatur in pyxide, aut ad ægros defertur.

Sed contra: Poſtquam Chriſtus conſecrationis verba protulit, Euchariſtia aliquo temporis ſpatio in eius, aut Diſcipulorum manibus verſabatur, antequam ſinguli ex Diſcipulis illam manducarent, Ergo ſi ante Communionem Chriſtus erat ſub ſpeciebus Euchariſticis, non eſt ratio negandi quod poſtea extra vſum ſub iiſdem perſeueret. Vel peto à Lutheranis, vt oſtendant, vbinam in Scripturis dicatur, quod ſtatim poſt vſum Chriſtus recedat, & euaneſcat? Nullum certè in Sacris litteris extat iſtius doctrinæ veſtigium. Quinimò ex antiquiſſimo vſu primitiuæ Eccleſiæ conſtat Euchariſtiam aſeruari, & ad ægros deferri conſueuiſſe.

IV. Probatur id primò ex Tertulliano, qui *lib.* 2. *ad vxorem*. teſtatur Chriſtianos ſuo tempore conſueuiſſe Euchariſtiam ad ſuos domum deferre, vt eam opportuno tempore ſumerent. Et *in Serm. de Laſſis*, narrat mulierem quandam, cum arcam, in qua Sanctum Domini fuerat, indignis manibus aperire tentaſſet igne inde ſurgente deterritam fuiſſe. En conſuetudinem ſecundi poſt Chriſtum ſæculi, quo author ille vixit, etiam diuino miraculo comprobatam.

S. Iuſtinus Martyr eiuſdem ſæculi in *Apolog.* 2. aſſerit poſt Sacra peracta Diaconos ſolitos fuiſſe deferre Euchariſtiam ad fratres abſentes.

S. Ambroſius in *Orat. de obitu Satyri* narrat Satyrum fratrem ſuum particulam Euchariſtiæ ad collum ſuſpendiſſe in naufragij periculo & ſic ſaluum euaſiſſe.

S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum, refert S. Exuperium Toloſæ Epiſcopum, Chriſti Corpus in caniſtro vimineo comportaſſe.

Denique hæc Fides, Vſus, & Conſuetudo in primitiua Eccleſia adeò certa, & indubitata fuit, vt S. Cyrillus *in epiſt. ad Galloſyniam*, interminis affirmare non dubitet eos inſanire, qui aſſerunt Euchariſtiam ſi in alterum diem aſſeruetur vim ſuam amittere. Errare non potuit Fides, & Conſuetudo primitiuæ Eccleſiæ, aut qui eam ſequuntur Ergo errare neceſſe eſt eos qui ſolo Luthero duce illi aduerſantur.

## CAPVT V.

### *De Sacrificio Miſſæ, & Communione ſub vtraque Specie.*

DOcet Eccleſia Catholica contra Sectarios Modernos, Chriſtum in vltima cœna non tantum Sacramentum, ſed etiam Sacrificium per Sacerdotes offerendum inſtituiſſe, per illa verba, *Hoc facite in meam commemorationem &c.* prout à vera & primitiua Eccleſia ſemper intellecta fuerunt.

I. Probatur primò, ex Apoſtolo *ad Hebræos, cap.* 7. *v.* 17. vbi declarat de Chriſto verè dici, *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Cum autem Sacerdotis proprium munus ſit offerre Sacrificium, non poteſt Chriſti Sacerdotium in Eccleſia eſſe in æternum ſine perpetuo Sacrificio in Eccleſia offerendo. Atqui cruentum Crucis Sacrificium ſemel tantum offerri potuit, cum Chriſtus ſæpius mori, & immolari nequeat. Ergo tãtùm reſtat vt perpetuò offeratur per ſuos Miniſtros incruentum Miſſæ Sacrificium, aliàs Apoſtoli verba erunt ab omni veritate aliena.

Sacrificium autem illud ſub ſpecie Panis, & Vini offerendum eſſe indicant eadem Apoſtoli verba, dum aſſerit Sacerdotium Chriſti fore ſecundum ordinem Melchiſedech, cuius Sacrificium conſiſtebat in Panis & Vini oblatione, vti patet *Geneſ.* 14. *verſ.* 18. *Melchiſedech Rex Salem proferens panem & vinum, erat enim Sacerdos Altiſſimi.*

II. Pio-

II. Probatur ſecundò, ex eo qnod Deus nullo vnquam tempore reliquerit Eccleſiam ſuam ſine aliquo Sacrificio, quod in ſignum ſupremæ maieſtatis illi offerri debeat. Nam in ſtatu legis naturæ reperimus publicum Sacrificium Deo oblatum per Abelem, Noe, Abrahamum &c. In lege Moſaica plurima erant inſtituta Sacrificia, holocauſta, victimæ, libamina. Ergo nullo modo credibile eſt ſolam Eccleſiam Chriſti relictam eſſe omni vero, & publico ſacrificio deſtitutam, quo poſſit omni tempore Deum placare, laudis, & impetrationis hoſtiam offerre, vitæ ac necis Dominum agnoſcere, quod oblatione ſacrificij propriè præſtatur. Quod diuino cultui adeò proprium eſt, vt nulla vnquam Gens Deum coluerit, quæ ſacrificium aliquod aut victimam non obtulerit. Quomodo igitur cogitari poteſt Chriſtum, qui voluit Eccleſiam ſuam toto orbe diffundi, non ordinaſſe ſacrificium aliquod publicum, & ſuæ Eccleſiæ proprium, in quo omnes gentes conuenirent, & cultu conformi Deum adorarent. Quo autem ſacrificio poterat populus Chriſtianus melius coniungi, ac deſignari, quam per oblationem corporis, & ſanguinis Chriſti in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio?

Ad hunc finem ab exordio Eccleſiæ Chriſtianæ inſtituti ſunt Sacerdotes, & erecta ſunt Altaria. Ad quid enim ſeruiunt Sacerdotes, & Altaria, niſi vt victimæ, & ſacrificia offerantur, ſine quibus totus ille apparatus inanis eſſet, & proprio vſu deſtitutus.

III. Probatur tertiò, ex perpetuo vſu Eccleſiæ Chriſtianæ Miſſæ ſacrificium offerendi, ad hæc vſque tempora continuato: adeo vt mirum ſit, ab ijs qui ſe primæuam Eccleſiam venerari, & ſequi profitentur aliud vnquam fuiſſe cogitatum.

Sacrificium hoc iam inde à Chriſti temporibus in Eccleſia vbique oblatum fuiſſe teſtis locuples eſt S. Irenæus, qui floruit ſecundo poſt Chriſtum ſæculo, ſcribit enim *lib.* 4. *cap.* 32. Chriſtum in cœna Apoſtolos nouam noui teſtamenti oblationem docuiſſe, quam Eccleſia, inquit, ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mundo offert Deo iuxta Malachiæ vaticinium.

IV. Eundem Eccleſiæ primæuæ vſum prodit S. Auguſtinus *in Pſalm.* 33. Ipſe Dominus, inquit, de corpore, & ſanguine ſuo inſtituit Sacrificium ſecundum ordinem Melchiſedech; vnde, & ipſi Apoſtoli ſacrificare leguntur. An ergo Apoſtoli à Chriſti doctrina aberrarunt.

Idem toto orbe Chriſtiano ſacrificium offerri ſcribit iterum Auguſtinus *de Ciuitate Dei lib.* 19. *cap.* 22. loquens de oblatione Melchiſedechi, Ibi (inquit) apparuit ſacrificium quod nunc à Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum. *Et lib.* 4. *de Trinit. cap.* 14. Quid gratiùs offerri aut ſuſcipi poſſit quam Caro Sacrificij noſtri?

S. Ambroſius in *Luc. cap.* 1. Cum ſacrificamus, Chriſtus adeſt, Chriſtus immolatur.

S. Hieronymus *ſuper verba Malachiæ*; In omni loco, ait, offerri oblationem, nequaquam immundam, vt à populo Iſrael, ſed mundam, vt in ceremonijs Chriſtianorum.

Euſebius Emiſſen. *ſer.* 5. *de Paſchate.* Melchiſedech oblatione panis, & vini, hoc nimirum quod in Euchariſtia celebratur, Chriſti Sacrificium figurauit.

S. Iuſtinus Martyr. *in Dialogo cum Tryphone.* Omnia Sacrificia quæ ſuo nomine facienda Ieſus Chriſtus tradidit, id eſt, in Euchariſtia panis, & poculi, quæ in omni loco à Chriſtianis fiunt, præoccupatione vſus Deus, ſibi grata eſſe teſtatur. En iterum S. Iuſtinus ſecundi ſæculi teſtis Sacrificium Euchariſticum in omni loco à Chriſtianis oblatum fuiſſe teſtatur. Ergo vel errarunt omni loco cum SS. Patribus Chriſtiani primitiuæ Eccleſiæ, vel aberrant huius temporis Sectarij huic Sacrificio contrarij.

V. Quoad *Laicorum Communionem*; docet Eccleſia Romana non eſſe neceſſarium præbere Laicis communionem ſub ſpecie vini, contra pleroſque Sectarios.

Primò, quia nullum in Scripturis extat præceptum adminiſtrandi Laicis Euchariſtiam ſub ſpecie vini, vt infrà oſtendam.

Secundò, Quia ipſe Chriſtus duobus diſcipulis in Emaus porrexit Euchariſtiam ſub ſola ſpecie panis, *Luc.* 24. *& cognouerunt eum in fractione panis*, vti eum locum explicant Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, & plures alij. Et tempore Apoſtolorum de fidelibus dicitur, *Act.* 2. *Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorũ, & communione fractionis panis.* Vbi nulla calicis fit mentio, vti nec *Act.* 20. *Vna autem Sabbathi cum conueniſſemus ad frangendum panem.*

Tertiò, quia de communione data ſub vnica ſpecie ſæpe memorant Patres primitiuæ Eccleſiæ, vt infra patebit, quod ſine errore fieri nunquam poſſet, ſi extaret præceptum Chriſti de communione ſub vtraque ſpecie.

VI. Contra hæc, præceptum à Chriſto latum eſſe de præbendo Laicis Calice probare conantur Sectarij primò, ex *Matth.* 26. *v.* 27. *Bi-*

*bire ex eo omnes*. Verum ea verba ad solos Apostolos pertinere declarat Marcus cum addit, *Et bibrunt ex eo omnes*, scilicet Apostoli tunc in cœna præsentes.

Opponunt secundò, verba Christi *Ioan. 6. vers. 53. Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius Sanguinem non habebitis vitam in vobis*. Ergo non habebit vitam qui non sumit Eucharistiam sub specie vini. Sed facile negatur consequentia, non enim requirit Scriptura vt omnes bibant Sanguinem sub specie vini, sed tantum vt bibant Sanguinem Christi quocumque modo id fiat: Iam verò sub specie panis necesse est totum Christi Corpus cum Sanguine coniungi; cum illic Corpus Christi non mortuum, sed integrum, gloriosum, & viuum pro vt modo in cœlo existit, sub vnica panis specie constituatur. Ergo hoc ipso quo aliquis Christi Corpus suscipit sub sola specie panis, Christi pariter Sanguine reficitur. Neque vllus Scripturæ locus plus requirit, quam vt sumatur Sanguis Christi, non verò vt sub vini specie recipiatur.

VII. Et sanè graues admodum erant causæ cur Christus noluerit præceptum sumendi calicis omnibus Laicis imponi. Nam in quibusdam regionibus præsertim frigidis, & à vino, ac commercio remotis, aliquando moraliter impossibile foret vinum in ea quantitate procurare quæ toti populo sufficeret. Magnum quoque ac frequens adesset periculum effusionis, ac irreuerentiæ, si deberet calix per omnes totius populi manus aut ora circumferri, toties impleri, toties detergi &c. Non negant tamen Catholici posse vsum calicis vlli vnquam Laico concedi, sicut Regibus Galliæ concessus traditur, sed docent de illo omnibus concedendo nullum omnino præceptum diuinum extare. Quod autem Sacerdotes debeant sub vtraque specie communicare, non ideo id fit, quod hoc ad Sacramentum, sed quod ad Sacrificium requiratur; vt per Sanguinem quasi seorsim sub specie vini sumptum, & oblatum, Mors, & Passio Christi repræsentetur.

Nullum autem de præbendo Laicis calice præceptum à Christo constitutum, aut à primitiua Ecclesia agnitum fuisse vel ex eo patet, quod Paulinus Presbyter in vita S. Ambrosij narret, dum iam S. Ambrosius esset è vita excessurus, Sacerdotem nomine Honoratum diuinitus ter aduocatum adfuisse, & S. Ambrosio dominicum Corpus obtulisse, sine vlla sanguinis mentione, quod, inquit, vbi accepit emisit Spiritum. Et ipse Dominus non tantum manducanti carnem, & bibenti Sanguinem, sed etiam seipsum sub sola panis specie sumenti vitam æternam promisit, *Ioan. 6. Qui manducat hunc panem viuet in æternum*.

## CAPVT VI.

### *De Confessione Sacramentali.*

I. DOcent Catholici, lapsis in peccatum mortale à Christo præceptam esse confessionem Sacramentalem, formaliter integram, & distinctam quoad speciem, & numerum delictorum, coram Sacerdote ad hoc legitimè deputato.

Hanc confessionem, quam auricularem vocant, negant passim Sectarij, existimantes sufficere se coram Deo peccatorem agnoscere. Quamuis nec in hoc inter se omnes conueniant: constat enim Lutheranos multis locis in Germania etiam coram Ministro suo peccata saltem generice confiteri. In hoc errore conordant Nouatores nostri cum hæreticis Nouatianis à primitiua Ecclesia damnatis, qui oris confessionem, & Sacerdotis Sacramentalem absolutionem penitus sustulerunt: vti tertio post Christum sæculo testatur S. Cyprianus lib. 4. epist. 2. & S. Augustinus de hæresibus Nouatianorum. Fieri autem non potest vt doctrina illa nunc sit vera, quæ in primitiua Ecclesia fuit hæretica.

II. Probatur doctrina Catholica ex Scripturis, quæ hanc absoluendi potestatem Sacerdotibus apertè concedunt Matth. 18. *Quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata, & in cælo, & quæcunque soluueritis super terram erunt soluta, & in cælis*. Et Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur, & quorum retinueritis retenta sunt*. Item Iacob. 5. v. 16. *Confitemini alterutrum peccata vestra*.

Itaque ex illis Christi verbis sic argumentor. In Ecclesia Christi, quæ est perpetua, constituti sunt perpetui Iudices cum potestate ligandi, atque absoluendi peccata. Atqui Iudex non potest absoluere aut remittere peccata, nisi ad ipsius tribunal fuerint relata, & debitè exposita. Ergo ad peccatorum absolutionem à Christo institutam necessarium est, illa à pœnitente Sacerdoti debitè exponi. Non enim potest Iudex absoluere à delictis sibi incognitis, Sacerdos autem nequit delicta cognoscere nisi illi à pœnitente per Confessionem aperiantur, cui soli peccatorum suorum malitia solet esse manifesta.

Neque refert quod Christus Magdalenam, & quosdam alios sine particulari peccatorum con

confeſſione abſoluerit. Chriſtus enim, cum eſſet Deus, poteſtatem habuit abſolutam peccata contra ſuam legam commiſſa quocunque modo condonandi. At miniſtri Eccleſiæ, cum à Chriſto conſtituti ſint Iudices ad ligandum aut ſoluendum iuxta ſtatum pœnitentis, debent eius ſtatum, & delicta expendare, antaquam ſententiam ferant: hunc autem pœnitentis ſtatum purus homo abſque diſtincta peccatorum confeſſione cognoſcere nequit.

III. Atque vt aperte pateat hoc Pœnitentiæ tribunal eo quo diximus modo à Chriſto conſtitutum fuiſſe, & à primitiua Eccleſia perpetuò vſurpatum, ipſam in ſuis Patribus loquentem audiamus.

S. Auguſtinus in *Homil. 49. cap. 3.* Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud Deum ago, nouit Deus qui mihi ignoſcit quid in corde ago: Ergo ſine cauſa dictum eſt, *quæ ſolueritis in terra ſoluta erunt in cœlis*; ergo ſine cauſa ſunt claues datæ Eccleſiæ Dei. Fruſtraneum Euangelium, fruſtranea verba Chriſti, promittimus vobis quod ille negat. En quomodo nobiſcum has Scripturas Auguſtinus intellexerit: & confeſſionem occultam ſoli Deo, non Eccleſiæ miniſtro factam reprobauerit.

Audi iterum, & execrare tam apertum noſtri temporis errorem. Auguſtin. *lib 2. de Viſit. Infirm. cap. 4.* Sunt quidam, qui ſibi ad ſalutem ſufficere autumant, ſi ſoli Deo cui nihil occultum eſt ſua confiteantur crimina: nolunt enim, aut erubeſcunt, ſiue dedignantur ſe offendere Sacerdotibus, quos tamen inter lepram, & lepram diſcernere per legislatorem Dominus conſtituit.... Ergo ad te venire roges Sacerdotem, & fac illum conſcientiarum tuarum penitus particlpem. En quomodo penitus integram requirat fieri Sacerdoti peccatorum Confeſſionem. Audi porrò qua cenſura hanc omittentes ibidem perſtringat. Non ſedneat te, inquit, illa ſomniantium ſuperſtitio, quæ in viſitando confirmat, quaſi ſaluet, Sacerdote inconſulto, ad Deum peccatorum confeſſio.

Idem inculcat antiquiſſimus Athanaſius *Serm. in illa verba*. Inuenietis pullum alligatum. Nondum, inqnit, ſoluta ſunt vincula, tradas teipſum diſcipulis Ieſu, adſunt enim qui te ſoluant pro poteſtate ea quam à Saluatore acceperunt; quæcunque enim ligaueritis inquit in terra, erunt ligata, & in cœlis.

Idem docet S. Baſilius. *Interrogat. 288.* Neceſſariò ijs peccata aperiri debent, quibus credita eſt diſpenſatio myſteriorum Dei.

Idem neceſſarium eſſe confirmat S. Chryſoſt. *lib. de Sacerd.* Qui laborant Chriſtiani, vltrò ſibi perſuadeant Sacerdotum curationi ſe ſubmittere oportere.

S. Cyprianus tertio poſt Chriſtum ſæculo, *lib. de lapſis*, Confiteantur ſinguli delictam ſuum dum admitti eius Confeſſio poteſt, per manus impoſitionem Epiſcopi, & Cleri ius Communicationis accipiant.

Innocentius I. quinto poſt Chriſtum ſæculo, in vita S. Ambroſij. De pondere æſtimando delictorum Sacerdotis eſt iudicare, ſed quomodo niſi illi innoteſcant.

Ex his iterùm aliud inferre non potes, quam falli Scripturas, errare Patres primitiuæ Eccleſiæ, aut certè illos à veritate deuiare, qui Sacramentalis Confeſſionis neceſſitatem non admittunt.

## CAPVT VII.

### *De Purgatorio.*

I. DOctrina Catholica eſt, præter Infernum damnatorum, extare alium locum quem Purgatorium diximus, in quo animæ iuſtorum, quæ in hac vita ſufficienter expiatæ non fuerunt, in altera vita expurgantur antaquam ad cæleſtem gloriam recipiantur. Negant hæc Lutherani, & Caluiniſtæ: & olim negauit Aetius orationes fidelium defunctis prodeſſe, cuius doctrinam inter hæreſes reponit Epiphanius, & Auguſtinus de hæreſibus Aetij.

Probatur primò neceſſarium eſſe talem locum expiatorium ſupereſſe. Sæpè homo, qui peccauit mortaliter, liberatur à reatu culpæ, & pœnæ æternæ, non tamen ab omni pœna temporali. Sed homo diſcedens ex hac vita cum reatu pœnæ temporalis non poteſt in cœlum admitti: nihil enim inquinatum intrabit in regnum cœlorum. Ergo debet ſupereſſe locus purgatorius in quo illa temporalis pœna perſoluatur.

Maior probatur manifeſtis Scripturæ exemplis.

Primò Moyſes, & Aaron propter peccatum incredulitatis, quod ipſis remiſſum erat, puniti ſunt morte temporali à Deo illis conſtituta, ne ingrederentur terram promiſſionis, vti patet Num. 20. & Deuter. 33.

II. Dauid poſt impetratam veniam adulterij, & homicidij, punitus tamen fuit à Deo morte filij admodũ dilecti ex adulterio geniti, Nathan Propheta tã remiſſionem peccati, quã

pœnam ſuperſtitem declarante 2. Reg. 12. *Tranſtulit quoque Dominus peccatum tuum, verumtamen paruulus qui tibi natus eſt moriatur.* Idem patet in eodem Dauide 2. *Reg.* 24. vbi inſſus eſt vnum ex tribus peſtem, famem, vel bellum eligere in vindictam peccati ab eo humiliter agniti, & à Deo apertè condonati. Quando igitur contingit interueniente morte pœnam temporalem pro peccato remiſſo reſtantem in hac vita non perſolui, manifeſtum eſt in altera vita debere expiari: at non in cœlo, neč in inferno, ergo in Purgatorio. Sicut etiam inter homines Rex aut Princeps condonat Reo crimen læſæ Maieſtatis, & pœnam capitis, iubet tamen aliquando aula abeſſe, aut carcere ad tempus detineri.

III. Probatur ſecundò dari hunc purgatorij locum Matthæi 12. v. 32. *Qui dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Ex quo ſatis apertè colligitur aliquam eſſe peccatorum remiſſionem in ſæculo futuro: quod ex eodem loco colligit etiam S. Auguſtinus lib. 21. de ciuit. Dei, cap. 24. Patet idem ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 3. v. 15. *Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem.* Quod de igne purgatorij interpretatur idem Auguſtinus in Pſal. 37. *ſub initium.*

Denique diſertiſſimis verbis id Scripturæ declarat 2. Machabæor. 12. vbi Iudas Machabæus maximis impenſis iuſſit publicè Sacrificium offerri pro mortuis, qui in acie occiderant, vt à peccatis ſoluerentur: cuius factum ibidem his verbis approbatur. *Sancta igitur, & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare vt à peccatis ſoluantur.* Quod factum tam publicum in luce totius populi, & teſtificatio tam aperta, etſi Scripturæ non foret, ſatis oſtendit quis fuerit ſenſus, & fides antiquiſſima illius Eccleſiæ ante Chriſtum, de pœna temporali poſt mortem remanante, & de virtute orationis, & ſacrificij ad illam redimendam.

IV. Hoc autem eſſe indubitatum Scripturæ teſtimonium, hanc eſſe praxim, & conſuetudinem in vera Chriſti Eccleſia, vt ne vel minimum hærere poſſis, teſtabitur primitiuæ Eccleſiæ Doctor, & oraculum S. Auguſtinus *lib. de cura pro mortuis cap.* 2. In Machabæorum (inquit) libro legimus oblatum pro mortuis Sacrificium: ſed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret authoritas, vbi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum. Audi rurſus, *ibidem cap.* 4. Non ſunt prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana, & Catholica Societate defunctis ſuſcepit Eccleſia.

Eandem iterum, & ſuam, & Apoſtoli mentem inculcat, & exponit Auguſt. lib. 20. Homil. 16. Qui temporalibus pœnis digna geſſerunt, per ignem quendam purgatorium tranſibunt, de quo Apoſtolus ait, ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem.

V. Eandem Eccleſiæ fidem ante Auguſtini tempora confignat Tertullianus, *lib. de corona militis cap.* 3. Oblationes pro defunctis annua die facimus.

Eandem declarat 4. ſæculo *Concil. Nicænum Can.* 63. Nuncietur de morte Epiſcopi omnibus Eccleſijs, & Monaſterijs illius Diœceſis, vt fiat oratio pro eo. *Et Carthaginenſe 4. cap.* 79. Pœnitentes, ſi caſu in itinere vel in mari mortui fuerint, vt eis ſubueniri non poſſit, memoria eorum, & orationibus, & oblationibus commendetur.

Nec quiſquam ferè eſt SS. Patrum, qui hanc materiam attigit, quem non poſſim huius doctrinæ teſtem adducere. Quid enim ſingulis opus eſt cum iterum, & apertè, & ſine dubitatione *Auguſt. de verbis Apoſtol. ſerm.* 31. teſtetur hanc eſſe fidem, & ſuam, & Eccleſiæ vniuerſæ. Orationibus, inquit, ſanctæ Eccleſiæ, & Sacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quæ pro defunctorum ſpiritibus eroganter, non eſt dubitandum mortuos adiuuari ... Hæc enim à Patribus vniuerſa obſeruat Eccleſia.

Qui hæc audit, & adhuc præſractè purgatorium negat, ſecurus eſſe poteſt ſe nunquam ad Purgatorium peruenturum.

Ad Auguſtini de hoc teſtimonium ſuprà allatum num. 4. ea quam demum ſutiliter ſe expedire conetur Doctor *Morlanus* nunc apud Anglos celebris, de hac controuerſia agens *pag.* 57. Auguſtinus, inquit, non ex propria ſententia locutus eſt, ſed ex aliorum ſcilicet Hieronymi, cum alijs vitis magnis, quibus noluit Auguſtinus repugnare. Agnoſcit igitur S. Hieronymum, & alios magni nominis viros in Eccleſia illa primitiua ita nobis conſenſiſſe, ſenuit tamen S. Auguſtinum, quamuis idem apertè pronuncianiem, illis annumerare, quia nempe ex quadam aliorum reuerentia, aut reſpectu humano ſic iocutus eſt. Neſcio certè quis Spiritus etiam priuatus potuerit Morlæo reuelare arcanum illud Auguſtini conſilium, & diſſimulationem tanto vi-

ro indignam. Sed vnde prouenire ſoleant, iſtiuſmodi inania effugia docet nos ipſe Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 18. *Vis videri aliquid dicere dum tacere erubeſcis, & inania loqui non erubeſcis.*

## CAPVT VIII.

### *De Indulgentijs.*

DOcent Catholici dari in Eccleſia poteſtatem concedendi Indulgentiam, quæ conſiſtit in remiſſione pœnæ temporalis debitæ peccatis actualibus commiſſis poſt Baptiſmum, & remiſſis quoad culpam, extra Sacramentum facta, ex theſauro Eccleſiæ ſatisfactionum reſtantium Chriſti & Sanctorum: idque tam quoad viuos, quam quoad defunctos qui in Purgatorio verſantur.

Negant hanc poteſtatem paſſim hæretici moderni: illis in hoc errore præiuerunt alij ab Eccleſia pridem damnati. Primò VValdenſes, appellati pauperes de Lugduno, quorum octauus error fuit, indulgentias quæ à ſummo Pontifice conceduntur nihil prorſus valere: ſecundò, Ioannes VVicleſus cuius errores damnantur in Synodo Conſtantienſi §. 8. In articulo VVicleſi 42. aſſerente, Fatuum eſſe credere Indulgentijs Papæ & Epiſcoporum: Cui Concilio generali interfuerunt ſupra mille Patres, Anno 1415. 3. Hunc ſecuti ſunt Huſſitæ apud *Cochlæum* de hiſt. Huſſitarum. Hos maiores habuit Martinus Lutherus qui ab Indulgentiarum oppugnatione ſectæ ſuæ principium fecit, vti patet in illius articulis a Leone X. & Trid. Damnatis. Poſtremò Ioannes Caluinus Indulgentias copioſius oppugnauit in ſua Inſtitutione Chriſtiana *lib. 3. cap. 5.*

Contra hos probatur doctrina Catholica primò, Quia ſupra de Purgatorio oſtenſum eſt manifeſtè, talem pœnam temporalem frequenter ſupereſſe poſt culpæ remiſſionem.

Probatur 2. hanc pœnam temporalem per Eccleſiæ Indulgentias poſſe remitti, primò ex ſacris Litteris, 1. ad Coloſſenſes, 1. vbi Apoſtolus dicit, Nunc gaudeo in paſſionibus meis pro vobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea, pro corpore eius, quod eſt Eccleſia. Vbi patet eum eſſe paſſum pro fidelibus Eccleſiæ: quod verò dicitur, quæ deſunt paſſionum Chriſti, non intelligitur, quod Chriſtus plenè non ſatisfecerit, & non ſufficerit ad redemptionem humanæ naturæ, ſic enim falſum eſt, & hæreticum, ſed intelligitur, quod hriſtus C, & Eccleſia ſit vna perſona myſtica, cuius caput eſt Chriſtus, corpus verò eſt congregatio fidelium, quilibet verò iuſtus eſt quaſi membrum, vt habetur 1. Cor. 12. Deus verò ſua prædeſtinatione conſtituit, quantum meritorum deberet eſſe in tota Eccleſia tam in capite, quàm in membris; his verò verbis demonſtrat Apoſtolus æruminas Sanctorum excedentes peccata adiungendas paſſionibus Chriſti ad communem totius Eccleſiæ vtilitatem &c. Cum ergo de exceſſu pœnalitatum ſuarum ſancti non ſint remunerandi in ſeipſis, nec alteri eum applicauerint, ſequitur, quod huiuſmodi merita repoſita ſint in theſaurum Eccleſiæ diſtribuenda per Vicarium Chriſti, theſauri illius claues, ſiue poteſtatem habentem, vt dicitur in *d. cap. vnigenitus.*

Probatur tertiò ex 2. ad Corint. 2. vbi Apoſtolus dicit, cui vos donaſtis, & ego, nam quod donaui, ex perſona Chriſti donaui; ſcilicet, pœnam per indulgentias, per quas pœna condonatur in perſona Chriſti, id eſt, in poteſtate ſibi à Chriſto relicta. Idem probatur, ex locis quibus oſtenditur poteſtas clauium, vt Matth. 16. Tibi dabo claues regni cœlorum, quodcunque *ligaueris*, &c. poteſt verò quis ligari, & quoad culpam, & quoad pœnam, ergo & abſolui. Et illud Ioan. 20. Quorum remiſeritis, &c. intelligitur etiam quoad pœnam.

Probatur quarto eadem veritas ex Concilijs, & primò ex Ancirano, *can.* 2. vbi quibuſdam Diaconis qui ſacrificarunt idolis, reuertentibus, conceditur relaxatio pœnæ, & *can.* 5. vbi conceditur facultas Epiſcopis indulgendi ijs qui manducauerant ſacrificata idolis, ſi reſipuerint: & in Concilio Nicæno *can.* 2. idem Epiſcopis conceditur: & in Concil. Tribur. relato in *c. cum ex eo* de pœnit. & remiſſ. damnatur abuſus quidam concedendi illegitimè indulgentias, & idem abuſus damnatur in Conc. Romano, de *pœnit. & remiſſ. in* 6. & in Concil. Conſtantienſi, ſeſſ. 8. in damnatis articulis VVicleſi, inter alios damnatus fuit hic, quod indulgentias negauerit.

Quintò, ex Patribus, idem confirmat Cyprianus *ſerm. 5. de lapſis*, vbi reprehendit ſacerdotes, quod nimis ſint indulgentes in remittenda pœnitentia, quod de indulgentijs indiſcretis etiam poteſt intelligi: & apertè id probat D. Hieron. vt habetur *c. menſuram*, de pœnitent. diſtinct. 1. & Tertul. *l. 2. ad vxorem* hortatur illam poſt mortem ſuam ad ſtatum viduitatis, & inter alia, ad frequentandas ſtationes, pœnæ ſatisfactorias.

Frustra autem opponunt, quod per hanc indulgentiarum concessionem lædatur diuina iustitia: nam quomodo illa lædi potest, quando illi satisfit tam ex propria, quam ex aliena satisfactione ab Ecclesia illi summisse oblata? Nec obstat etiam quod dicatur Luc. 17. Cùm feceritis hæc omnia, dicite serui inutiles sumus. Quia id tantum indicat merita, & præmia bonorum operum non tam nobis, quàm diuinæ gratiæ, & acceptationi deberi. Cum quo clarè consistit ista opera bona esse simul satisfactoria, & expiatoria pœnæ temporalis ex eadem Dei gratia, & acceptatione, vti ex pluribus Scripturæ exemplis supra ostendimus. Et sic poterunt Sancti non solum pro se satisfacere quoad pœnas temporales, sed etiam pro alijs; constituendo inde thesaurum indulgentiarum, vel vt melius dicam, illum augendo iam per Christum constitutum, vt supra declaratum.

Plura de indulgentijs ac Iubileo resoluuntur infra *Tom. II. Parte III. Tractatu III cap. 6. & ultra.*

## CAPVT IX.

### *De Ieiunijs Ecclesiasticis.*

PRimò, docet Ecclesia Romana, certos ieiunij dies ab Ecclesia constitutos sub præcepto obseruandos esse. E contra sustinent moderni Sectarij, Institutionem ieiunij pro certis diebus esse penes Communitates singulas pro opportunitate temporis, & occasionis occurentis.

Secundò, docet Ecclesia Romana, meritoriam esse apud Deum abstinentiam à certis cibis diebus illis ab Ecclesia constitutis. Contendunt ex aduerso modarni Sectarij, abstinentiam illam impiam esse, & Christianæ libertati contrariam.

Tertiò, doctrina est Ecclesiæ Romanæ, per prædictum ieiunium aut abstinentiam nos posse satisfacere diuinæ iustitiæ pro pœnis temporalibus peccatis nostris debitis. Contra docent illi, hanc contra Christum grauem esse blasphemiam, vti inter Sectarios recentiores dedueit Guilielmus PerKinsius de Ieiunio Controu. 12. cap. 2. §. 2. Horum singula quam euidenter falsa sint contra Scripturas, & testimonia Patrum primitiuæ Ecclesiæ, in sequentibus dilucidè expono.

Ac primò, de ieiunio Quadragesimali doctrina Ecclesiæ Romanæ clarè probatur, *Exodi cap. 34. vers. 28.* ex ieiunio Moysis quadraginta diebus, & noctibus in ipsis Scripturis semper probato, & laudato. 2. ex ieiunio Eliæ 1. *Regum cap. 19. v. 8.* qui ieiunauit 40. diebus, & noctibus donec perueniret vsque ad montam Dei Horeb. 3. Matthæi cap. 4. v. 2. ex ieiunio Christi 40. diebus piè ac sanctè suscepto.

Opponunt Sectarij ialunia hæc miraculosa fuisse, ac proinde veræ Ecclesiæ non imitanda. Fateor quidem miraculosa fuisse in quantum illi omni alimento abstinuerunt. At Ecclesiæ pro suo modulo per certorum ciborum, & quantitatis abstinentiam non tantum licitè, sed etiam piè suscepta, & postea dicto modo præcepta fuisse, ex testimonio Patrum primitiuæ Ecclesiæ manifestè demonstratur.

I. Sub ipsum Ecclesiæ axordium anno Christi 80. Constitut. Apostolicarum lib. 5. cap. 12. apertè id testatur his verbis: *Post dies Epiphaniarum, seruandum no bis est ieiunium Quadragesima, quod vitæ Christi, & legis latę recordationem continet.*

II. S Ignatius Martyr anno Christi 100. in Epistola sua ad Philippenses, *Quadragesimale*, inquit, *ieiunium no spernatis, continet enim exemplum conuersationis dominicæ.*

III. S. Ambrosius anno 374. sermone 7. de eodem ieiunio sic pronunciat: *Hoc fecit causa salutis nostræ, vt rem eidem non solum doceret verbis, sed etiam exemplis institueret, vt ijsdem vestigijs quibus ad fidem currimus, ad abstinentiam graderemur.*

IV. S. Hieronymus anno 390. vt de hoc prolixiora ipsius effata præteream, sic rem breuiter declarat lib. 2. aduersus Iouinianum cap. 11. *Ipse Dominus quadraginta diebus Christianorum ieiunium sanctificauit.*

V. S. Augustinus anno 420. in quæstionibus super Genesim lib. 1. cap. 169. *Non frustrà quadraginta dies ieiuniorum sunt constituti, quibus Moyses, & Elias, & ipse Dominus ieiunauit.* Idem declarat pluribus in Psalmum 100. & Epist. 19. cap. 15. & Patres cæteri quos breuitati studens prætereo.

Sed ne dicas hæc Patrum testimonia rigidum præceptum non importare, audi inter primos Ecclesiæ primitiuæ Pontifices Clementem Romanum anno Christi 80. in Canone Apostol 68. *Si quis Episcopus vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor Sanctam Paschæ Quadragesimam non ieiunat, præterquam si propter imbecillitatem corporis impediatur, deponatur; si laicus sit segregetur.* Si quem eo adducit ventris ingluuias vt hæc nec audiat nec intel ligat, De eo cum vateri paræmia dicendum: *Venter aures non habet.*

Ex his satis conuincitur, quod possit Ecclesia pro omnibus fidelibus in communi alios etiam ieiunij dies præcipere. Patet id magis in particulari tam in antiquo quam Nouo testamento, Lib.1 Reg.cap.14 vers.24.lib.2.Paralipom.cap.20.vers.3. Ieremiæ cap.35.vers.6. & 8. lib.1.Esdræ cap.8. vers.21. Estheris cap.4. vers. 18.Actor.cap.16.vers.4.

Testis huius potestatis in ipso primo Ecclesiæ sæculo est Sanctus Ignatius Martyr, in Epistola sua ad Philippenses: *post passionis Dominicæ hebdomadam ieiunare quarta, & sexta feria ne negligatis.*

Idque ab Ecclesia pro *alijs etiam diebus* statutum constat in secundo sæculo ex Decreto S. Vrbani Pontificis anno 224. apud Gratianum distinct.76. *Statuimus, vt ieiunia quatuor temporum hoc ordine celebrentur: Primum initio Quadragesimæ, secundum in Hebdomada Pentecostes, tertium verò in Septembri, quartum in Decembri more solito fiat.* Vbi etiam iudicatur hoc præceptum eiusque obseruationem temporibus anterioribus in more positum fuisse.

Doctrinam verò modernorum Sectariorum huic contrariam, etiam tempore Sancti Augustini pro Hæresi agnitam fuisse, patet ex ipsius libro de Hæresibus, hæresi 53. *Ariani ab Ario quodam sunt, qui in Arianorum hæresim lapsus, proprias quoque dogmata fecerit addidisse nonnulla, dicens, orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere, nec statuta solemniter celebranda esse ieiunia, sed cum quisque voluerit, ieiunandum, ne videatur esse sub lege.* Ab alijs Patrum, ac Conciliorum in hanc rem testimonijs abstineo: ne sim prolixus: pauca tantum argumenta, quæ apud Aduersarios præcipui ponderis sunt breuiter dissoluo.

Obiciunt igitur primò, Ecclesia nullum potest imponere præceptum, quod obliget sub peccato, quod probant ex Matthæi cap. 15. Frustra colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Atqui ieiunia, & abstinentiæ Ecclesiæ Romanæ sunt tantum mandata hominum. Ergo non obligant sub peccato.

Respondeo, negando maiorem, ad probationem dico, tantùm ibi damnari mandata hominum, quæ sunt contraria legi diuinæ, vti ex contextu patet, præceptum autem ieiunij non repugnat legi diuinæ, cum ieiunium non sit res mala, & ipsa lex diuina præscribat obtemperandum esse legitimo superiori rem non malam præcipienti. Vnde ridiculè Aduersarij, dum vrgent seruandum præceptum diuinum, non obediendo mandatis hominum, volunt ipsum præceptum diuinum contemni, quod mandat obedire præceptis superiorum, vt habet Apost

Obedite Præpositis vestris.

Et passim in Scripturis.

Obijciunt secundò: Dicit Christus Matth. cap.15. *Quod intrat per os non coinquinat hominem* Ergo abstinentia à carnibus, &c. non potest præcipi sub reatu peccati mortalis.

Respondeo, Quod intrat *in os*, *per se* quidem non coinquinat hominem, sed coinquinat hominem *inobedientia* illius hominis, qui facit cibum vetitum per os suum intrare: Alias ne quidem peccasset *Adam* comedendo fructum vetitum, qui sanè per os intrauit? Neque in nouo Testamento peccasent Fideles comedendo sanguinem, & suffocata, quando erant ab Apostolis prohibita in Act. Apostolorum cap.15. Ridiculos autem reddit Aduersarios, quod Christus hic respondeat Pharisæis, qui superstitiosum, & supremum vrgentes rigorem, volebant illius Discipulos coinquinari, quod *manibus illotis manducarent.* Quid hoc facit ad solidum, & expressum Ecclesiæ præceptum ex Scripturis, & Patribus supra demonstratum.

Obijciunt tertiò, ex Apostolo 1.ad Corinth. c.10.v.25. Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam... si quis vocat infidelium, & vultis ire, omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit, hoc immolatum est idolis: nolite manducare, propter illum qui iudicauit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico non tuam sed alterius.

Respondeo breuiter, interrogando, quid ibi dicat Apostolus, nisi vt quæ tunc prohibita non erant liberè manducarentur, quales erant carnes in macello venales, aut indiscriminatim appositæ, & quæ prohibita erant non manducarentur, quales erant carnes propositæ tanquam idolis prius immolatæ, & quasi in illorum honorem sumendæ. Quid quæso facit hoc pro manducandis sine peccato carnibus aut cibis posteà pro certis diebus ab Ecclesia absolutè prohibitis? Si tunc potuerint ritè ab Ecclesia prohiberi carnes appositæ tanquam idolis immolatæ, & *Actor.cap.20. & 25.* vsus sanguinis, & suffocati, cur iam ab eadem Ecclesia non possint certis diebus carnes aut cibi alij interdici? Quinimmo ex hac prohibitione carnium idolis oblatarum hi nostri carnis, & ventris patroni suo potius argumento seipsos iugulant. Sed malunt illi in suo Ægypto super ollas carnium sedere, quàm

quam ad terram promiſſionis per abſtinentiam proficiſci.

## CAPVT X.

### *De Peccato Originali, Mortali, & Veniali.*

DOcet Lutherus, & Caluinus peccatum Originale, quod ab Adamo contraximus conſiſtere in Concupiſcentia, ſiue inclinatione ad malum concupiſcendum, quod Theologi vocant concupiſcentiam in actu primo. Negarunt hoc omni tempore Catholici.

Probatur manifeſtè ex Ratione, & Scriptura. Quia quidquid habet rationem peccati, id per Baptiſmum tollitur, vti agnoſcunt omnes, qui Baptiſmum admittunt. Atqui Concupiſcentia illa per Baptiſmum non tollitur. Ergo peccatum originale in concupiſcentia illa non conſiſtit. Minor apertè probatur, tam ex perpetua experientia, qua etiam baptizati ſentiunt inclinationem ad malum concupiſcendum, quam ex teſtimonio Apoſtoli ad Rom. 7. v. 23. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Ex qua lege proueniunt motus concupiſcentiæ ad malum appetendum, vt idem teſtatur ad Galat. 5. v. 17. *Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem.* Vnde manifeſtum eſt in Apoſtolo, adeòque in Baptizatis, & Sanctis concupiſcentiam illam remanere, in quibus tamen non permanet peccatum originale.

Obijciunt Aduerſarij primò, Apoſtolus concupiſcentiam dicit eſſe peccatum ad Roman. 6. v. 12. *Non regnet peccatum in corpore veſtro mortali.* Secundò, Quod non eſt à Deo peccatum eſt: ſed concupiſcentia non eſt à Deo: ergo concupiſcentia peccatum eſt. Minorem probant ex illo 1. Ioannis 2. v. 16. *Omne quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt ..... quæ non eſt ex Patre.* Tertiò, Chriſtus aſſumpſit omnes hominis miſerias, excepto peccato: atqui non aſſumpſit hominis concupiſcentiam: ergo concupiſcentia eſt peccatum.

Reſpondeo ad primum, Apoſtolum, non monere vt *peccatum*, ſiue concupiſcentia nullo modo ſit in corpore noſtro mortali, ſed vt non *regnet*, ſcilicet per liberum voluntatis conſenſum, vti etiam SS. Patres explicant.

Ad ſecundum, diſtinguenda eſt minor. Concupiſcentia noſtra non eſt à Deo illam primùm volente, & creante in Adamo, concedo non eſt à Deo illam poſtea permittente in pœnam peccati originalis, nego: & hoc ſenſu rectè dicit Scriptura illam non eſſe ex Patre: vnde non ſequitur concupiſcentiam eſſe ipſum peccatum originale, ſed tantum pœnam peccati originalis, quod præſupponit.

Ad tertium, falſa eſt maior: quia Chriſtus non aſſumpſit ignorantiam, febres, aut alios morbos, non enim proderant hæc ad generis humani redemptionem. Vnde quando de Chriſto dicitur ad Hebr. 2. v. 17. Debuit per omnia fratribus aſſimilari, clarum eſt illud non intelligi de omnibus miſerijs humanis à peccato diſtinctis, ergo nec de concupiſcentia etſi in illa peccatum originale non conſiſtat.

Peccatum igitur originale in ſenſu Catholico ſitum eſt in ipſo peccato Adami in poſteros transfuſo, ſiue in priuatione iuſtitiæ originalis à poſteris participanda niſi primi parentis peccatum obſtitiſſet, vti cum alijs explicat *D. Thom. 2. 2. q. 82. art. 3.*

De peccato *Mortali*, *ac Veniali* contra Catholicos docuit Gommarus, ac Peisgius, & poſt illos Lutherus, ac Caluinus, Peccata omnia ex natura ſua eſſe mortalia, & mereri pœnam æternam: & tantum quædam eſſe venialia hoc ſolum ſenſu, quod ea iuſtis non imputentur. Ac Lutherani quidem affirmant, infidelium peccata omnia eſſe mortalia, & à Deo imputari, fidelium verò omnia peccata eſſe venialia, ſiue à Deo illis non imputari, excepto peccato infidelitatis, cum conſequenter doceant per ſolam fidem hominem conſtitui iuſtum. Caluiniſtæ verò mordicus tenent omnia peccata quorumuis reproborum eſſe mortalia, & prædeſtinatorum peccata omnia eſſe venialia, ſiue ad damnationem non imputari.

Probatur contra hos doctrina Catholica. Quia dantur aliqua peccata, quæ neque per ſe mortem animæ adferunt, neque pœna æterna digna cenſentur: ergo dantur aliqua peccata quæ per ſe ſunt merè venialia in quouis hominum genere. Probatur antecedens, Quia mors animæ conſiſtit in priuatione gratiæ: atqui ſunt aliqua peccata, quæ non priuant animam gratia, aut ream conſtituunt pœnæ æternæ, vbi patet ex illo Prouerb. 24. v. 16. *Septies in die cadit iuſtus*: & clariùs ex illo Iacobi 3. verſ. 2. *In multis offendimus omnes*: ac denique clariſſimè ex Euangelio Matthæi cap. 5. verſ. 22. *Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo, Racha, reus erit Concilio: qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Vbi apertè diſtinguitur tripiex peccatum iracundiæ, quorum tantum tertium conſtituit reum ignis æterni: vnde manifeſtum euadit

alia

alia quæ ſic reum non conſtituunt eſſe tantum venialia:

Obijciunt primò illud Ezechielis 18. verſ. 4. *Anima quæ ipſa peccauerit morietur*. Vbi ad mortem animæ nulla ſtatuitur diſtinctio peccati mortalis & venialis.

Reſpond. Sermonem illic eſſe de certis tantum peccatis grauioribus, ſcilicet, Idololatria, homicidio, vſura & rapina, quorum ſingula ex genere ſuo ſunt mortalia: vnde ineptè inferes, nulla dari alia leuiora ac venialia peccata.

Obijciunt ſecundò, quodlibet peccatum offendit Deum infinitè bonum. Ergo quodlibet eſt dignum pœna infinita ſiue æterna, adeoque mortale.

Reſp. Quodnis peccatum offendit Deo infinitè bonum ſaltem leuiter, concedo: offendit grauiter, ſic vt cum Deo diſſoluat amicitiam & charitatem, nego: ſicut enim poteſt Deus infinitus leuiter & finitè amari ac coli, ita poteſt leuiter ac finitè offendi citra amicitiæ diſſolutionem, ſicut in offenſionibus ſummorum Principum cum aliqua proportione oſtendi poteſt.

Denique ſi fundamentum aduerſariorum, de peccatorum imputatione ſubſiſteret, apertè etiam contra ipſos ſequeretur, Baptiſmum & Pœnitentiam eliminandam eſſe. Reprobis enim nihil illa proſunt, ſi nullum ipſis peccatum remittitur, vt iſti volunt. Neque prædeſtinatis ſunt neceſſaria, ſi nullum ipſis peccatum imputatur. En ad quæ præcipitia hæc vertigo impellat.

## CAPVT XI.

### *De Cultu, & Inuocatione Sanctorum.*

I. FIdes Catholica docet primò, cultum latriæ ſoli Deo tribuendum eſſe, nullamque creaturam poſſe adorari; niſi adorationem impropriè accipias, vti ab Abrahamo dicitur Angelus adorari Gen. 18. v. 3. & alibi.

Docet ſecundò, ſolum Deum inuocandum eſſe tanquam ſupremum rerum omnium Dominum, ac largitorem omnium donorum tam naturæ, quàm gratiæ.

II. Admittit tamen Sanctos in cœlo regnantes tanquam Dei amicos religioſo cultu honorandos eſſe: & vt noſtros apud Deum interceſſores, ac Patronos inuocari poſſe. Vtrumque negant omnes huius temporis Sectarij: & ante illos varij pro hæreticis à primitiua Eccleſia damnati, vt Vigilantius apud *S. Hieronymum cap. 3. aduersùs Vigilantium*: & Manichæus apud *S. Auguſtinum lib. 20. cap. 4. contra Fauſtum*. His autem à primitiua Eccleſia reprobatis conſentire, aliud eſſe non poteſt quàm à veræ Eccleſiæ ſenſu aberrare.

III. Probatur porrò Catholica veritas primò, Quia ex Scripturis conſtat vtile ac pium eſſe inuocare homines ſanctos in hac Vita exiſtentes. Ergo multò magis vtile ac pium erit inuocare Sanctos in cœleſti gloria cum Chriſto regnantes, & in perfecto illius amore & fauore in æternum conſtitutos.

Antecedens patet ex Apoſtolo 2. ad Theſſalonicenſ. 3. *Fratres orate pro nobis vt ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos*. Et ad Coloſſ. 4. v 2. *Orationi inſtate, orantes ſimul & pro nobis*. Et ad Roman. 15. verſ. 30. *Obſecro vos fratres per Charitatem ſancti Spiritus vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui ſunt in Iudæa*. Denique ad poſtulandum huiuſmodi patrocinium hortatur ipſe Deus, Iob c. 42. v. 8 *Ite ad ſeruum meum Iob & offerte holocauſtum pro vobis; Iob autem ſeruus meus orabit pro vobis, faciem eius aſpiciam, vt non vobis imputetur ſtultitia*.

IV. Sanctos quoque in cœlo exiſtentes nobis patrocinari, & vtiliter ac piè inuocari, patet Danielis 3. v. 35. Vbi Azarias ita orat. *Ne auferas miſericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum, & Iſrael ſanctum tuum*. Et S. Petrus promittit ſe poſt obitum ſuum pro fidelibus frequenter oraturum 2. Petri 1. v. 15. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, vt horum memoriam faciatis*. Et ipſa experientia ex frequentibus beneficijs ac miraculis per Sanctorum inuocationem omni æuo obtentis, manifeſtè oſtendunt hanc Deo gratam, ac nobis perutilem eſſe.

V. Nec vllam prorſus vim habent quæ contra Sanctorum inuocationem à Sectarijs opponuntur, hoc modo: Deus vult ſolus inuocari; ergo non licet inuocare Sanctos in cœlo regnantes. Nam contra ipſos valet eadem conſequentia: Deus vult ſolus inuocari; ergo non licet inuocare Sanctos in hac vita exiſtentes; quod tamen falſum eſſe coguntur ipſi fateri ex apertis Scripturis num. 3. ſuprà cit.

Eodem modo ſi bona eſt hæc quam formant conſequentia. Solus Chriſtus eſt mediator hominum, ergo peccant Catholici inuocando Sanctos in cœlo exiſtentes; Bona etiam erit hæc ſequela? Solus Chriſtus eſt mediator hominum: ergo peccant Sectarij inuocando Sanctos in terra conſtitutos, quod tamen ex Scripturis admittunt licitum eſſe. Nam ſi velint

vt

vt particula *ſolus* vniuerſaliter accipiatur, neque Sanctos viuos ac mortuos excludet.

Neque minùs friuolum eſt quod aſſumunt, Sanctos ſcilicet in cœlo non poſſe preces noſtras, & interna deſideria cognoſcere. Sed peto, an admittant Samuelem cognouiſſe omnia quæ erant in corde Saulis, vt teſtatur Scriptura 1. *Reg.* 9. *verſ.* 19. Et Eliſæum ſciuiſſe omnia quæ à Giezi abſente gerebantur, & ſecreta conſilia Regis Syriæ longè remoti 4. *Reg. cap.* 5. *verſ.* 6. Et Danieli cognitum fuiſſe occultum ſomnium Nabuchodonoſoris, eiuſque interpretationem? Dicant ipſi quo modo potuerint hæc abſentibus in terra reuelari, & ſimul exponent qua ratione poſſint Sancti in cœlo preces noſtras, & deſideria cognoſcere.

VI. Probatur autem ſecundò, hunc eſſe ſenſum Scripturarum, & primitiuæ Eccleſiæ, ex conſenſu Sanctorum Patrum qui in ea cum eximia tam ſanctitatis, quam veræ doctrinæ laude floruerunt.

Origenes qui tertiò poſt Chriſtum ſæculo vixit *Homil* 23. *in Numer.* Quis, inquit, dubitat quod Sancti quique Patrum etiam orationibus nos iuuent.

S. Hieronymus 4. ſæculo *contra Vigilantium, cap.* 3. Si Apoſtoli, & Martyres adhuc in corpore conſtituti poſſunt orare pro cæteris ..... quanto magis poſt victorias, coronas, & triumphos. Et *ibid.* affirmat Vigilantium hæreticum contrariam doctrinam de Barathro pectoris ſui tanquam eanoſam ſpurcitiam euomere.

Audi S. Auguſtinum Catholicorum more pro ſe orantem *Medit. cap.* 40. S. Michael, S. Gabriel, S Raphael, Sancti Chori Angelorum, atque Archangelorum per illum qui vos elegit, & de cuius contemplatione gaudetis, vos rogare præſumo, vt pro me culpabili Deum rogare dignemini.

S. Ambroſius quid in Eccleſia fieret, ac fieri debeat apertè docet *lib. de Viduis.* Obſecrandi ſunt Angeli pro vobis, qui nobis ad præſidium dati ſunt. Martyres obſecrandi ſunt ..., poſſunt pro peccatis noſtris rogare. Et *Orat.* 2. *de Præparat. Miſſæ.* Apoſtolorum Interceſſionem imploro, Martyrum preces depoſco, confeſſorum orationes expoſtulo, talium Domine Deus preces nunquam ſpernis. Longior forem ſi eodem modo loquentem adducerem S. Chryſoſtomum *in Liturg.* S. Cyprianum *de Stella, & Magis.* Cyrillum Hieroſol. *Catechiſ. Myſtag.* 5. Euſebium Alex. *Homil. de Sanctis*, & alios indubitatos primitiuæ Eccleſiæ teſtes: ex quorum conſenſu quomodo noſtri temporis Sectarij erroris conuincantur iam ſupra tradidimus.

## *Doctoris Morlæi Angli de his noua quædam effugia refelluntur.*

DOctor hic in Anglia celebris, & iam grandæuus, qui, & Belgium pridem luſtrauit, in ſuis Tractatibus circa dogmata aliqua Eccleſiæ Romanæ pag. 31. ſic pronunciat, *Negari non poteſt, quin talis ſit in Eccleſia Romana nunc Sanctorum, & Angelorum, qualis olim apud Gentiles Heroum, & Dæmonum cultus fuit.*

Doctor eximie Accuſator es: Inane ergo eſt effatum illud tuum, *Negari non poteſt.*, cum tibi incumbat iſtud poſitiuè probare. Sed vt gratis gratiam faciamus, nos cum Auguſtino, Theodoreto, Cyrillo, &c. latam in eo cultu differentiam facilè aſſignamus. Gentiles ſuos Heroes veros eſſe Deos credebant, nos Sanctos noſtros tantum vt Dei amicos agnoſcimus, & veneramur. Et hinc vlterius, illi Heroibus iſtis tanquam Dijs Sacrificia offerebant: inter Catholicos nihil per vmbram ſimile, qui omnino ſacrilegum eſſe profitentur alteri, quam ſoli Deo ſacrificare. Neſcio quomodo poſſit aliquis hoc ignorare qui res Catholicorum tanto tempore non oſcitanter exploranit. Inſtat tamen ſic Morlæus pagin. 22. *Cultus Dæmonibus exhibitus erat illorum inuocatio, imaginibus veneratis, templorum, & Altarium dedicatio, votorum in morbis, & periculis nuncupatio, &c.* ex quibus inferi cupit hæc eadem in honorem Sanctorum, & Angelorum facta, cedere in Dei, & Chriſti contumeliam.

Non potuit ergo Doctor tantus diſtinguere inter Obiecta quibus illa innocatio, dedicatio, nuncupatio præſtatur. Eximie Domine, Inuocatio, Dedicatio, &c. Non eſt res per ſe mala. Sed inuocatio Dæmonis res peſſima eſt. Vobis igitur incumbebat oſtendere, eodem modo ſacrilegum eſſe Dæmones Dei inimicos, & Sanctos Dei amicos inuocare. Nolo tantos viros à me doceri: audiant in eandem ſententiam duo ſuprema Religionis Chriſtianæ oracula. *S. Auguſtin. contra Fauſtum cap.* 18. ſic ioquitur. Dicit Apoſtolus, Quæ immolant Gentes dæmonijs immolant, & non Deo: Non quod offerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur. Conſentit *S. Hieronymus contra Vigilantium cap.* 3. Illud fiebat Idolis, & ideirco deteſtandum: hoc fit Martyribus, & ideirco recipiendum. Expende an *Morlæus* his primæuæ Eccleſiæ oraculis præferendus.

Inſtar iterùm *pag.* 25. Neminem ex Angelis vel Sanctis inuocare poſſunt cum fide, quin illum cordis ſcruratorem agnoſcant, & præterea in illum tanquam Deum credant, &c.

Sed

Sed neutrum veri ſpeciem vllam præfert. Iam enim ſupra manifeſtum fecimus, quomodo Sancti ſine tali cordium ſcrutatione in viſione Deitatis vt ſpeculo lucidiſſimo Fidelium inuocationem cognoſcere poſſint non minus quàm Sanctos in terra exiſtentes abſentium cogitationes, & acta cognouiſſe Scriptura pluribus exemplis teſtatur, quod nec Aduerſarij audent Inficiari. Quod autem non poſſit aliquis inuocari niſi in illum tanquam in Deum credatur, aſſertio eſt maximæ inſcitiæ, ac ſi inuocari non poſſit alius vt ſupremus Dominus, alius vt mediator aut patronus qui apud illum intercedat. Quid eſt in rebus etiam humanis communius?

Inſtat porrò *Morlæus pag. 27. & 28.*, Orant, Papiſtæ Sanctos non ſolum (Patronos) vt, impetrent nobis aliquid à Deo, ſed etiam, vt ipſi ea præſtent, quod patet legenti Breuiarium Romanum &c.

Reſpondetur facile, Papiſtas orantes rogare Sanctos vt ea præſtent, intercedendo apud Deum vt illa oranti per illum præſtentur. Hoc certè eſt ex parte eorum præſtari quod ab illis ab homine fideli depoſcitur, niſi velis luſum in verbis exitare. Sic ſane, & vos loqui oportet cum Scriptura *Apocalypſeos cap. 4.* Gratia vobis, & pax ab eo qui eſt, &, qui erat, & qui venturus eſt, & à ſeptem, Spiritibus qui in conſpectu Throni eius ſunt. Ita nempe, vt ſicut Deus per omnipotentiam, ita ſpiritus illi ſuo modo gratiam, & pacem largiantur. Si quis profectò Catholicus, ſicut Ioannes Apoſtolus in Apocalypſi loqueretur, quot à vobis lites, & verborum aucupia paterentur!

Plura in huiuſmodi Commentationes nouas & inanes præbet *L. V. Reuiſo.* eruditiſſima, de indicio Doctoris Morlæi, anglicè conſcripta.

## APPENDIX.

### *De cultu Virginis Deiparæ quædam moderna refutantur.*

DOctrina Catholica eſt primò, D. Virginem eſſe verè ac propriè Dei Matrem & Genitricem, contra Neſtorium.

II. Eandem ſemper Virginem permanſiſſe ante partum, in partu, & poſt partum.

III. Illam ſupra omnes Angelos, & Sanctos cultu Hyperduliæ honorandam eſſe.

IV. Virginem Deiparam nullo vnquam peccato actuali inquinatam fuiſſe, definit Tridentinum.

V. Illam à labe originalis peccati ſemper immunem fuiſſe communis eſt in Eccleſia ſenſus, & ſententia, non de fide.

VI. Virginem Mariam eſſe omnium Fidelium apud Deum Mediatricem, Dominam, Aduocatam, Cœli Terræque Reginam, Peccatorum Refugium, & Matrem Miſericordiæ, dogmata ſunt, & Priuilegia ſine controuerſia à Chriſti Fidelibus ſemper recepta.

Cóntra hunc Eccleſiæ ſenſum nullam vim habent, *Monita quædam ſalutaria, B. Virginis ad Cultores ſuos indiſcretos*, in libello quodam Anonymo in vulgus nuper ſparſo, cum magno Fidelium ſcandalo.

Primò, quia libellum iſtum, & ſuſpectam illius doctrinam, & loquendi modos, cum ſumma offenſione, & ſcandalo reiecit communis Fidelium conſenſus.

Secundò, Quia idem Libellus Sedis Apoſtolicæ decreto reprobatus, & prohibitus fuit.

Tertiò, Quia in Virginis cultu, & inuocatione carpit varias fidelium praxes, titulos, & encomia ſenſui Sanctorum Patrum maximè conformia, vti facilè patebit ex paucis ipſorum teſtimonijs, quæ hic breui methodo ſubijciam.

Audi S Bernardum, ſermone de Natiuitate Virginis, in communi ſenſu Fidelium, Mariam vt *Mediatricem*, vt *Spem*, vt *Fiduciam* noſtram inuocantem. "Exaudiet vbique Matrem Filius, exaudiet Filium Pater. Hæc, peccatorum ſcala, hæc mea maxima Fiducia eſt, hæc tota ratio ſpei meæ, &c. Qua, verò ratione hæc de Virgine dicantur, idem, explicat; Opus eſt, inquit, Mediatore ad, Mediatorem iſtum, nec alter nobis vtilior, quam Maria.

Idem argutè docet, & explicat Rupertus, Sicut Luna lucet, & illuminat, luce non ſua, ſed ex Sole concepta: Sic tu, ò Beatiſſima, hoc ipſum quod tam lucida es non ex te habes, ſed ex gratia diuina, gratia plena ... Quia ſicut ex te natum Dei Filium, ſolem verum, ſolem æternum adoramus, & colimus vt Deum verum, ſic & Te honoramus atque veneramur vt veri Dei Genitricem. Scientes (nota) quia totus honor impenſus Matri ſine dubio redundat in gloriam Filij. Conſonat his Doctor Seraphicus Sanctus Bonauentura in Speculo B. Virginis *cap. 5.* Abyſſus, inquit, eſt Maria in Bonitate, & Miſericordia profundiſſima, vnde etiam profundiſſimam Miſericordiam Filij ſui pro nobis interpellat, quaſi abyſſus abyſſum inuocat.

Accedit S Antoninus 3. par. tit. 15. c. 22. §. 9

Deus

, Deus miſericordiam nedum magnam, ſed
, Maximam fecit in Virgine pia, vt meritò
, nominetur Maria Mater Miſericordiæ, &
, Regina eius ... hanc (Miſericordiam) qui
, petit ſine ipſa duce, ſine pennis tentat vo-
, lare.

Nec minora canit S. Ephrem, de Laudibus
, Deiparæ. Aue, inquit, Dei, & hominum
, Mediatrix optima, Aue totius terrarum or-
, bis Conciliatrix efficaciſſima.

Huic doctrinæ innixus S. Baſilius Orat. de Natiuit. Deipar. ſic concludit: ‘ De Virgine
, qui omnia illuſtria, & glorioſa dixerit, nun-
, quam à veritatis ſcopo aberrauerit.

Fruſtra igitur *Monitor* quicunque importunus, Fideles huic doctrinæ inſiſtentes carpere conetur, tanquam indiſcretos Virginis Cultores. Poterit ex communi Patrum ac Fidelium mente, & ſententia ea facilè intelligere, & explicare, quæ in deteriorem ſenſum inuidiosè detorquet: quod qui porrò tentabit, contra hanc Lunam fruſtra latrabit.

## CAPVT XII.

### *De Veneratione Imaginum Chriſti, & Sanctorum.*

1 HOnorandas eſſe Imagines Chriſti, ac Sanctorum docet Eccleſia Catholica Romana, eo cultu qui à Tridentino exponitur Seſſ. 25. de Inuocat. & Vener. Sanctor. vbi declarat Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, iiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam. Non quod credatur ineſſe aliqua in *iis* dignitas vel virtus propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis aliquid ſit petendum, vel quod fiducia in Imaginibus ſit figenda ſicut olim fiebat à Gentilibus: ſed quia honor qui illis exhibetur, refertur ad Prototypa quæ repræſentant; ita vt per Imagines quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus; & Sanctos quorum illæ ſimilitudines gerunt, veneremur.

II. Hanc doctrinam oppugnant moderni Sectarij: & eamdem contra primitiuam Eccleſiam impugnarunt hæretici ab ea olim damnati: nam Manichæi docebant Imagines Chriſti non eſſe colendas, ſed res eſſe phantaſticas, vt teſtatur S. Auguſtinus contra Fauſtum lib. 20 cap. 1. & poſtea ipſa Eccleſia in Concilio Nicæno 2. congregata.

Idem 4. Sæculo tenebant Ariani hæretici, & hanc ob cauſam in Synodo Nicæna Act. 6. Euſebius tanquam Arianus accuſabatur. Ergo vel errauit primitiua Eccleſia hanc hæreſim reprobando, vel errant moderni Sectarij eam amplectendo.

III. Probatur autem Catholica veritas primò, Quia in Scripturis aliquæ creaturæ rationis expertes dicuntur honorandæ, propter ordinem ſingularem quem habent ad Deum & res diuinas, ſicut habent Imagines ad Chriſtum, & Sanctos. Nam de Arca teſtamenti dicitur. *Pſalm.* 98 *Adorate ſcabellum pedum eius quia Sanctum eſt.* Et Exod. 25. verſ. 18. iuſſit Deus Moyſem ſupra Arcam fœderis collocare duos Cherubinos aureos, quibus ſimul cum Arca honos deferebatur: *Facies duos Cherubim aureos, & proiectiles ex vtraque parte oraculi.* Denique Num. 21. verſ. 8. Deus mandauit erigi ſtatuam ſiue imaginem ſerpentis æneam, quæ populo in veneratione fuit, tum quia ex eius aſpectu à ſerpentum morſu ſanabantur, tum quia figura erat Chriſti in Cruce pendentis. Ergo etiamſi Imagines ſint rationis expertes, poteſt illis deferri aliquis honor, qui ad ipſum Deum, Chriſtum, aut Sanctos Dei amicos referatur.

IV. Opponunt Sectarij, Catholicos honorando Imagines committere idololatriam, & peccare contra diuinum præceptum *Deuteronom.* 4. *Non facies tibi ſculptile vt adores illud*, & alia huiuſmodi loca quibus in Scripturis Idololatria prohibetur. Sed hæc fruſtrà, & malignè Catholicis obijciuntur, cùm apertè profiteantur ſe non facere ſibi ſculptile, aut Imagines, vt illas adorent more gentilium. Illorum enim doctrina de cultu Imaginum Initio huius capitis ex Tridentino declarata, à tali adoratione, & cultu longiſſimè remota eſt. Quomodo ergo poſſunt exercere illum cultum quem ipſi damnant ac deteſtantur? Aut qua fide poſſunt Miniſtri, qui hæc ſciunt, & iegunt, talem calumniam Catholicis affingere vt eos populo reddant exoſos. Vera certè fides nunquam per tales artes, ac fraudes propagata fuit.

V. Probatur ſecundò, ex perpetua Eccleſiæ conſuetudine iam inde à temporibus Apoſtolorum depingendi, & prædicto modo colendi Imagines Chriſti, & Sanctorum. Ipſe enim Sanctus Lucas Euangeliſta venerationis ergo B. Virginis Imaginem depinxit, vt teſtatur antiquiſſimus Meraphraſtes in vita S. Lucæ.

Secundi poſt Chriſtum ſæculi conſuetudinem refert Methodius *Orat. de Reſurrect.* Quas quidem ex auro Imagines conflantes Angelorum, ipſius principatus, & potiſtates referentes,

tes, eas ad honorem, & gloriam Dei conficimus

Sanctus Athanasius tertio circiter sæculo, *ad Antioch cap.* 38. Absit vt quemadmodum Græci faciunt, nos Christiani tanquam Deos imagines adoremus, affectionem dumtaxat, & charitatis nostræ studium erga figuram personæ per imaginem expressæ declaramus.

S. Chrysostom. *Tom. 5. in Liturgia* Sacerdos autem egreditur..... & conuersus ad Christi imaginem inflexo capite cum exclamatione dicit orationem.

S. Augustinus *lib* 3. *de Doctr. Christi cap* 9. dicit, Signa vt illa diuinitus instituta veneranda esse, quia honor eorum ad prototypum transit.

Denique S. Ambrosius in *Orat. de Obitu Theodosij*, laudat Helenæ sapientiam, quod Crucem Christi leuauerit, & ipsis Regibus honorandam exposuerit.

Et vt silerent hi, alijque primitiuæ Ecclesiæ testes, satis loquuntur innumera miracula in Crucis, ac Imaginum religioso cultu fidelibus à Deo omni æuo concessa, quæ non possunt nisi in veritatis ac virtutis, non autem in erroris aut idololatriæ præmium concedi, nisi velis dicere Deum per miracula, & beneficia homines ad idololatriam inuitare.

## CAPVT XIII.

### *De Sacris Reliquijs.*

I. ARgumenta suprà lata pro Imaginum veneratione non parùm probant Sanctorum quoque corpora, reliquias, ac monumenta à fidelibus in honore piè, vtiliterque habenda esse prout docet *Tridentin. Sess.* 25. *sub initium*.

Soli repugnant huius temporis Sectarij, cum antiquioribus hæreticis, quales erant secundo post Christum sæculo Marcionitæ, qui docebant Martyrum corpora esse abominabilia, vt refert Magnes. *lib* 4. *contra Theosionem*: deinde post Dioeletianum, & Iulianum Apostatam Vigilantius, qui nolebat reliquias coli, aut illis cereos accendi, cuius hæresim impugnat S. Hieronym. *lib.* 2. *contra Vigil.* Videant quæso, & aduertant nostri Sectarij quales habeant primos suæ doctrinæ Patres, ac Patronos.

II. Probatur porrò ex Scripturis corpora, & reliquias Sanctorum veneratione digna esse. Nam *lib.* 4 *Regum cap.* 14. sic memoratur: *Proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi reuixit homo, & stetit supra pedes suos.* Deus tanto miraculo ostendit quanto in honore habeat ossa Prophetæ, & tu illa honore indigna esse affirmas?

*Actorum* 19 *vers* 12. narratur, quomodo sudaria, & semicinctia à corpore Pauli deferrentur ad languidos, & recedebant ab eis languores, & spiritus nequam egrediebantur. En ipse Deus tot prodigijs ostendit se velle per reliquias Sanctorum beneficia hominibus conferre, morbos curare, dæmones expellere: ergo satis declarat se velle in illum finem reliquias illas in pretio, & honore haberi; aliàs ipse talibus signis eas honorando homines vltrò in errorem induceret.

Quinimò potiùs diuina sapientia per hunc sacrarum reliquiarum cultum, & æstimationem, excitat homines ad imitandum Sanctorum virtutes, & exempla, & corroborat in illis viuam fidem de futura mortuorum resurrectione, dum vident sanctorum hominum ossibus ac cineribus tantam à Deo virtutem attribui, propter coniunctionem quam habuerunt cum animabus iam in gloria constitutis, vti loquitur Apostolus, *Nescitis quia membra vestra templum sunt Spiritus Sancti*, 1. ad Corinthios 6.

III. Secundum argumentum quo hæc doctrina demonstratur, est primitiuæ Ecclesiæ vsus, & fides indubitata; aut enim hæc penitus errauit, quod nemo admiserit, vel errant illi, qui honorem Sanctorum reliquijs exhibendum inficiantur.

Clemens Romanus statim primo post Christum sæculo de honore Reliquiarum id testatur *lib. 6. constit. Apostol. cap* 29 Eorum qui apud Deum viuunt ne Reliquiæ quidem corporum sunt inhonoratæ: siquidem Elisæus Propheta postquam defunctus est mortuum suscitauit.... quod quidem nunquam accidisset nisi corpus Elisæi sanctum esset.

S. Iustinus Martyr, qui secundo sæculo fidem suam sanguine consignauit, hoc quoque attestatur *q.* 28. Sanctorum, ait, corpora, & sepulchra Martyrum dæmonum amoliuntur insidias, & morborum ab arte medica comploratorum conferunt snariones.

Sed ne adducam plura, quæ peruolui Patrum, & primitiuæ Ecclesiæ monumenta. Instar omnium sit prolixum, & publicum Sancti Augustini testimonium, qui primò *Epist.* 103. sic scribit: Reliquias beati Martyris Stephani non ignorat Sanctitas vestra (sicut, & nos fecimus) quam conuenienter honorare debeamus. Deinde *lib.* 22. *de Ciuitate Dei cap* 8. fusè exponit miracula facta per Reliquias S. Geruasij, & Protalij Mediolani, & quo modo se præ-

sen-

sente cæcus fuerit subitò illuminatus coram innumera populi multitudine adeo vt miraculum à nullo ibi potuerit ignorari.

Et enarratis aliis prodigijs, quibus ipse quoque testis interfuit, declarat quomodo dum Episcopus nomine Prolectus S. Stephani Martyris Reliquias publicè portaret, per flores, mul Reliquias attigerunt, oculis applicatos qui ier à cæcitate subitò liberata fuerit, populo vniuerso Deum in suis Sanctis collaudante.

Pergit eodem capite S. Doctor alia quoque miracula, & beneficia exponere ex Sanctorum, & Reliquiarum cultu à Deo impetrata, quæ testatur intra suam Diœcesim fuisse numero septuaginta.

IV. Quis quæso his inspectis de hac fidei veritate dubitare audeat? Nisi Augustino, & toti antiquitati, & primitiuæ Ecclesiæ diffidat, aut ipsi Deo qui per tot signa, & prodigia hanc Doctrinam Ecclesiæ suæ tam apertè testatam, & commendatam reddidit. Plura in hanc rem dedi Tractatu de Miraculis edito Louanij Anno 1667.

## CAPVT XIV.

### *De Numero Sacramentorum.*

SAcramentum apud Catholicos est, sensibile signum, & causa gratiæ sanctificantis. Numerum Sacramentorum docent esse septenarium cum *Trid. sess. 7. de Sacram. Can. 1.* Duo tantùm propriè dicta noui Testamenti Sacramenta admittunt Sectarij, nempè Baptismum, & Eucharistiam siue Cœnam Domini, quamuis nec in hoc numero omnes inter se conueniant.

Sed hoc argumento vnico *satis* redarguuntur: Nihil credunt esse de fide Sectarij moderni, quod in claro, & aperto Dei verbo non continetur. Sed nullibi in Verbo Dei claro, & aperto continetur, duo tantùm esse noui Testamenti Sacramenta. Ergo non est fide credendum duo tantùm esse Sacramenta.

Si reponant, in Scripturis nullibi etiam apertè dici septem esse nouæ Legis Sacramenta. Respondetur, Catholicos non credere ea tantùm esse de fide, quæ in Scripturis clarè, & disertè continentur, vt Sectarij, sed admittunt ad Regulam fidei præter Scripturam, quando obscura est, traditionem, & definitionem Ecclesiæ necessariò pertinere, vti probauimus supra par. 1. cap. 7. & 8.

### §. I.

### *De Confirmatione.*

PRimò itaque Confirmationem verum esse Sacramentum ex Scriptura, cum primitiuæ Ecclesiæ traditione conueniente probamus. Nam *Act. cap. 8.* narratur quod cùm audissent Apostoli quòd Samaritani recepissent Verbum Dei, & baptizati essent in nomine Domini Iesu: *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Atqui illa impositio manuum post Baptismum erat signum sensibile vi cuius conferebatur Spiritus sanctificans. Ergo erat Sacramentum distinctum à Baptismo, quod Ecclesia ab initio Confirmationis Sacramentum appellare consueuit. Nihil enim aliud ad propriam Sacramenti rationem requiritur, quam vt sit signum sensibile, à Deo constitutum, ad conferendum gratiam sanctificantem; sine qua Spiritus sanctum accipi non potest. Quæ institutio iterùm *9. Act. 9 6.* declaratur, vbi narratur, quomodo Paulus postquam in nomine Iesu baptizauit, *imposuit illis manus, & venit super eos Spiritus sanctus*; cum alijs donis externis, quæ illi erant annexa.

Hic autem Scripturæ sensus ex traditione, & consensu primitiuæ Ecclesiæ apertè colligitur. Nam *Clemens I. Epist. 4.* primo sæculo ab initio Ecclesiæ illius vsum his verbis declarat. Omnibus festinandū est sine mora renasci Deo, & demum consignari ab Episcopo, septiformem Spiritus sancti gratiam percipere..... quia aliter esse perfectus Christianus nequaquam potest..... vt à B. Petro accepimus, & cæteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt. Quid quæso in rem hanc clariùs, quid antiquius? vtpotè ab ipso Petro, cæterisque Apostolis continuò per manus acceptum.

In tertio sæculo *Fabianus Ep. 2.* Sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda ..... quia nouum *Sacramentum* est.

Melchiades Papa, qui quarto post Christum sæculo Ecclesiam gubernauit *ad Episcopos Hispaniæ* sic scribit. Quæsitis vtrùm maius esset Sacramentum manus impositio Episcoporum, quam Baptismus? Scitote vtrumque magnum esse *Sacramentum*: & sicut vnum Maioribus fit, id est, à Summis Pontificibus, quod à minoribus perfici non potest, ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est.

S. Augustinus *lib. 2. contra litteras Petiliani cap. 104.* in hoc, inquit, vnguento *Sacramentum* Christi

Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut ipse Baptismus. Alios primitiuæ Ecclesiæ testes prætereo plurimos: quia ex his manifestum est aut primæuam Ecclesiam errasse, aut Ecclesiam Romanam Confirmationis *Sacramentum* titè vsurpare.

## §. II.

### *De Extrema Vnctione.*

*Sacramentum* extremæ Vnctionis fundatur in Scripturis *Marc.* 6. Vbi de Apostolis, dicitur. ‘‘ Et exeuntes prædicabant vt, pœnitentiam agerent, & dæmonia multa, eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant. Materia autem, forma, & effectus huius Sacramenti distinctius declaratur Iacob 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & si in peccatis sit remittentur ei.*

Ex his argumentandum est vt supra: Signum sensibile ex institutione diuina, à Presbyteris Ecclesiæ, ægris conferendum, quo causatur gratia remissiua peccatorum, necessariò est verum Sacramentum: nam vt ipse Baptismus sit verum Sacramentum, nihil aliud requiritur. Atqui extrema Vnctio est tale signum, vti patet ex Scripturis iam allegatis. Ergo Extrema Vnctio est verum Sacramentum.

Accedit vsus, & declaratio primitiuæ Ecclesiæ, quæ non potest à vero Scripturæ sensu discrepare, aliàs aut ipsa, aut Scriptura falsitatis arguenda esset.

S. Augustinus *lib.* 2. *de Visit. infir. cap.* 4. Olei sacrati delibatio intelligitur Spiritus Sancti typicalis vnctio. *Et tract. de recitt. Cath. conu.* Quoties aliqua infirmitas occurrerit alicui ... oleum benedictum fideliter ab Ecclesia petat, vnde corpus suum vngatur, & secundum Apostolum oratio fidei saluabit infirmum, & alleniabit eum Dominus, non solum Corporis, sed, & animæ sanitatem accipiet. Vbi vides D. Augustinum hanc Iacobi Apostoli Scripturam, cum Ecclesia Romana, de extremæ Vnctionis Sacramento admittere, & explicare.

Denique vniuersæ Ecclesiæ primitiuæ ea de re praxim, & consensum discere ex *Concilio Nicæno Iccin.* 69. Transacto, inquit, anno debet Sacerdos benedicere aquam, & oleum, non sicut fit in Baptismo, neque sicut benedicitur Chrisma, sed sicut Oleum infirmorum.

Ex his', dilemmate sæpius formato, facilè ostendes circa hoc Sacramentum vel primitiuam Ecclesiam, vel modernos Sectarios errare.

## §. III.

### *De Ordine.*

Sacramentum Ordinis quo Ministri in Ecclesia ad functiones sacras assumuntur, & consecrantur, patet ex scripturis 1. *ad Timoth.* 4. Noli, inquit, negligere gratiam quæ data est tibi per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyteri.

Cùm enim ad exercenda ministeria diuina opus sit aliqua Dei vocatione, vt declarat Apostolus ad Heb. 5. *Omnis Pontifex ex hominibus assumptus est, non enim quisquam sibi assumit honorem sed qui vocatur à Deo:* hinc necessè est signo aliquo sensibili à Deo instituto hanc vocationem innotescere, quod exprimit Apostolus per impositionem manus, qua confertur gratia, & potestas sacra ministeria exercendi, nec amplius ad veram Sacramenti rationem requiritur.

Et quidem primo post Christum sæculo Clemens Romanus *lib.* 3. *constit. Apost. cap* 27. Ordinem Ecclesiasticum per gradus distinguit in Episcopos, Sacerdotes, Diaconos, Lectores, Cantores, Lectores, subdens, Hic est Ecclesiasticus Ordo, & Concentus.

S. Cyprianus sæculo tertio docet, Ordinem esse Sacramentum quod iterari non potest, æquè ac Baptisma, *in libro de Cardinal. Christi operibus cap. de lotione pedum*, sic scribit: docemur quæ sit Baptismi, & aliorum Sacramentorum stabilitas: nam Baptismum repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ ... & nemo sacros Ordines semel datos iterum renouat.

S. Augustinus *contra Epistol. Parmeniani c.* 13. Ostendens ab Episcopis hæreticis ordinatos, non esse iterum in Ecclesia Christi ordinandos, Ordinem esse Sacramentum non minùs quàm Baptismum aperte declarat. Si [ inquit ] nos malè facimus, ipsi explicent quomodo, & Sacramentum Baptismi non possit amitti, & Sacramentum Ordinati possit amitti... si enim vtrumque Sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? neutri Sacramento iniuria facienda est. Et iterum lib. 1. *de Baptismo contra Donatistas cap.* 1. Sacramentum Baptismi est, quod habet qui baptizatur, Sacramentum dandi Baptismi est, quod habet qui ordinatur. En quoties Ordo in ratione

Sacramenti Baptiſmo æquiparatur ab indubitato teſte,& Doctores iſtius primæui temporis, quod ab ipſis Sectarijs inter aurea Eccleſiæ ſæcula candido lapillo notatur.

Sed in hoc ſaltem cum Eccleſia Romana conueniunt Anglicanæ Eccieſiæ proteſtantes, quod admittant in vera Chriſti Eccleſia neceſſarios eſſe Epiſcopos, & Miniſtros, qui ab ipſa Ordinem ſunm, & iuriſdictionem accipiunt, quamuis negent eſſe Sacramentum. Nam abſq; ordine non magis eorum Epiſcopis, & Miniſtris quam cuiuis de plebe propria eſſet poteſtas baptizandi, conficiendi Euchariſtiam, aut exercendi alia Eccleſiæ miniſteria.

Verùm hinc ſumma emergit difficultas,quo modo Eccleſia Anglicana, poſtquam à Romana defecit, poſſit oſtendere ſe habere veros Epiſcopos, & conſequenter veros Miniſtros, qui per legitimam ordinationem poteſtatem ſuam à Chriſto participarunt. Nam ſine legitima ordinatione non poteſt eſſe verus Epiſcopatus, ſine vero Epiſcopatu non poteſt eſſe verus Clerus, ſine vero Clero nequit ſubſiſtere vera Chriſti Eccleſia.

Porrò in Anglia vltimum, qui Epiſcopalem Ordinem ſuſcepit, fuiſſe Polum Archiepiſcopum Cantuarienſem apertè oſtendit Stapletonus, Haidingus, Briſſo, Raynold,alijque Catholici Doctores, qui circa ea tempora ſcripſerunt, & ad reſpondendum huic difficultati aduerſarios fruſtrà prouocarunt. Et hinc ſolidè demonſtrant neque ParKerum, qui poſt Polum Archiepiſcopi Cantuarienſis nomen in hæreſi primus vſurpauit, neque vllum ex cæteris Angliæ Prælatis ab vllis vnquam Epiſcopis fuiſſe ordinatos. Aduerſarij autem de hac re toties poſtulati vt per tabulas, aut teſtes declarent à quibus Epiſcopis, quando,quo loco fuerint conſecrati,nunquam ſpatio quinquaginta annorum potuerunt legitimæ ordinationis argumentum, aut teſtimonium proferre. Quod angliçè fuſius deduxit Archiepiſc. Dubl. Talbotus tract.edito anno 1659.

*Quæſtiones alia de ſingulis Sacramentis, & de praxi Hæreticos Eccleſia reconciliandi, traduntur infra in Reſolutionibus Theologicis Part. III.in fine, &c.*

## §. IV.

### *De Cœlibatu Clericorum, & vitis Monaſticis.*

NEgant horum temporum Hæretici paſſim omnes Clericos, ſiue ſacros Eccleſiæ Miniſtros, ad Cœlibatum ſiue carentiam vxorum vllo iure teneri. Contrarium tam in doctrina, quam in praxi docet Eccleſia Romana.

Probatur primò, Quia Cœlibatus Clericis iam inde à tempore Apoſtolorum conſtitutus eſt, & in primitiua Eccleſia confirmatus, & obſeruatus. Patet id 1.ex Apoſtolo ad Titum cap.1.v.7. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe ſicut Dei diſpenſatorem, hoſpitalem, benignum, ſobrium iuſtum, ſanctum, continentem, &c.* vbi præſcribitur Continentia illa quæ conſiſtit in abſtinentia ab vxoribus vti diſertè interpretatur D. Hieronymus in hunc locum, & Patres alij primitiuæ Eccleſiæ in eundem ſenſum infra citandi. Idem deducit S.Hieronymus ex Apoſtolo 1.ad Corinth. cap.5. verſ.7. *Nolite fraudare inuicem niſi forte ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi.* Sic enim loquitur ad cap. 1. Epiſtolæ ad Titum: *Si laicis imperatur vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coitu, quid de Epiſcopo ſentiendum eſt qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas.* Et lib.1. contra Iouinianum poſt medium: *Si laicus, & quicumque fidelis orare non poteſt niſi careat officio coniugali: Sacerdotes, qui ſemper pro populo offerenda ſunt Sacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio.* Hæc autem (quæ præmiſi) non conſilium) vt aduerſarij volunt ſed præceptum denunciare, apertè conuincitur ex Decretis ipſius primitiuæ Eccleſiæ, quæ hìc ſubijcio.

Probatur igitur ſecundò, ex ipſo Concilio Apoſtolorum Canon.27. Innuptis autem qui ad Clerum proiecti ſunt præcipimus, vt ſi voluerint vxores accipiant, ſed Lectores, Cantoreſque tantummodò. Vbi clarè id conceditur tantummodo Lectoribus, & Cantoribus, & ijs qui Minores ordines ſuſceperunt: excipiuntur autem diſertè, qui ſunt in Maioribus ordinibus conſtituti ſic vt illis vxores accipere non liceat. De hoc Apoſtolorum Decreto conformiter loquuntur primi Patres Concilij Carthaginenſis I. circa annum Chriſti 396.can.2.vbi hanc cœlibatus legem confirmantes rationem hanc addunt: *Vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.*

Hanc porrò legem ſemper agnouiſſe, & ſeruaſſe Eccleſiam primitiuam, patet ex Concil. Eliberitano, quod habitum eſt anno circiter Chriſti 313.vbi ſic declarat Canon. 33. *Placuit interdì prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis ac Subdiaconis poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à Coniugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fece-*

*fecerit ab honore Clericatus exterminetur.*

Idem eodem ſæculo declarat Siricius Pontifex in Epiſtola ad Himerium Taraconenſem Epiſcopum cap. 7. *Plerimos Sacerdotes* &c. Et Innocentius I. circa annum Chriſti 400. in Epiſtola ad Exuperium cap. 1. *Propoſuiſti* &c. Extant prædicta in Conciliorum Tomo I.

Idem reperies confirmatum in Conc. Agathenſi Tomo II. Concil. anno Chriſti 506 canon. 9 *placuit etiam* &c. Et in Conc. Aurelianenſi III. anno Chriſti 537. canon. 7. *Clerici verò* &c. Ac rurſus in Conc. Aurelianenſi IV. anno Chriſti 547. can. 17. *vt Sacerdotes* &c. Et in pluribus deinceps. Hæc ſunt Teſtimonia, & decreta primitiuæ Eccleſiæ cuius doctrinam Aduerſarij ſe admittere profitentur: quantum verò in hoc puncto ab ea recedant nemo non videt, niſi illi quos Venus, & Cupido excæcauit.

Pergunt inſuper hi Veneris Patroni, & docent, vota Caſtitatis Religioſæ, & totum (vt vocant) Monachatus ſtatum abolendum. Dicunt enim nec licitum quidem eſſe Deo Caſtitatem vouere. Imò Caluinus lib. 4. Inſtit. vota Monaſtica vocat Dæmonia retia, & ipſos Monachos Sophiſtas cucullatos, ac Schiſmaticos Eccleſiæ, diabolo deuotos. Nec minus Lutherus in ſuo Libro de Votis Monaſticis, optat eos ad exemplum Sodomæ, & Gomorrhæ igne & ſulphure cœleſti demergi.

An fortè tanta bile contra Monachos illi exardeſcunt quia per Auguſtinum Monachum Anglia, & per alios ſimiles Regiones orbis plurimæ Eccleſiæ Romanæ doctrinam ampleæ fuerunt, & aſſiduò ampleƈuntur. An quia ſuo exemplo, & prædicatione vbique terrarum Caſtitatem, continentiam, & à ſingulis erroribus, & vitijs abſtinentiam, inter ipſos fideles ſtrenuè induxerunt, eaſdemque virtutes ad ſalutem neceſſarias ijſdem medijs hodie conſeruant. Vide quæſo, quiſquis es modernus, ſingulorum Ordinum annales, aut ſi malis, Baronium, Spondanum, & alios hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores.

Expende inſuper, an Monachorum inſtitutum non ſit in Eccleſia ſine comparatione Nouatorum huius temporis quinto Euangelio antiquis. An non etiam in veteri lege Elias, & Eliſæus, & alij eorum inſtitutum ſemper ſecuti ſine vxoribus, & diuitijs in hoc mundo vixerunt? Audi primitiuæ Eccleſiæ teſtem S. Hieronymum in Epiſtola ad Ruſticum: *Filij*, inquit, *Prophetarum quos Monachos in veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas prope* fluenta Iordanis: & turbis vrbium derelictis polenta, & herbis agreſtibus victitabant. Et ab ipſo exordio Legis nouæ Ioannes Baptiſta in continentia, & rerum abdicatione in ſolitudine ſe Monachorum Ducem præbuit, vt notant paſſim Patres cum S. Chryſoſtomo Homil. 1. in Marcum. Hunc porrò Statum approbarunt, & commendarunt prolixè ipſi Patres primitiuæ Eccleſiæ, vti videre eſt in S. Dionyſio D. Pauli Apoſtoli diſcipulo in Epiſtola ad Demophilium monachum: & in libro de Eccleſ. Hierarchia capit. 6. vbi prolixè Monaſticæ profeſſionis formam deſcribit.

Idemque præſtat S. Auguſtinus in Tractatu de vita communi Clericorum, & alij paſſim Patres. Sed, & ipſo facto idem Inſtitutum ſecutus eſt S. Auguſtinus pluresque alij; ac tempore ſubſequenti S. Benedictus, Bernardus, Dominicus, Franciſcus, alijque votis monaſticis alligati, quorum continentia, puritas, ac ſanctitas vitæ miraculis manifeſtis à Deo comprobata, & toto orbe agnita, incontinentiæ ſuæ ruborem Aduerſarijs meritò incutiat.

Hinc nimis manifeſtum eſt, continentiam rem eſſe bonam, & Deo acceptam. Nunc ſubſumo: Atqui manifeſtum eſt Deo ingratum eſſe rem bonam vouere, vti patet ex innumeris Scripturæ Locis, vt Pſ. 75. v. 12. *Vouete, & reddite Domino*, &c. Ergo licitum, & ſane laudabile eſt Deo Caſtitatem vouere. Idque magis in particulari indicat illud oraculum Chriſti Matth. 19 v 12 *Et ſunt Eunuchi qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cælorum*. Et vt doceat rem eſſe Conſilij addit. *Qui poteſt capere capiat*. Rurſus Conſilio tam arduo præmium annexit immenſum Matth. 19. v. 27. *Qui reliquerit domum, vel fratres aut ſorores, aut Patrem aut Matrem, aut Vxorem* &c. *centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit*. Quam verò preſsè Apoſtolus in commendando ſtatu continentiæ, Chriſti doctrinam ſecutus fuerit, fuſius ipſe deducit 1. ad Corinth. 7. *Beatior erit ſi ſic permanſerit ſicut, & ego*, &c. Neſcio quis hæc niſi ſurdus, non audiat, niſi cæcus, non videat, & intelligat.

## §. V.

### *De Baptiſmo Infantium.*

NEgant Anabaptiſtæ infantes eſſe baptizandos tum quia exiſtimant illos non contraxiſſe peccatum originale: tum quia cenſent illos non eſſe capaces Baptiſmi, eo quod ſint incapaces fidei profitendæ, quam Chriſtus ad Baptiſmum prærequirit Matth. 29.

verſ. 19. Docete omnes gentes baptizantes eos, &c. item Marci 16. verſ. 16. Qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit: atqui infantes non poſſunt credere, ergo nequeunt etiam baptizari.

Sed Catholica doctrina eſt, Baptiſmum ad ſalutem eſſe neceſſarium etiam infantibus: Probatur primò, Quia infantes ſunt capaces peccati originalis, vti definitum eſt generaliter in primitiua Eccleſia contra Pelagianos tempore S. Auguſtini, pro quo, & ipſe Apoſtolicam agnoſcit traditionem lib. 10. de Geneſi cap. 23. Atqui in nouo Teſtamento nullum eſt remedium ordinarium contra peccatum originale præter Baptiſmum. Ergo infantes ſunt capaces Baptiſmi, illoque indigent pro remedio peccati originalis. Quod autem infantes capaces ſint gratiæ iuſtificantis clarum eſt ex oraculo Angeli ad Zachariam de Ioanne Baptiſta Luc. 1. v. 15. *Et Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.*

Probatur ſecundò, ex Scripturis in quibus dicuntur baptizatæ integræ familiæ, in quibus dubitandum non eſt aliquos etiam infantes fuiſſe, vti patet Actor. 16. v. 15. *Cum autem baptizata eſſet Lydia, & domus eius.* Et eodem capite verſ. 33. *Baptizatus eſt ipſe, & omnis domus eius continuo:* vbi Tò *omnis* etiam infantes comprehendere debet. Denique 1. ad Corinthios cap. 1. v. 16. Baptizaui autem & Stephanæ domum. Quomodo fieri poteſt vt qui populo imponunt ſe Scripturis ad ammuſſim adhærere tam manifeſtis eius teſtimonijs ſuum imbecille iudicium præferre audeant?

An non demum acquieſcent, ſi hunc fuiſſe ſenſum, & praxim primitiuæ Eccleſiæ (in quam iurant) ex ipſo S. Auguſtino qui in ea vixit, & præ alijs floruit apertè comprobemus? De ea ſic diſertè teſtatur. lib. 10. de Geneſi cap. 23. Conſuetudo matris Eccleſiæ in baptizandis paruulis nequaquam ſpernenda eſt, nec vllo modo ſuperflua deputanda, nec omninò credenda, niſi Apoſtolica eſſet traditio. Vbi pro baptiſmo infantium manifeſtam agnoſcit Apoſtolorum traditionem: & iterum expreſſius lib. 4. de Baptiſmo cap. 24.

Ad fundamentum Aduerſariorum, quod baptizandi debeant prius in fide doceri, depromptum ex Matth. cap. 28. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Reſpondeo, Chriſtum ibi præſcribere ordinem quo Apoſtoli deberent procedere in Baptiſmo infidelium adultorum, ad quorum conuerſionem illos tunc mittebat, nempe vt primò, gentiles adultos in fide inſtruerent: Secundò vt eos ſic inſtructos baptizarent: tertiò vt docerent illos Dei præcepta ſeruare. Vbi manifeſtum eſt Chriſtum non de omnium, ſed de adultorum ad fidem conuertendorum baptiſmo loqui. Baptiſmum autem omnibus in communi adeoque infantibus neceſſarium declarat Ioannis 3. v. 5. Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei.

Mirum ſanè eſt hanc hæreſim contra conſenſum totius Eccleſiæ, etiam primitiuæ, vt oſtenſum eſt, permitti in Hollandia, & Anglia tantoperè graſſari; cum nec ipſi hæretici Pelagiani, qui tamen Peccatum originale negabant, auſi fuerint negare Baptiſmum infantibus neceſſarium eſſe, ſaltem vt fierent capaces Regni cœleſtis conſequendi, vt diſertè teſtatur S. Auguſtinus de Hæreſibus cap. 88.

## §. VI.

### *De Matrimonij Sacramento.*

NOiunt paſſim moderni Sectarij Matrimonium eſſe Sacramentum, ſed tantum contractum ciuilem. Oppoſitum docet ſemper Eccleſia Romana.

Probatur doctrina Catholica, Quia vtraque pars conſentit, Tria ad Sacramentum requiri. Signum aliquod externum ſiue ſenſibile: Inſtitutionem diuinam: & Gratiam ſanctificantem illi annexam. Primum in Matrimonio reperiri patet ex Apoſtolo qui de illo agens pronunciat ad Epheſios 5. *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico, in Chriſto, & Eccleſia.* Vbi aſſerit contractum viſibilem inter virum, & fœminam apud Chriſti fideles magnum eſſe Sacramentum. Atque ita hunc locum exponunt Patres primitiuæ Eccleſiæ Hieronymus, Chryſoſtomus, Nazianzenus, cæterique: Secundùm, de Inſtitutione diuina, patet ex verbis Chriſti Matthæi 19. Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. Vbi & vinculi connubialis inſoiubilitas in nouo Teſtamento declaratur. Tertium de Gratia tali contractui matrimoniali annexa colligitur ex loco Apoſtoli ſupra citato: Nam coniunctio viri cum fœmina ſignificat coniunctionem Chriſti cum Eccleſia. Hæc autem conjunctio eſt per gratiam, & charitatem: & ratione hujus dicitur Chriſtus ſponſus, & Eccleſia illius ſponſa. Ergo vt matrimonium viri cum fœmina poſſit ſignificare hanc vnionem Chriſti cum Eccleſia, oportet vt ſit inter coniuges fideles non tantum vnio quædam naturalis aut carnalis, qualis etiam inter

Gen-

Gentiles reperitur, ſed etiam vnio ſpiritualis quæ in gratia, & charitate conſiſtit: ac proinde Sacramentum illud matrimonij hanc gratiam conferre debet, vt in eo ſubſiſtet ſignificatio perfecta vnionis Chriſti cum Eccleſia eb Apoſtolo aſſerta.

Hic autem ſenſus Scripturæ ac primitiuæ Eccleſiæ eb illius ætui Patribus communi conſenſu declaratur, ec nominetim à S. Auguſtino tem elibi quam in lib. de bono coniugali cap. 18. *In noſtrorum Nuptijs plus valet Sanctitas Sacramenti, quàm facunditas vteri.* Et ibidem cap. 24. *Bonum nuptiarum per omnes gentes, & omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis; quod autem ad populum Dei attinet, etiam in Sanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam intercedente repudio, alteri nubere.*

Hæc ad conuincendum rationem Sacramenti in Matrimonijs fidelium abundè ſufficiunt contre modernos Aſſecias Luthert ac Caluini, qui *lib. 4. Inſtitut. cap. 19.* audet impudenter aſſerere, Secramenti rationem non magis conuenire Matrimonio quàm egriculturæ aut arti ſutoriæ.

Plura de Matrimonio, & de ſingulis Sacramentis in Conc. Tridentino definita, & à Cardin. Bellarmino fuſius explicata, ennotatis vtriuſque locis hìc opportunè ſubijcio, ſi quando opus fuerit ſtudioſo Lectori ea prolixius inueſtigare.

*Dogmata alia de ſingulis Sacramentis à Tridentino definita, & à Bellarmino fusè explicata indicantur.*

DE *Baptiſmo*, Trident. Seſſ. 7. Canonem 1. Explicat Bellarminus Tomo III. pag. 277. & 303. Canonem 2. expl. Bel. pag. 215. & 221. Canon. 3. Bel. 251. Canon. 4. Bel. 88. Canon. 5. Bel. 221. Canon. 6. Bel. 260. Canon. 7. Bel. 260. & 266. Canon. 8. Bel. 260. & 269. Canon. 9. Bel. 260. & 270. Canon. 10. Bel 260. 272. Canon 11. Bel. 164 Canon 12. Bel. 241. Canon. 13. Bel. 241. Canon. 14. Bel. 241.

*De Confirmatione*, Trid. Seſs. 7. Canon. 1. explicat Bel. 299. Canon. 2. Bel. 318. Cap. 3. Bel. 331.

*De Euchariſtiæ Sacramento*, Trid. Seſs. 13. Canon. 3. expl. Bel. pag. 591. 606. 660. Canon. 4. Bel. 591. Canon. 5. Bel. 648. Canon. 6. Bel. 640. 699. Canon. 7. Bel. 591. Canon. 8. Bel. 359. Canon. 9. Bel. 372. Canon. 20. Bel. de Sacerdotio Canon. 11. Bel. 650. 651.

*De Sacrificio Miſſæ*, Trid Seſs. 22. Can. 1. Bel. 712. Canon. 2. Bel. 795. 799. 805. Canon. 5. Bel. 811. Canon. 6. Bel. 852. Canon. 7. Bel. 832. Canon. 8. Bel. 712. Canon. 9. Bel. 621. 828.

*De Pœnitentiæ Sacramento*, Trid. Seſs. 14. Can. 1. Bel. 914. Canon. 2. Bel. 930. Canon. 3. Bel. 914. Canon. 4 Bel. 914 Canon 5. Bel 905. Canon. 6. Bel. 11028. Canon. 7. & 8. Bel. ibidem Canon 9 Bel. de abſolutione. Canon. 10. Bel. 83. & de Sacerdotio. Canon. 12. Bel. 1090. Canon. 13. Bel. 1110. 1104. Canon. 15. Bel. 1098.

*De Extrema Vnctione*, Trid. Seſs. 14. Canon. 1. Bel. 1248 1258. Canon. 2. Bel. 1262.

*De Ordinis Sacramento*, Trid. Seſs 23. Canon. 1. Bel. 1280. Canon. 2. Bel. 1277. Canon. 3. Bel. 1216. Canon. 4. Bel. 1280. Canon. 5. Bel. 1282. Canon. 7. Bel. 1274.

*De Matrimonij Sacramento*, Trid: Seſs. 24. Canon. 1. Bel. 1286. Canon 2. Bel. 1324. Canon. 3. Bel. 1400. Canon. 4. Bel. 1364. Canon. 5. Bel. 1336. Canon. 6. Bel. 1376. Cenon. 7. Bel. 1343. Canon. 8. Bel. 1337. Canon. 10. Bel. 1423. Canon. 11. Bel. 1427. Canon. 12. Bel. 1425.

## §. VII.

*De Cæremonijs, quibus vtitur Eccleſia Romana.*

SIcut dæmon Crucem, ita horrent Seſtarij moderni Cæremonias Eccleſiæ Romanæ, quales ſunt quæ adhibentur in adminiſtratione Sacramentorum, vt in Beptiſmo Exorciſmi, Cruces, Exſufflationes ſetanæ &c. Item. Benedictiones aquæ, quem dicimus benedictem, olei ſacri, cinerum, ramorum, veſtium Sacerdotalium, &c. Item, Inſtitutio Feſtorum, Vigiliarum, nec non Roſaria, Cruces &c.

Docent enim Aduerſarij 1. ſuperſtitioſum eſſe his, aut ſimilibus vti, niſi illis tantummodò quæ in Scripturis exprimuntur. 2. Eccleſiam poteſtatem nullem habare Cæremonias aliquas inſtituendi. Sic inter alios *Caluinus*, Cæremonias illes, ac præcipuè in Baptiſmo Exorciſmos, & Exſufflationes, non retione, ſed vnigari petulantie aggreditur lib. 4. Inſtitutionum, cap. 15. §. 19. Vbi ait eſſe, *aduentitiam farraginem, Satanæ impoſturam, ludibrium, nugas, theatricam pompam, exoticas ſordes, &c.*

Probatur autem ſolidè Catholica veritas; Primò, Licitum erat Eccleſiæ veteris Teſtamenti aliquas Cæremonias ſacras ſibi congruentes inſtituere. Ergo etiam Eccleſiæ Noui Teſtamenti: cui conſtat circa Sacramenta &c. etiam plus conceſſum poteſtatis, vt ipſi

Aduerſarij prædicant. Antecedens clarè conſtat ex libro *Eſtheris*, *cap.* 9. vbi Synagoga Iudæorum auctore Mardochæo inſtituit nouum diem Feſtum omnibus celebrandum, qui tamen à Deo antea inſtitutus non fuerat. Idem alio tempore factum conſtet ex Libri *Iudith*, *cap. vlt. Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis ab Hebræis in numero Sanctorum Dierum accipitur, & celebratur à Iudæis ex illo tempore vſque in hodiernum diem.* Simile eſt in Machab. lib. 1. cap. 4. vbi conſtituitur Dedicatio altaris, & illius Feſtum, ad quod celebrandum *Ioann.* 10 conſtet ipſum Chriſtum in Hieroſolymam aſcendiſſe. Neque hic refert quod Sectarij libros illos fortè pro Canonicis non admittant, ſufficit enim in hoc puncto admitti pro legitima eorum temporum hiſtoria.

Probatur etiam ſecundò ex Nouo Teſtamento *Actorum cap.* 15. vbi Apoſtoli in Concilio congregati nouam Cæremoniam conſtituerunt, vt Gentiles conuerſi abſtinerent *à Sanguine, & ſuffocato*: quæ quidem Cæremonia nuſpiam à Deo niſi ſolis Iudæis præſcripta fuerat, & iam per Chriſti mortem cum cæteris ebrogeta, vnde, & *Actorum* 16. dogma Apoſtolorum appellatur. Nulla autem eſt ratio, cur iam non poſſit Eccleſia, quod tunc poterat conſtituere ex ordinaria gubernandi poteſtate à Chriſto conceſſa, quam ſupra de poteſtate Eccleſiæ agentes latius probauimus.

Confirmetur, Quia aliæ fuerunt poſtea in alijs Cæremonijs diſſentiones, quas ſua authoritate determinauit Eccleſia, de delectu ciborum, de diebus feſtis, de peregrinationibus, vigilijs, cereis, aliiſque cæremonijs, propter quas impugnatas inter Hæreticos numerati ſunt Enerattæ apud Epiphanium *hæreſi* 46. & apud S. Auguſtinum *hæreſi* 23 Item Manichæi qui pluribus Eccleſiæ cæremonias oppugnabant apud eundem S. Auguſtinum *lib.* 20. *contra Fauſtum cap.* 4. *&* 5. Poſtea Euſtacianis apud Socratem *lib.* 2. *cap.* 33. Denique Vigilantius apud S. Hieronymum in ipſius *libro contra Vigilant.* & plures alij.

Hæc penè omnia, ac ſi præſentia tempora ſpectaret, neruoſè complectitur S. Auguſtin. pro Exorciſmo, & pari ratione pro alijs Eccleſiæ Romanæ cæremonijs agens contra *Iulianum Pelagianum lib.* 6. *cap.* 2. *Verum eſt*, inquit, *quod antiquitus veraci fide Catholica prædicatur, & creditur per Eccleſiam totam, quæ filios fidelium nec exorcizaret, nec exſufflaret, ſi non eos de poteſtate tenebrarum, & à Principe mortis eruoret, quod in libro meo, cui celut reſpondes, poſitum eſt. Sed cur commemorare tanuiſti, tanquam ipſe à toto orbe exſufflandus eſſes, ſi huic exſufflationi, quæ Principe mundi, & à paruulis ſiſtitur fieri, contradiceres voluiſſes.*

Et ibidem, idem Auguſtinus cap. 29. contra Iulianum pro cæremonijs illis citat adhuc Eccleſiæ primitiuæ Patres antiquiores, ac ſubdit: *Hos iſte audeat dicere Manichæos, & antiquiſſimæ Eccleſiæ Traditionem iſte nefario crimine aſpergat, quæ exerciquantur, & exſufflantur paruuli. Nos autem paratiores ſumus cum illis veris, & cum Eccleſia Chriſti in hoc ſui fidei antiquitate firmata, qualibet maledicta, & contumelias perpeti, quam Pelagiani cuiuslibet eloquij prædicatione laudari.* Quid poſſit hodie magis appoſitè pro hac Eccleſiæ Romanæ doctrina contra Caluinum, & alios eius aſſeclas interqueri?

Ad hoc quod paſſim obijciunt, Cæremonias illas nec gratiam conferre, nec ad aliud quam inanem pompam, & oculorum ludibrium valere.

Reſpondeo, Nos hoc illis non attribuere, vt ex opere operato cauſent gratiam ſicut Sacramenta, quod Aduerſarij imperitè ſupponant. Aſſerimus tamen illas aliunde multas magneſque vtilitates fidelibus adferre. 1. Quia per illa ſigna externa homines rudes, aut in diuino cultu torpentes mirificè ad pietatis ſeruorem excitantur. 2. Cæremoniæ iliæ viſibiles inſtruunt viuacius fidelium mentes in fidei myſterijs, quàm ſola verba, aut Scripturæ, quas modo valdè mortuo percipiunt, aut intelligunt. Sic benedictio, & applicatio Cinerum ſignificat illis pœnitentiam, & viuam mortis memoriam, ac præparationem. Cereus Paſchalis gloriam, & ſplendorem Reſurrectionis Domini. Palmæ Benedictæ, victoriam Chriſti, ſuorumque fidelium de Dæmone & peccato. Formationes Crucis, memoriam Paſſionis Chriſti. Aqua benedicta, puritatem, & ablutionem animæ, per actus pios, & meritorios, quos in huius applicatione eliciunt, & ſic de cæteris. 3. Per Cæremonias illas, quaſi per Emblemata, myſteria ſacra plurimum exornantur, & elucęſcunt, ac Fideles fidem ſuam protestantur, & ab hæreticis diſcriminantur. 4. Ex eccleſiæ inſtitutione vim accipiunt, per modum Inſtrumenti, ad arcendas fraudes, & præſtigias dæmonum, vt exorciſmi, & exſufflationes in Baptiſmo, abrenunciatio ſathanæ, fidei profeſſio, actus auarum, & narium, aut aliorum ſenſuum, aut partium inunctio in alijs Sacramentis. Certè conſtat ex Scripturis, Chriſtum Apoſtolis, & Eccleſiæ *dediſſe poteſtatem ejiciendi dæmonia.* Marci 3. verſ. 15. ac conſequenter inſtituendi ſigna ſacra quibus id in Chriſti nomine præſtare poſſint.

Dicen-

Denique hic ipſum Caluinum, eiuſque aſſeclas modernos aggredior. Caluinus ipſe, *in ſuo Libello de formula Sacramentorum adminiſtrandorum*, has Baptiſmi Cæremonias in Scriptura non expreſſas præſcribit. 1. Vt infans deferatur ad Baptiſmum die Dominico, vel alio die celebri: en cæremoniam temporis in Scriptura non expreſſi. 2. Vt qui infantem deferunt interrogentur, an ſpondeant ſe infantem adultum inſtructuros, & vt illi certum nomen imponatur. 3. Vt forma Sacramenti pronuncietur lingua vernacula. 4. Vt recitetur tunc Symbolum Apoſtolorum, oratio Dominica, & alia preces. Si has, & ſimiles Cæremonias ex præſcripto Caluini admittant Aduerſarij, qua fronte, aut veritatis ſpecie, alias Eccleſiæ Romanæ Cæremonias impugnant, quales à tempore Apoſtolorum in primitiua eccleſia vſurpatas, ſupra ex ipſius eccleſiæ primitiuæ teſtibus & Patribus dilucidè demonſtrauimus.

# CONCLVSIO

*Aduerſus modernos vulgi errores à vera Fide retrahentes.*

HAec quicunque legis, quicunque audis, aperi tandem oculos, tuoque felicitati gratulare: quod ſemotis populariũ errorum tumultibus, licuerit in veritatis Sacrarium introire, & ex ſinceris primitiuæ eccleſiæ ſuffragijs ancipitem animæ tuæ litem dirimere, ex qua pendet Regni nunquam perituri ſecura poſſeſſio. Acquieſce illis Iudicibus primæuis, quos ipſe erroris expertes eſſe agnoſcis: ſequere illius Duces quos non dubitas per rectam Fidei ſemitam ad ſalutis æternæ metam peruenſſe. Atque ex aduerſo obliquam arctè Nouatorum viam, quam antiquitas ignorat, quam ſacrarum Litterarum oracula reſellunt, quam ratio ipſa tot modis deuiam & præcipitem eſſe demonſtrat. Vbi tot Tibi veritatis teſtes ad viam ſalutis facem præferunt, nullum ſupereſt erroris periculum, nullum ignorantiæ patrocinium.

At, inquis, longè alia Miniſtri noſtri, quam Patrum libri, declamant. Quid inde? Veritas non eſt clamor, nec Miniſtri ſunt Patres Eccleſiæ. Clamitant fortiſſimè circumforanei dum merces adulterinas commendant; tuum verò eſt, ne decipiaris, clamorem à veritate diſcernere. Miniſtri tui ad buccinandam Lutheri doctrinam contra Eccleſiam Romanam magno ſtipendio, & amplis eccleſiæ ſpolijs conducti ſunt, hac arte familiam ſuſtentant vxores ornant, filias elocant, pro domo ſua non pro ſalute tua negotiantur: huius tibi curam relinquunt, qui breui ſtabis ante tribunal Chriſti, pro teipſo rationem redditurus.

Confugies fortè ad populare argumentum. Vinimus felices aſpicat cœlum, omnibus fortunæ donis cumulamur; iacent paſſim in tenebris & inopia Romanæ Religionis cultores; manifeſtis igitur cœliſanoribus Lutherana religio comprobatur. At vide quæſo, quantùm tibi fortunæ ſplendor mentis aciem obnubilet. *Vinit* felix imperium Turcarum, maxima orbis parte dominatur, ad extremum mundi angulum relegatus eſt Lutherus, ſi cum Mahomete conferatur. Manifeſtis igitur cœli documentis præ cæteris omnibus Mahometi religio commendatur. Si igitur Fortunam non cœlis, ſed Chriſtum, ipſum audi longè alias Eccleſiæ ſuæ notas ingerentem *Ioan. 16. verſ. 20.* Vos contriſtabimini, Mundus autem gaudebit. Et *verſ. 33. Vos quidem in mundo preſſuram habebitis, ſed confidite quia ego vici mundum.* Vera Chriſti Eccleſia in ſtabulo & pauperie cœpit, in preſſuris tyrannorum creuit, per Crucem & inopiam adoleuit. Aliam ad cœlum viam tuus Tibi genius, non Chriſtus commendat.

Sed quomodo, inquies, fieri poteſt *vt* tot Viri graues, vita & virtutibus in Republica Lutherana conſpicui à veritate & ſalute aberrent? Virtutem ſi à Fide ſeiungas, nil niſi virtutis inane ſimulacrum oſtentas. Veritas & virtus comites ſunt indiuiduæ: abſque veritatis conſortio nulla virtus adeò ſpecioſa eſt, vt in Dei conſpectum admitti poſſit, teſte Apoſtolo: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* Notæ tibi ſunt Reipublicæ olim Romanæ virtutes eximiæ, mira prudentia, clementia ſingularis, decantata toto orbe iuſtitia. Tanto virtutum comitatu, vera fide deſtituto, orbis quidem imperium, ſed non cœlum obtinuit, Perierunt Cæſares, ardent Catones, cruciantur graues illi Reipubl. Patres, olim noſtro ſplendidi, nunc in flammis nunquam extinguendis purpurati.

Non igitur te detineat inanis illa virtutum Vmbra, qua nihil fallacius. Non aura fluctuantis Populi qua nihil incertius. Non ſpecioſa Fortunæ crepundia, quibus nihil in vita fugacius. Non voluptatum blandæ Syrenes, quæ te à recto veritatis curſu in errorum ſyrtes abducant. Periculoſa eſt omnis ad ſalutem mora. Præterit vita, feſtinat mors, iudicium præ foribus expectat; dum tempus finit viam tutam amplectere. Nulla enim ſatis magna eſt ſecuritas, vbi periclitatur Aeternitas.

### *Genius fallax Nouatorum quomodo cauendus.*

COmmune vitium eſt naturæ lapſæ, Antiqua faſtidire, ad Noua ſemper anhelare: Semper, inquit Seneca, præſentibus eſt infeſta leuitas, & proprium eſt ægri animi, nihil diu pati. Hinc paſſim noua videndi; delibandi, audiendi, ſumma cupido. At quoniam Veritas, & virtus perſtat ſemper immutabilis, & nouitatis neſcia, hinc Nouatorum commune ſtudium eſt, nouitatem falſæ doctrinæ, Veritatis, ac virtutis fuco conneſtire. Suos igitur errores his artibus, ac pigmentis decoratos, tanquam Patrum antiquorum, S. Auguſtini, & ipſius Scripturæ oracula, incautis proponunt. His accedit proponentis gratia, frons blanda, iepor ſtyli, & conciliatrix animorum facundia, quibus ſimpliciores capi neceſſe eſt, niſi ſæpius recolant neceſſarium illud Chriſti monitum: Venient ad vos in veſtimentis ouium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces.

Illi verò Nouatores ex aduerſo, ne Lupinam hanc animas perdendi Rabiem detegas, blandum illi Charitatis nomen imponunt: Miſeret illos tui erroris, dolent te à Pontifice & eius aſſeclis in fraudem indnci, tuum ſtatum miſerum & infelicem altè ingemiſcunt. Sed ſi ad ſucatam hanc Charitatis ſpeciem ritè attendas, facilè deprehendes illam in voeis ſonitu conſiſtere, nec omne aurum eſſe quod lucet. Bractea quædam Charitatis tibi oſtenditur, vt de tuo lapſu nimis credulo, nouitatis Authores trinmphum agant, Hac arte fraudulentæ Charitatis graſſati ſunt omnium temporum Nouatores, quorum blanditias, ac fauores, & ipſa dona vt ſuſpecta habeas cautè monet his verbis S. Auguſtinus *lib. 2. de Symbolo c. 13*. Lupua eſt, agnoſcite, Serpens eſt, eius capita conquaſſate: Blanditur, ſed fallit, multa promittit, ſed decipit. Venite, inquit, defendam: ſi neceſſitas eſt, paſcam: Si nuditas, veſtiam. O Inpe male! O Serpens inique! Veſtis nudum, vt expolies intus Chriſto Veſtitum. Paſcis eſurientem, vt animæ auferas cibum cœleſtem.

Sed nec ab vna mentitæ Charitatis ſpecie cauendum: Nouit id genus hominum, vt aptius fallat, reliquas etiam Virtutes adulterare. Vt tibi cautus videaris, ne oculis etiam tuis nimium credas, dum prima fronte externa probitatis, & modeſtiæ ſpecies oſtentatur. In vaſe etiam aureo venenum non raro propinatur; Eſt, inquit *Origenes*, quædam etiam diaboli caſtitas; eſt etiam diaboli modeſtia, grauitas, demiſſio. Hinc rectè monet *S. Ambroſ. lib. 7. in Luc. c.* 10 Caue verſutæ diſputationis venena, animam petunt, guttur inuadunt, vitalibus vulnus inſligunt.... Nec vos moueat quod formam prætendere videntur humanam, etſi foris homo cernitur, intus beſtia fremit.

Vſque adeo potens eſt in propinandis erroribus forma iſta mentitæ virtutis, vt non rarò viris etiam perſpicaciſſimis fucum fecerit. Appollinarem hæreſiarcham peſtiferos olim errores diſſeminaſſe, nemo eſt etiam Sectarius qui modò non agnoſcit. Ille ipſe non exiguo tempore fallaci ſpecie ſimulatæ virtutis, viris maximis illudere potuit. Hoc de ſe, aliiſque fatentem audi *Epiphanium*. Hæreſi 77. Egregius ille, ac venerabilis ſenex, quem nos & beatæ memoriæ Papa Athanaſius, imo verò Catholici omnes vnicè dileximus Apollinarius Laodiceenus, huius dogmatis author & propugnator extitit, neque nos verosimile putabamus à tanto viro errorem iſtiuſmodi profectum. Nec minus Pelagij ſpecie grani, & modeſta captus fuit S. Paulinus, & alij viri doctrina conſpicui. Neſtorij ſeuera frons, & oſtentata in publico maeies, ac continentia, quam multos in ipſius errores induxerit, nobis deſcribit *Theodoretus* lib. 4. c. 12. vbi ſic concludit, Hoc habitu, & hac ſimulatione populum ineſcaus, magnam ætatis partem tranſegit, Chriſtianus videri potius, quam eſſe ſtudens.

Hanc artem à priſcis illis quia non videt quam bellè hanſerint plurimi noſtri temporis Sectarij, in tradenda dogmatum nouitate ad morum ſeueritatem, ad doctrinæ rigorem, ad nouam Eccleſiæ reformationem toti compoſiti. Quorum verſutias niſi quis habeat exploratas, nihil propius erit, quam vt in fraudem inducantur, ſi fieri poteſt, etiam ſelecti.

Hoc ne Tibi, quiſquis es, vnquam euenlat, Remedia quædam in promptu eſſe debent. Primò, in nouis Scriptis, & primis congreſſibus, non temerè credere, ſed aſſenſum ſuſpendere, & rem vlteriori ſapientum iudicio ponderandam reſeruare; ne quidem Angelo ſalutanti, & nouum myſterium annuncianti aſſenſum præbuit Virgo prudentiſſima, niſi prius mature expenderet, *Qua & qualis eſſet iſta ſalutatio*. Secundò, ſuſpectam habere doctrinam omnem à communi Eccleſiæ conſuetudine abhorrentem. Tertio, Si hac ratione doctrinæ ſinceritatem nondum ſatis perſpectam habeas, reſtat Remedium omni æuo certiſſimum: Illam ad Lydium veritatis lapidem explorare, hoc eſt, ad Petram immobilem doctrinæ Apoſtolicæ, quam nobis ſine periculo erroris exponit Chriſti in terris Vicarius, cui ipſe Chriſtus oues ſuas ſinceræ do-

Etri-

ctrinæ pabulo in vitam æternam alendas commisit. Quem in decidendis Fidei, mornmque Controuersijs Iudicem esse infallibilem supra demonstrauimus.

# EPITOME

## ET COHAERENTIA

*Tractatuum Præcedentium, In vna Demonstratione euidenti.*

*Qua omnes in toto Mundo à vera Religione dissidentes, de Religionis Romanæ necessitate breuiter conuinci possint, deductione manifesta.*

SI aliquid mundo est verum, necessariò est *verus Deus*: Cum de hac veritate præ cęteris mundus penè vniuersus ratione ductus consentiat: quod deducitur supra initio Tract. 1.

Si autem est *Verus Deus*, necessaria est aliqua *vera Religio*, qua verus Deus colitur. Enti enim primo, summo, & perfectissimo, à quo cætera entia in creatione, & conseruatione dependent, necessariò debetur supremus cultus, & veneratio: sicut aliquam venerationem, & obedientiam deberi parentibus, ratione originis, & dependentiæ, ratio ipsa nos euidenter docet: supra ibidem.

Si est aliqua *vera Religio* euidens est quod illa Religio sit à Deo *Reuelata*. Nam etsi lumen naturæ nos doceat in genere Deum esse honorandum, illique obediendum, non tamen nobis ostendit in *particulari*, quibus modis sit honorandus; & in quibus rebus certis ac determinatis illi obtemperare debeamus: Debet igitur accedere horum à Deo determinata reuelatio.

Si est aliqua vera Religio *Reuelata*, perspicuum est quod ea sit Religio *Christiana*. Quia de illa manifestè ostendi potest, quod fuerit miraculosè, hoc est, sola virtute diuina à Christo, & Apostolis propagata, non vi armorum, aut corporis illecebris, aut alijs medijs humanis: vt ibidem supra elucidatur.

Si Religio *Christiana* est vera; necessario vera est Religio *Catholica*, siue *Romana*: Nam si veritas Religionis Christianæ rectè conuincitur ex eo, quod illa modo supra indicato propagata fuerit, vt omnes Christiani admittunt, veritas etiam Religionis Catholicæ ex simili, & miraculosa in orbem vniuersum propagatione ritè demonstratur: quod supra tractat. 1. cap. 3. & sequentibus declaratur. Ergo à primo ad vltimum si necessario verum credas *Deum existere*, necessario credere debes Religionem Romanam esse veram, quod erat demonstrandum.

Porrò, Si *Catholica* siue *Romana* Religio est vera, euidenter sequitur eam nihil docere tanquam articulum Fidei, quod non sit verum, adeoque immune ab omni superstitione, ac corruptela. Nam hoc ipso quo illa Religio demonstrata est vera, debet omnino libera esse ab omni errore in Fide diuina: Quia alias sequeretur, Religionem Romanam esse veram, & non veram, reuelatam à Deo, & non reuelatam, Christianam, & non Christianam, immunem ab errore in Fide, & non immunem, vti præcedenti a combinanti perspicuum est.

Cum igitur apud omnes, etiam Sectarios, in confesso sit, Religionem Catholicam Romanam, tanquam articulos Fidei diuinæ credere ac docere Inuocationem Sanctorum, Purgatorium, Transubstantiationem, Primatum Pontificis, Canonem Scripturarum, Ecclesiæ Catholicæ infallibilitatem, numerum Septenarium Sacramentorum, aliaque dogmata eum quibuscumque Sectarijs controuersa; necessariò, & demonstratiuè sequitur, nullum ex illis Dogmatibus erroneum, esse, aut superstitionem, aut corruptelam continere.

Ex quibus clarè, & demonstratiuè concluditur, Nullam prorsus esse Sectam quæ non debeat Religioni Catholicæ siue Romanæ se adiungere, si suæ saluti æternæ prospectum esse velit.

Ad hoc exequendum, vt Gratia diuina, sine qua nihil ad salutem possumus, copiosè accedat, frequens & sincerus ad Deum recursus, per orationem frequentem, aut similem, sæpius erit iterandus.

## ORATIO.

*DEus qui corda Fidelium ab initio Sancti Spiritus illustratione docuisti. Da nobis nunc in eodem Spiritu de Religione tua vera, & vnica rectè sapere, & cum Fidelibus tuis per illam æterna Societate in Cœlo gaudere. Per Christum Dominum nostrum Amen.*

TRA-

negat Confeſſionem Sacerdoti aut alteri, quam ſoli Deo faciendam eſſe, coegerunt ſcil. Spiritum Sanctum aliter loqui in Bibliis impreſſis Geneuæ anno 1605. hoc modo, *Confitemini peccata veſtra erga inuicem*. Aliud namque eſt peccata erga inuicem commiſſa Deo exponere, quam ea peccata alterutrum, id eſt, ſibi inuicem confiteri.

S. Paulus ad Hebr. cap. 13. verſ. 4. ſic habet, *Honorabile connubium in omnibus*, id eſt, nihil eſt in connubio quod ſit honorabile. Hi autem Veneris Patroni liberales, ſic cum ſenſu verba transferunt, Honorabile connubium *inter omnes*, vt nempe ſic defendant matrimonium etiam Sacerdotum, Monachorum, Monialium, ex Apoſtoli ſententia licitum eſſe ac honorabile.

Iterum Apoſtolus in Epiſt. ad Epheſios c. 5. v. 32. De matrimonio differens ſic pronunciat; *Sacramentum hoc magnum eſt, ego autem dico in Chriſto, & Eccleſia*. Sed loco huius verſionis, quæ ipſo S. Hieronymo antiquior eſt, Nouatores noſtri ſubſtituerunt, *Secretum* hoc magnum eſt, ne cogerentur admittere matrimonium eſſe Sacramentum, quod volunt ipſi contractum eſſe mere ciuilem.

In Epiſt. ad Philemonem v. 14. Paulus dicit: *Sine conſilio veſtro nihil volui facere, vt ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium*. Ad excludendum arbitrij libertatem, quam poſt lapſum Adami remanere negat doctrina Religionis reformatæ, ſententiæ Apoſtoli venenum ſuum in fine aſperſerunt, addendo *velut* voluntarium, ne ex Apoſtolo verum voluntarium ſine neceſſitate admittere cogerentur.

In Epiſt. 1. ad Theſſalonicenſes cap. 2. v. 15. Apoſtolus monet: *Fratres ſtate, & tenete Traditiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per Epiſtolam noſtram*. Sed hi Reformatores Eccleſiæ, reformarunt etiam Apoſtolum, vt in eorum Bibliis alio modo loqueretur; Fratres ſtate, & tenete *documenta* quæ didiciſtis, &c. Nolunt enim vt S. Paulus cum Papicolis dicat tenendas eſſe Traditiones, cum ipſi, qui aliter ſapiunt, eas admittere recuſent.

Epiſtolæ 1. ad Corinthios cap. 9. interrogat Apoſtolus, *Nunquid non habemus poteſtatem mulierem ſororem circumducendi?* Lutherus *ſororem* minimè contentus, adiungit, *in vxorem*. Docet enim Apoſtolos vxores habuiſſe, eaſque dum prædicarent ad opus coniugale circumduxiſſe, vti ipſe Lutherus eiuſque noui Apoſtolii, nouo in Eccleſia Dei exemplo, facere conſueuerunt.

Quid reliqua proferam Latrocinia verbo Dei inuiolabili à modernis Sectarijs illata, vt à Renato Benedicto, & Ludouico Berquino Pariſijs exuſto, & pluribus alijs qui ſacras Literas corruptelis innumeris fœdarunt, in quibus vel vnum apicem adulterare, ſummum foret ſacrilegium? Si enim in Regio diplomate aliquid immutare ſcelus eſt læſæ maieſtatis ferro aut igne plecti ſolitum, quam enorme facinus erit incommutabilem æternæ veritatis paginam tot modis pro ſua libidine truncare, corrumpere, violare. Sed, & hinc argumentum præbent certiſſimum doctrinam ſuam à veritate deuiare, dum ad eam tuendam Scripturæ ſacræ veritatem immutare neceſſe eſt.

Sed neque verentur moderni per Hollandiam Miniſtri iſtis Sacrilegijs noua calumnias conſarcinare. Teſtatur inter alios illuſtriſſimus *Caſſerienſis* in eruditiſſimo *Tractatu* nuper edito, nihil eſſe magis familiare modernis Miniſtris quam paſſim, & publicè vociferari, Sacroſanctæ Scripturarum Oracula apud Catholicos ſummo in contemptu haberi, & in prima Librorum prohibitorum claſſe collocari. Inane illis iubar, & licet in aperta totius orbis luce calumniari? Quid quæſo poteſt eſſe magis conſpicuum quam apud Catholicos, in publico Miſſæ Sacrificio Scripturam ſacram ſumma cum veneratione populo aſſidnè prælegi? quid magis notum quam illam in ſacris Concionibus proponi, exponi, inculcari? Quid magis publicum, & ſolemne quam in celeberrimis Academijs Lectionem Scripturæ ſacræ primo ſemper loco haberi, & in ipſius Tridentini Decretis *Seſſ. 5. de Reformat. cap. 1.* eandem Lectionem vt imprimis honorificam, & omnium maximè neceſſariam ſummo vbique ſtudio proponi, præcipi, mandari? Quod verò Eccleſia Romana Editiones ſpurias, corruptas, & ab hæreticis mille modis truncatas ac vitiatas populo prohibeat, & fidelium manibus ſubductas velit, hoc ipſum probat ſummam Verbi Dei apud Catholicos æſtimationem, quod nempe diutinum hunc theſaurum purum ſibi, & ab hæreticorum corruptelis immunem tanto ſemper ſtudio conſeruet. Sed, & hoc ipſum eſt quod illos Nouatores adurit, quod in puros ac primæuos Scripturarum noſtrarum Fontes, impuras corruptarum Editionum Lacunas influere non permittamus.

* *
*

A R-

## ARTICVLVS II.

*Exhibentur ex multis quædam insignes Antilogiæ, quibus ipse Lutherus, & alij in sua doctrina sibi contradicunt.*

# DE SACRAMENTIS.

## Antilogia Prima.

SEptem ponenda sunt Sacramenta. Ita scribit *Lutherus de potestate Papæ.*

Tantum tria sunt Sacramenta pro tempore ponenda, Ita *Lutherus, de captiuitate Babylonica.*

2.

Duo tantum sunt Sacramenta, *Lutherus ad VValdenses.*

Si iuxta Scripturas loqui velim est tantum vnum Sacramentum. *Lutb. de captiuitate Babylanica.*

3.

In puero post Baptismum negare remanens peccatum, est Paulum, & Christum simul conculcare. *Lutb. in Assertionibus.*

Baptismus omnia peccata remittit. *Lutb. in Captiu. Babylonica de Baptismo.*

4.

Confirmatio Sacramentum est. *Lutb. de potestate Papæ.*

Mirum quid illis in mentem venerit quod Sacramentum Confirmationis fecerunt ex impositione manuum. *Lutb. de captiuitate Babilonica.*

5.

In Sacramento Altaris non est panis, & vinum, sed species panis, & vini. *Lutb. in Sermone de Eucharist.*

Thomistica doctrina est transubstantiari panem, & vinum; liberum est, & citra salutis periculum imaginari, opinari, & credere remanere aut non remanere substantiam panis, & vini. *Lutb. de captiu. Babylonica.*

Impius, & Blasphemus est, si quis dicat panem transubstantiari, Catholicus autem, & pius est qui contrarium docuerit. *Lutb. in lib. contra Regem Anglia.*

Sicut panis, & vinum transubstantiatur? ita, & nos in spirituale Corpus transmutamur. *Lutb. in serm. de Euch.*

6.

Impijssimus vsus est, in Ecclesia persuaderi Missam esse opus bonum, & Sacrificium. *Lutb. de captiuit. Babylonica.*

Missas pro vivis, & defunctis valere tota approbauit Ecclesia. *Lutb. de decem Præcept.*

7.

Sacerdotes à subditis honorandi sunt. *Lutb. in Decalogum.* Contra.

Nullum est in nouo testamento Sacerdotium, nisi quod est humanis mendacijs à Sathana creatum. *Lutb. de captiu. Babylonica.*

8.

Confessio auricularis in Ecclesia, etsi ex Scriptura probari non possit, vtilis tamen est, imò necessaria. *Lutherus de captiuitate Babylonica.*

Confessio auricularis est fictio hominum. *Lutb. de 10. Leprosis.*

9.

Matrimonium non solum sine vlla Scriptura Sacramentum censetur. Verùm eisdem traditionibus quibus Sacramentum esse iactatur merum ludibrium factum est. *Lutb. de Captiuit. Babylonica.*

Matrimonium in Ecclesia Dei Sacramentum est. *Lutb. de potestate Papæ.*

10.

Ordo in Ecclesia Dei Sacramentum est. *Lutherus de potestate Papæ.*

Sacramentum Ordinis Ecclesia ignorat, inuentumque est ab Ecclesia Papæ. *Lutb. de captiuitate Babyl.*

11.

Extrema vnctio Sacramentum est. *Lutb de potestate Papæ:*

Si vsquam antea deliratum est, in extrema vnctione nunc præcipuè deliratum est. *Lutb. de captiu. Babylon.*

*De Papatu.*

Si potestas Papæ non esset à Deo, nec iure diuino, tam diu subsistere non potuisset. *Lutb. de potestate Papæ.*

Certus sum Papatum regnum esse Babylon. *Lutb. de Captiu. Babyl.*

Quod sæpè repetit ibidem, & in *lib. aduersus Regem Anglia.*

*De Fide sola.*

Sola Christi fides necessaria, qua iusti simus, cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius neque prohibita. *Lutb. ad Galath. cap. 2.*

Vita Christiana est credere, & diligere, at diligere nihil est nisi benefacere. *Lutb. de decem leprosis.*

*De Ecclesia.*

Ecclesia errare non potest. *Luther. de 10. præcept.*

Ludificatio Sathanæ est affirmare quod Ecclesia

eleſia ſi quando *erret* aut peccet, ideò non ſit Eccleſia.

*De Traditione.*

Neque Papa, neque Epiſcopus, neque *vllus hominum* habet ius vnius ſyliabæ conſtituendæ ſuper Chriſtianũ hominem. *Luth. de Capt. Babyl.*

Ideò poſiti ſunt Canones Patrum vt dirigant populum, *Luth. in decem præc. cap. 5.*

*De Inuocatione Sanctorum.*

Rectè concluſi, meritum Chriſti theſaurum eſſe Eccleſiæ, & Sanctorum meritis iuuari certum eſt. *Luth concluſ. 10. contra Eckium.*

Pro meritis S. Petri ne vnum quidem obulum darem vt me adiuuarent, quia ſeipſum iuuare non poteſt. *Luth. in ar. 4. q. 6.*

*De Indulgentijs.*

Contra veritatem Apoſtolicarum Veniarum qui loquitur, ſit ille anathema & maledictus. *Luth. in Reſol.*

Iuduigentiæ nihil ſunt, niſi Romani Pontificis impoſturæ. *Luth de capt. Babyl.*

*De Purgatorio.*

Tutius eſt totum Purgatorium negare, quàm Gregorio in Dialogis credere. *Luther. abreg. Miſſ.*

Non ſolùm credo, ſed etiam certiſſimè ſcio Purgatorium eſſe *Luth. in diſput. Lipſienſi.*

*De libero arbitrio.*

Reuera Deus nobis liberam voluntatem contulit: cur tu illam liberam non permittis? cum enim tu illa ad tuum abuteris libitum non eſt libera, ſed magis ſeruitutem apud te ſernit. *Luth in explic orat. Dominicæ.*

Liberum arbitrium figmentum eſt in rebus, ſeu titulus ſine re, quia nullii eſt in manu ſua cogitare quidquam mali aut boni, ſed omnia vt VVicleſi articulus Conſtantiæ damnatus rectè docet, de neceſſitate abſoluta eueniunt. *Luth. in Aſſert. ar. 26.*

*De Concilijs generalibus.*

Sæpe nullus vir in Concilio eſt qui diuinum Spiritum vel modicum olfecerit, ſicut contigit in Nicæno Concilio vbi de vxoribus Sacerdotum agebatur. *Luth. in Serm. Attendite à falſis Prophetis.*

Concilijs nihil derogo, ſed omnium ſacratiſſimum ſuit Nicænum. *Luth. in diſput. Lipſienſi.*

## *Caluini quædam Antilogiæ.*

1.

DEnm eſſe abſolutè omnipotentem fatetur Caluinus, *ad cap. 1. Lucæ.* Verbo, inquit, Dei nulla impoſſibilitas obijcienda.

Negat verò *ad cap. 23. Iſaiæ*, Iſtud ſomnium de poteſtate abſoluta in Deo quam Schoiaſtici introduxerunt execranda blaſphemia eſt.

2.

Nomen Ieſu Chriſti venerandum eſſe aſſerit Caluinus ad *Matthæi cap. 1 verſ. 23.* Ita reputanda eſt nobis in hoc nomine (Ieſu) diuina Chriſti Maieſtas, vt reuerentiam apud nos obtineat quæ vnico debetur & æterno Deo

Negat idem ad cap. 2. Epiſt. ad Philippenſes. Pluſquam ridiculi ſunt Sorbonici Sophiſtæ qui ex præſenti loco; *Vt in nomine Ieſu omne genuflectatur*, genuflectẽdum eſſe colligunt quoties nomen Ieſu pronunciatur, quaſi vox eſſet magica quæ totã in ſono vim haberet inclusã.

3.

Sine Baptiſmo Chriſti neminem ſaluari docet Caluinus *ad ea 3. Ioan. v. 3.* Si vni hoc dixiſſet Chriſtus vel paucis non poſſe eos peruenire in regnum cęlorum, niſi prius renati eſſent, poſſemus conijcere certas duntaxat perſonas notari, ſed de omnibus ſine exceptione loquitur.

Idem negat *Inſtit. lib. 4. c. 16. §. 36* Explodendum eſt eorum commentum qui omnes non baptizatos æternæ morti adjudicant.

4.

In cœna Domini miraculum agnoſcit Caluinus. *Tract. de concordia ineunda:* Ergo (inquit) in ſacra Cœna miraculum agnoſcimus, quod & naturæ fines, & ſenſus noſtri modum exuperat, dum Chriſti vita nobis ſit communis, & eius caro nobis in alimentum datur.

Negat verò diſertè. *Inſtit. lib 4. cap. 7. §. 24.* agens contra Lutheri aſſeclas: Iſti, inquit, boni eius zelotæ miraculo ſibi fabricant, quo ſublato euaneſcit Deus cum ſua omnipotentia. Et ibidem §. 24. Illi auditis Chriſti verbis, *Hoc eſt corpus meum*, miraculum ab eius mente remotiſſimum imaginantur.

## *Sectæ Lutheranæ modernæ, & antiquæ in Anglia antilogia, & diſcrepantia manifeſta.*

PAtet illa, in mutatione Libri authentici publicarum precum, quem ſibi ab initio pro puro Dei Verbo, & fidei ſuæ inſtrumento Secta Lutherana propoſuit. Nam in prædicto Libello ſub Rege Eduardo, & Eliſabetha Regina pro vera Scriptura legebatur Tobiæ Caput quintum, ſextum, & octauum. Danielis Caput 14. & quædam ex 13. Ex Eccleſiaſtici cap. 46. non pauca. Hæc autem omnia aliaque, ſub Iacobo Rege eadem Eccleſia ex Libro publicarum precum tanquam apocrypha penitus expunxit; vti apertè oſtendit

dit Examen Libelli publicarum precum præ-lo datum anno 1610. pag. 30. quomodo verò poteſt eſſe eadem Eccleſia quæ eandem non habet Scripturam? In qua quod illa pro Verbo Dei olim admiſit, hoc pro apocrypho modo expunt? Manifeſtum ſanè eſt vel illam pro Scriptura iſta approbando, vel hanc reprobando in fide erraſſe.

Prætereo in his, aliiſque dogmatibus loca innumera, in quibus Caluinus, ac multo magis Lutherus ſecum apertè pugnauit, atque inſtar fallacis Prothei, vti res ferebat, ſeſe in varias doctrinæ formas tranſmutauit. Ex quibus hoc demum conficies argumentum.

Non poteſt ex Dei Spiritu loqui qui vel ſemel in doctrina fidei proponenda ſibi contradicit: Atqui Caluinus & Lutherus in doctrina fidei quam Dei nomine proponit ſæpius eloquitur contradictoria. Ergo non poteſt Caluinus & Lutherus loqui ex Spiritu diuino in doctrina illa quam ſe Dei nomine ſcribere ac prædicare profitentur. Sicut in verbo Dei ſcripto, ſi vel ſemel in illo contradictionem apertam deprehendas, in cæteris omnibus tota Scripturæ fides euaneſcit. Videant igitur, ac ſerio agnoſcant horum Sectatores, quam falſaces ſint Prophetæ ac diuini Spiritus penitus vacui, quibus ab initio fidem ſuam ac ſalutem crediderunt.

### *In Hollandia inter Doctores Heterodoxos de ipſo Deo, eiuſque Attributis aperta repugnantia.*

I. COnſtat ex publicis eorum vtrimq; ſcriptis ab anno 1606. diuiſos illic Caluini aſſeclas in Remonſtrantes, & Contra-Remonſtrantes, qui contra alios ex pura & rigida Caluini doctrina, ſtatuunt abſolutè, Deum eſſe Auctorem peccati. Vnde illos Deum ſibi ſtatuere à cæteris Chriſtianis diuerſum facile demonſtratur hoc ſyllogiſmo: Deus Caluiniſtarum eſt auctor peccati: Atqui Deus Chriſtianorum non eſt auctor peccati: Ergo non eſt idem vtrorumque Deus.

Quinimò fingere ſibi Deum, qui vt ſit Deus debet eſſe bonitas infinita, & ſimul ſit author peccati, eſt admittere Deum, qui non ſit Deus, adeòque ad Atheiſmum apertè declinare, vti ex ipſis Sectarijs aliqui intulerunt, vt *Tilmannus Heshuſius*, Lutheranus *in lib. de Erroribus Caluini, & Sebaſtianus Caſtalio*, Caluiniſta *in lib. de prædeſtin.* ad Caluinum.

Nullum certè poteſt eſſe de ipſo fidei Capite & Authore luculentius diſſidium: & conſequenter in illis Sectis nullus apertior defectus Fidei ad æternam ſalutem neceſſariæ.

Quin & his ſimilia, quæ idem nimis abundè conuincunt, in ſequentibus proferam.

*De Vnitate & Æternitate* Dei etiam inter ſe mutuo diſſentire deprehenduntur. Nam ſi admittantur plura increata, neceſſarium eſt plures eſſe Deos. Plura autem increata cum Remonſtrantibus ſtatui à *Vorſtio* oſtendit *Stadius* in Diſceptatione, pag. 51. Scilicet hæc quatuor: Dei locus, tempus, materia, Domicilium, quæ Vorſtius contendit illius eſſe naturæ, vt a Deo nec creata fuerint, nec potuerint creari.

*Simplicitas* in Deo, quæ opponitur omni reali compoſitioni, ab orthodoxis ſemper & neceſſariò admittitur. Hanc autem negare *Vorſtium* cum Remonſtrantibus, ex illis Scriptis pars oppoſita demonſtrat. Sic enim in illis Vorſtius agit pag. 426. vt omnino reprehendat *Zanchium* proprium Contra-Remonſtrantium Doctorem, quod doceat Dei eſſentiam, vitam, & actionem prorſus idem eſſe: Contenditque ipſe hoc in Deo eſſe diuerſitatis, vt aliud ſit ipſa Dei ſubſtantia viuens, aliud vita, ſiue vis illa per quam viuit. Et pag. 209 Cum Deus in ſcriptura dicitur iraſci, dolere, reminiſci, aut ſimile quidpiam agere, aſſeritur aliud & aliud in eo eſſe, nimirum ſubiectum & accidens. Denique generatim pag. 208. *Totidem in Deo accidentalia ſunt, quot decreta de rebus foris efficiendis.*

*Omnipotentiam* Deo quis vnquam negauit præter Ethnicos, & Hæreticos indubitatos? inter quos ipſi heterodoxi qui ſunt factionis oppoſitæ, numerant eum Remonſtrantibus ſuis *Vorſtium* de Deo pag. 226. ſic docentem: *Quædam Deo ſunt impoſſibilia: Ergo Deus non eſt omnipotens: Ant. probatur: Deus non potuit mentiri, pati, mori, aut fallere: Ergo cum non poſſit hæc omnia non eſt omnipotens.* Præclara in Caluini Eccleſia de ipſo Deo vtrimque controuerſia.

*Infinitatem* Dei ſubſtantialem (nam molis nullam habet) cum Remonſtrantibus ſuis quos repreſentat, en quomodo euacuet Vorſtius pag. 234. *Deus non eſt ſimpliciter infinitus neque eſſendo, neque operando*, & pag. 235. *Eſt quidem Deus purus actus, ſed hoc non vetat quin ſimul ſit in ſeſe finitus*, denique pag. 237. *Quidquid eſt hoc aliquid, vt ſeipſo finitum eſt, & ad certum aliquod genus Entis contractum eſt.* Ac ſi apud talium Philoſophorum gregem repugnantiam inuoluerit, eſſe actu hoc aliquid, & ſimul eſſe ens infinitæ ſiue illimitatæ perfectionis. Teſtatur hæc præter alios Contra-Remonſtran-

ſtrantes fusè *Sladius* ibi Diſput. eum Vorſtio *de blaſphemijs, hæreſibus, & atheiſmis à Iacobo Rege in Vorſtij de Deo tractatu, & exegeſi Apologetica nigro theta notatis.*

*Immenſitatem* Dei, quæ vbique realiter, & ſubſtantialiter exiſtit, admitti neceſſariò, non debere ſcribunt vtrimque ex Caluiniſtis plurimi ex mente Caluini, qui *lib. 1. inſtitutionum cap. 13.* ſic loquitur: *Scite ſibi vnus ex veteribus dicere viſus eſt, Deum eſſe quidquid videmus, & quidquid non videmus: At qui hoc modo ſingulas mundi partes diuinitatis transfuſam eſſe finxit, &c.* Negatq; alibi tam ipſe quam Vorſtius immenſitatem illam ex ſcripturis ſatis probari. Figmentum ergo cenſent illi realem illam diuinitatis in omnes partes transfuſionem, docentes ſufficere virtualem, qua vbique operatur, etſi ibi non neceſſariò immediatè exiſtat. Clarè, id tradit Vorſtius pag 235. *Non ſequitur*, ait, *Deum immediate illic ſua ſubſtantia adeſſe, vbicumq; & operatur, quia per cauſas medias operari poteſt, vt Rex aliquis per ſuos miniſtros.* Tandem illi Deum terris relegatum ſuo cœlo circumſcriberent, eum impio apud Pſalmiſtam *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.*

*Quantitatem* in Deo, quæ ſine diuiſibilitate non concipitur, conſtitui à Remonſtrantibus cum Vorſtio, oſtendunt, & accuſant Contra-Remonſtrantes. De hac enim quantitate ſic loquitur Conradus Vorſtius lib de Deo pagin. 239. vt dicat negari non poſſe magnitudinem etiam propriè dictam Deo in Sac. Scriptura attribui: ac porrò interrogat: *Quid vetet etiam Spiritum, imò & Deum ipſum ſuam habere Spiritualem magnitudinem, non ſenſibilem quidem, ſed aliquo tamen modo intelligibilem.* Et pagina 240. contradictionis inſimulat quod dictum eſt ab Auguſtino *lib. 5. de Trinitate cap. 2.* Deum eſſe magnum ſine quantitate. Denique pag 241. Cum, inquit, *Deus reſpectu ſubſtantiæ ſuæ magnus eſſe dicitur, certè aliquam hic Quantitatem, & cogitari, & eſſe oportet.* Ac pag. ſequenti *Firmiter credo Deum reſpectu ſubſtantiæ verè magnam eſſe.* Quis tales de Deo ex ſchola Caluiniana errores non abhorreat, niſi, vt quidam loquitur, pro cerebro cucurbitam habeat?

*Immutabilitatem* Deo adimunt Remonſtrantes: Quod adeò perſpicuè oſtenditur, vt de eo etiam ipſe *Iacobus Rex Angliæ* anno 1611. per litteras ad ſuum Legatos, illos grauiter accuſauerit. Patet error ille grauiſſimus ex eodem Remonſtrantium Doctore ſummo Conrado Vorſtio pag 212. *Diuina voluntas ſemper principium cuiuſdam mutabilitatis eſt, etiã in ipſo Deo, quippe per quam Deus aliter atque aliter habere ſe & poteſt, & ſolet, tum volendo, tum contemplando* & pag. 213. *Abſoluta, & ſimplex immutabilitas ac in parte Deo attribui non debet. Hoc enim nihil aliud eſſet, quam actionem Dei liberam, hoc eſt, à libera cauſa pendentem, cum ipſo Deo confundere, ſine eſſentiam, & voluntatem, hoc eſt, actionem volendi, ſeu volitionem Dei vnum idemque eſſe affirmare.* Et ſæpiùs alibi. Nec in hoc diſſimilis eſt eiuſdem farinæ Doctor *Socinus* tract. de Deo, &c. pagin. 92. *Aliud* inquit, *eſt Deus ipſe, aliud virtus ipſius.*

Audi, & in hoc non minus abſona, & Deo prorſus indigna docentem *Martinum Lutherum lib. de Conc. & in Confeſſ. de cœna Domini*, vbi præfractè affirmat Chriſti diuinitatem eſſe paſsibilem, imò & reipſa paſsam. *Theodoreti illa phraſis, Chriſtus in quantum Deus impaſſibilis eſt, nunquam ferenda eſt;* effatum eſt commune Lutheri aſseclis Selnecero, Gerlachio, Smidelino, Islebio, Muſculo. Conſideret hæc ſeriò quiſquis Sectis illis ſalutem ſuam fidendam putat.

Suppoſita Dei immutabilitate illa quam Catholici profitentur, *Libertatem* Deo ademptam volunt Remonſtrantes, de quo illos vehementer incuſant Contra-Remonſtrantes. Sic loquitur Vorſtius *lib. de Deo pagina 448. Deus panam non niſi aliquatenus inuitus, hoc eſt, cum quadam animi triſtitia & diſplicentia infligit.* Aliter ſanè Auguſtinus *lib. 5* de ciuit. Dei, *cap. 10. Dicitur*, inquit, *Deus omnipotens, faciendo quod vult, non patiendo quod non vult, quod ſi ei acciderent, nequaquam eſſet omnipotens.*

*Impeccabilitas* Dei manifeſtè deſtruitur per hoc quod Contra-Remonſtrantes, ſecuti Lutherum, & Caluinum, illum aſſerant eſſe authorem peccati, quod hic ſupra ab initio oſtenſum eſt. Declaratur illud breuiter hoc Syllogiſmo. Qui Deum facit authorem peccati, negat illius impeccabilitatem: Atqui aſsecla illi Caluiniac Lutheri faciunt Deum authorem peccati, ad illud impellendo, ac neceſſitando: Ergo negant illi Dei impeccabilitatem. Annotemus hic vnum, ex pluribus, *Caluini* effatum breuiſſimum lib. 3. inſtitut. cap. 23. §. 8. *Lapſus eſt primus homo, quia Dominus ita expedire cenſuerat.* Et ne intelligas de voluntate Dei tantùm permiſſiua, prohibet ipſe Caluinus *lib. 1 cap. 18. § 3 Iam*, inquit, *ſatis apertè oſtendi, Deum vocari eorum omnium authorem, qua iſti Cenſores volunt, otioſo tantùm eius permiſſu contingere.* De *veracitate, & ſinceritate Dei*, accuſant Remonſtrantes non rectè ſentire Contra-Remonſtrantes. Hi tamen videri poſſunt *Caluino* conformes, qui modum Dei agendi ſic deſcribit *lib. 3. inſtitut. cap 24.*

§. 13.

§. 13. *Ecce vocem ad eos dirigit, sed, vt magis obsurdescant: lumen accendit, sed vt reddantur cæciores: doctrinam profert, sed qua magis obstupescant: remedium adhibet, sed ne sanentur.* Demum ad prædicta generatius aduerte, si quando visi sunt illi paulò aliter loqui, deprehensos esse vel fucum facere voluisse, vel contradictionis conuinci.

*Sapientia, bonitate, & iustitia*, Deum velle spoliare Contra-Remonstrantes, contendunt Remonstrantes, idque ex eorum doctrina deduxit Iacobus *Arminius*, & Hollandiæ Ordinibus demonstrauit *in declaratione sent. de prædest.* Ecce inter quas procellas, & errorum fatales charybdes Nauicula religionis Batauicæ non tantum miserè fluctuat, sed pridem submersa est, de quibus præter memoratos Maxim. Sandeus, alijque quædam fusius deducunt.

Ex his facile colliges primò, Antilogias manifestas Doctorum Batauicorum circa prima, & essentialia Religionis Christianæ fundamenta. Secundò, illa nullatenus posse consistere cum veritate, & vnitate Dei Christianæ ad salutem necessariò requisita. Tertiò, Neminem his perspectis, sine summa temeritate, posse suam salutem æternam credere Sectis sic fluctuantibus, ac dissidentibus in ipsis primis fidei Christianæ principijs, vbi ante oculos habet Ecclesiam Romanam ab ipsis Apostolorum temporibus in vnitate fidei toto semper orbe diffusam, & alijs veræ Ecclesiæ Notis manifestis supra insignitam, quas supra *Partis I. cap.* 3. demonstrauimus.

## ARTICVLVS III.

### *Confusio, & discordia tot Sectarum, quæ ex Lutheranismo, & alijs prodierunt.*

NOn potest esse vnitas, aut veritas Fidei in Ecclesia Lutherana, cuius præcipua membra, & quasi primi Apostoli, in sua doctrina neque cum Luthero, neque inter se concordant, sed vbi mox prodierunt in Sectas varias sibi, Luthero, ac Euangelio contrarias degenerarunt, vti hic apertè demonstro.

Ac primò, ipse Lutherus in Saxonia circa annum 1517. vbi matrem suam Ecclesiam Romanam viperino more laniare exorsus est, mirum dictu in quot se figuras moresque transmutauerit, vt nouum aliquod Religionis monstrum efformaret. Ete nim ex ipso non Secta vnica, sed tres immundi Spiritus (quales Apocalypsis cap. 13. dicuntur exire de ore pseudo-Prophetæ) primo velut pactu prodierunt. Hi sunt Homologistæ, Anabaptistæ, & Sacramentarij. Et quia tres sunt, qui veritati testimonium dant in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis, Baptismum Aquæ inquinarunt Anabaptistæ, Spiritum veritatis in potestate Clauium oppugnarunt Homoligistæ, Sanguinem Domini profanarunt Sacramentarij, ne vllum veritati testimonium in terris integrum permaneret.

At ecce ex *Anabaptistarum* Spiritu cænoso quot illico Sectæ, veluti totidem ranæ, pullularunt. Ex his enim alij à cæteris diuisi se *Adamitas* appellant, quod Adamum in statu innocentiæ se imitari profiteantur. Alij dicuntur *Sabbatharij*, quia Sabbathum more Iudæorum, non diem Dominicum colendum esse docent: neque de Christi diuinitate rectè sentiunt, ad Iudæorum Messiam procliues. Alij se *Clancularios* Christianos vocant, quod existiment sibi sufficere fidem suam clam solo corde profiteri, & si rogentur an sint Anabaptistæ, licere id ad vitandum periculum apertè negare. Alij contra *Manifestarij* nuncupantur, qui prorsus impium esse docent, si rogentur, se Anabaptistas inficiari. Sunt, & alij dicti *Tacentes*, qui nolunt amplius esse docendum aut prædicandum, eo quod mundus iam indignus sit, vt verbum Dei audiat. Sed, & alij reperiuntur dicti *Enthusiastæ*, eo quod iactent se diuinis reuelationibus intus è cœlo doceri, ac diu velut mortui iacent, quasi interea diuinis colloquijs fruerentur.

Iam verò ex secunda Lutheri sobole, qui sunt *Sacramentarij*, quanta Sectarum colluuies effluxerit inspiciamus. Cum enim Lutherus scribens contra Leonem Pontificem, & in Libello de formula Missæ doceret in Eucharistia neutram speciem, sed solam Sacramenti fidem ad salutem sufficere, occasionem præbuit Carolostadio, & Zuinglio, vt de hoc Sacramento Berengarij hæresim renouarent. Hinc igitur orti *Zuingliani*, qui negant verum, & substantiale Corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento contineri.

Verum de hoc dogmate en quanta mox inter illos dissensio oborta est; quot penè capita, tot de vero huius dogmatis sensu sententiæ prodierunt. Alij ex Zuinglianis dicti sunt *significatiui*, qui Christi verba, Hoc est Corpus meum, sic intelligi volunt, vt verbum, Est, idem sit quod, significat Corpus meum. Alij alij dicti *Tropistæ*, qui verbo, Est, in propria significatione relicto, contendunt tropum esse admittendum in voce, Corpus, vt intelligatur tantum in Eucharistia Corporis figura. Ab his omnibus dissentiunt *Energici*,

qui

qui vt propius ad verba Chriſti accedere videantur, Corpus Domini dicunt intelligi debere per metonymiam, pro energia Corporis Chriſti, hoc eſt, pro effectu quod Corpus Chriſti in Cruce oblatum in nobis operatur, & cum his ſentit Calninus. Alij dicti *Arabonarij* ſtatuunt aliud ab his omnibus diuerſum, nempe Cœnam Domini præberi tanquam arabonem, inueſtituram, aut pignus Corporis Chriſti nobis donati. Præter hos ſunt, & alij ex eadem Lutheri ſobole qui Corpus Domini in Euchariſtia omnino adeſſe concedunt. Verum, & inter illos quanta in vno puncto fidei diſcordia! Alij admittunt Corpus eſſe ſub vero pane illic permanente, alij in pane, alij circa panem. Prolixum foret vel de hoc vno fidei myſterio cæterorum pugnantia inter ſe dellria recenſere. Ex quibus luce meridiana clarius oſtenditur, Lutheri Sectam non veram Eccleſiam, ſed errorum inter ſe diſſidentium fœcundum eſſe ſeminarium.

Tertius errorum Spiritus quem euomuit Lutherus fuerunt *Homologiſtæ*, cuius Sectæ præcipuus ſemper ſcopus fuit Sedem Apoſtolicam, & in ea poteſtatem Clauium à Chriſto traditam funditus euertere; in hanc Confeſſio Auguſtana, & cum ea Melanthon totus conſpirat. Sed, & hi *Confeſſioniſtæ* in plures Sectas diniduntur, ex ijs enim alij dicuntur *Rigidi* quorum duces erant Illyricus, Gallus, Morlinus, &c. qui profitentur ſe Lutheri dogmata integra, & inuiolata tueri, vt nullum eſſe homini liberum arbitrium, opera bona non eſſe neceſſaria ad ſalutem, ritus, & cæremonias omnes ab Eccleſia exterminandas, & alia quæ à Luthero dubiè pronuntiata, ab illis, in ſummo rigore defendenda ſuſcipiuntur, Quin, & ipſi *Rigidi* in varias factiones, & opinionum portenta diſſecantur, ex quibus prodierunt *Antinomi*, *Samoſatenenſes*, *Inferiani*, nec non *Antadiaphoriſtæ*, qui nullas cæremonias veteres, ſed aliquas tantum nouas admittunt, & *Anticaluiniani* qui contra Caluinum credunt verum Chriſti Corpus in Euchariſtia contineri, ac *Biſacramentales* qui duo tantum ſtatuunt Sacramenta, Baptiſmum, & Cœnam Domini; ac *Triſacramentales*, qui tria Sacramenta admittunt. Plura alia inter Rigidos pullularunt Sectarum portenta tam re, quam nomine formidanda.

*Rigidis* opponuntur Confeſſioniſtæ *Molles*, quorum Princeps fuit Melanthon, cui inter præcipuos huius Sectæ duces acceſſit Maior, Furſterus, Pomeranus, nec Theologi Lipſienſes. Hi contra Rigidos docent dari in homine liberum arbitrium, & poſt Fidem, bona opera ſaltem minus principaliter ad iuſtitiam requiri. Sed, quod hæreſi proprium eſt, nec iſti quidem in fidei ſuæ fundamento concordiam colunt. Alij enim *Maioriſtæ* dicti, quia Maiorem vt ducem ſequuntur, docent abſolutè bona opera ad ſalutem eſſe neceſſaria. At *Adiaphoriſtæ* repugnant in hoc, quod aſſerunt Eccleſiæ conſtituriones ac cæremonias eſſe res indifferentes; quas licitum ſit pro arbitrio admittere, aut repudiare. Alij inter Molles ſunt *Quadriſacramentales*, qui ex ſeptem, quatuor Sacramenta recipiunt, Baptiſmum, Euchariſtiam, Claues, & Sacrum Ordinem. Alij *Lutheri Caluiniani*, qui Berengarij dogma de Euchariſtia ſic temperant, vt perſuadere velint Caluini hæreſim Sacramentariam in Confeſſione Auguſtana à Principibus Lutheranis approbatam eſſe, vt ipſe Caſuinna in ſua aduerſus VVeſtphalum admonitione de Melanthone teſtificatur. Alij dicuntur *Medi Oſiandrini*, quia cum Oſiander hominem eſſentiali Dei iuſtitia iuſtum eſſe docuiſſet, & contra *Illyricani* aſſererent hominem ſolum imputatiuè iuſtum haberi, correxerunt vtroſque Medi Oſiandrini, quaſi media via docentes, hominem quidem in hac vita tantum imputatiuè iuſtum reputari, in vita autem beata illum fore iuſtum ea iuſtitia qua ipſe Deus per eſſentiam iuſtus exiſtit. De his ac pluribus alijs Molles illi Lutheri aſſeclæ inter ſe non molliter digladiantur.

Ab his ac Rigidis receduut *Confeſſioniſtæ*, qui *Recalcitrantes* dicuntur, eo quod contra ipſius Lutheri doctrinam auſi ſint apertè calcitrare: & quamuis nolint omniuò à Confeſſione Auguſtana deficere, ſic tamen contra priores Sectas, ac contra ſe mutuo in multis decertant, vt in alienis caſtris militare videantur, quales ſunt Oſiandrini, Stancariani, alijque quorum dogmata non recenſeo.

Hæc tantum pauca vnius Sectæ Capita ex fidis Scriprorum monumentis collegiſſe, atque in hunc ordinem claritatis cauſa redegiſſe ſufficiat. Vt quiſque propriæ, aut alienæ ſaluti conſulturus, diiucidè perſpiciat, ex vno Luthero eiuſque triplici Secta, quot iterum nouæ Sectæ inter ſe toties diſſectæ, reſectæque aſſiduò pullulauerint: quæ in perpetuis dogmatum, animorumque diſſidijs natæ, & adultæ, potius paiæſtræ alicuius gladiatoriæ, quàm vnius Eccleſiæ ſpeciem habent.

Sed nondum finitæ sunt istæ Sectarum dissensiones, Transeunt ad modernos Nepotes cum antiqua hæresi noua dogmatum dissidia. Hæc inter Hollandiæ Ministros hodie flagrantia, eleganti stylo describit *Fridericus Spanhemius* apud ipsos Sectarios Sacrarum litterarum Professor, in *Epistola* ad Amicum de nouissimis illic circa Res Sacras dissidijs, edita Lugduni Batauorum hoc anno 1677.

## CONCLVSIO.

ET verò ex harum Sectarum discordijs quot nata fuerint per Europam prælia, quot bellis ac cædibus lacerata Germania, loquuntur ætatis nostræ historiæ, ac superiorum temporum ferales ruinæ. Quis enim ignorat ab ipso exordio quid per Germaniam acciderit in rusticano Lutheranorum tumultu, qualia inter confœderatos Tigurinos prælia exarserint, quo pacto harum discordiarum occasione Prussiam Germaniæ eripuerit Polonus, Solymannus Hungariam, nec Suecus pauciora vastauerit. Per Galliam verò, & florentes olim Belgarum Prouincias, quàm internecinis odijs hæ Sectarum furiæ sacra omnia ac profana miscuerint, testantur adhuc recentia non minus odiorum, quam præliorum vestigia. Sed quid antiquiora memoramus? Non potuit toto Oceano cohiberi illud rapidissimum Lutheranici furoris incendium, ne Angliam vniuersam nouis dissidijs, bellis, ac cædibus inflammaret. Recenti adhuc memoria retinemus, quàm infestis in se inuicem odijs, atque armis incurrerint Protestantes, Puritani, Presbyteriani, Independentes, atque ex eodem Germine, Sectarum de nouo nascentium confusa progenies: quæ ad illum furoris apicem progressa est, vt non dubitauerit supremum Religionis suæ Caput excutere, ac dicatas sceleri manus Regio sanguine cruentare.

Et erit etiamnum aliquis adeo fatuus, & excors, vt seriò in animum inducat suum, infinitam Dei Sapientiam reformandæ suæ Ecclesiæ hanc hæresum inter se mutuo dissectarum atque armatarum colluuiem in orbem immisisse. Quæ cum antiquam Ecclesiam euertat, neque per se nouam, nisi merè Babylonicam constituat, quid aliud restat, quam vt omnem Christi Ecclesiam è mundo eliminet. Quis igitur erit, nisi rationis penitus expers, qui sibi sinat persuaderi, huic portentosæ tot capitum Hydræ Spiritum inesse diuinum, qui audiri debeat, contra authoritatem, & vocem totius Ecclesiæ Romanæ, quæ constanti Sedecim sæculorum decursu suam Fidem, cœlestibus signis comprobatam, summo animorum, dogmatumque consensu, per orbem penè vniuersum propagauit.

Restat igitur vt ex his Sectarum dogmatumque dissidijs hactenus explicatis, hoc porrò firmum, inuictumque conficiatur argumentum. Tota illis Sectarum collectio pro primo suæ fidei articulo profitetur, se missam à Deo ad reformandum Ecclesiam Romanam. Sed collectio Sectarum sibi mutuo contradicentium non potest esse vera, aut reformatrix Ecclesia, vt iam ostensum est. Ergo moderna collectio Sectarum, quæ profitetur se missam à Deo ad reformandam Ecclesiam Romanam, non potest esse vera Christi Ecclesia, aut reformationi idonea. Sic enim curuitas esset norma recti; & falsitas, & contradictio, regula perfectæ veritatis. Videat ergo in quanto salutis æternæ naufragio versetur, quisquis extra gremium Ecclesiæ Romanæ inter has Sectarum syrtes miserè fluctuatur.

## ARTICVLVS IV.

*Calumniæ quædam apertæ contra doctrinam Ecclesiæ Romanæ à Nouatoribus confictæ.*

### *Calumnia prima: Incultu Imaginum.*

FAmiliare est Sectarijs quamuis labem Catholicis aspergere, qua apud ignarum populum deformes aut monstrosi appareant. Colunt hi vetusto maiorum ritu imagines Christi ac Sanctorum: hinc fœcunda seges Calumniarum. De Papistis, inquiunt, conclamatum est: fugienda hæc hominum pestis: non tantum impij sunt, sed etiam Sacrilegi, neque sacrilegi tantum, sed etiam cultores idolorum; Christiani hominis nomen exuerunt, cum ethnicis insaniunt, infidelium more lapides, & ligna adorant.

At tu, Sectarie, Calumniam loqueris quouis lapide, & ligno crassiorem. Orant Catholici ad statuas lapideas Sanctorum, infers, ergo statuas lapideas adorant. En tibi in simili forma formosum argumentum: Orant Sectarij in templis ad Aras aut Columnas lapideas, ergo lapideas aras aut Columnas adorant. Errore isto nos facile liberabis, si tu prius errare desinas. Fides nostra est, cultum diuinum nulli creaturæ deferendum; si tu aliam nobis inuitis affingas, tuum istud figmentum, non nostra

religio est. Imaginem Sancti hac ratione veneramur: primò vt ea conspecta ad cultum sancto absenti deferendum moneamur, sicut tibi, Sectarie, vsa in conclaui tui Regis effigie subit animum grata quædam ac venerabunda benefici Principis recordatio. Hoccine tibi nouum crimen, & inauditus genus Sacrilegij? Altero modo imagines ipsas in honore habemus, quia Sanctos homines, & Deo charos repræsentant: sicut tu, Sectarie, Bibliorum volumina, quamuis ex charta, & atramento conflata, præ alijs libris in honore habes, & oscularis, quia in illis descriptum Dei verbum continetur: neque sua altari aut calicibus in sacris litteris derogatur veneratio, quorum Sacrilegum abusum in Rege Balthasare Cœlestis vltio vindicauit. Quidquid verò nos Sanctis in Imagine deferimus, id volumus vniuersum in Deum ipsum redundare, cuius vnius gratia præ alijs homines Sanctos honore prosequimur. En quo recidit immanis illa Papillasum impietas, & par cum Ethnicia cultus idolorum.

Esto, inquies, ista ratione Catholici quidam doctiores à cultu Imaginum Idololatriæ maculam detergant, at populus passim eo errore dementatur, vt credat Imaginibus Numen aliquod, aut potestatem naturæ viribus maiorem inesse. Hinc illis genua flectunt, oscula figunt, luminaria accendunt, templa atque aras Sacrilego cultu contaminant.

Noua hæc est calumnia, quam peperit disciplinæ Catholicæ crassa nimis ignorantia, hanc tibi palpandam præbeo. Quæro enim, an populus noster existimet se crimen aut sacrilegium admittere, si Sancti alicuius statuam argenteam aut æneam confringat, confractam comminuat, & in pateras, lances, aliosque vsus conuertat, quando id publicæ, aut etiam priuatæ vtilitatis ratio fieri deposcit. Nemo est inter nos qui hunc Ecclesiæ suæ peruulgatum vsum, & institutum ignoret. Numen scilicet inesse credit statuæ quam frangit, ligno quod secat, imagini, quam in publica Ecclesiæ luce lacerat atque comminuit. Apage cæcam calumniam: sunt hæc nostri Popelli, sed tui Ministelli deliria, cui parum est in re aperta cœcutire, modò vel sic Religioni Romanæ aliquam impietatis laruam, imponat, contra quam possit è Cathedra falsitatis, ad captandum populi sui plausum, liberius denotare.

*Calumnia secunda: De signo Crucis.*

ALtera calumnia est, Catholicos ligna in Crucis modum transuersa populo adoranda proponere: sibi persuadere in hoc signo latere internam, & arcanam virtutem, ad pellendum quoslibet morbos, & quamlibet dæmonum potestatem debellandam. Et quamuis Catholici omnes vno ore reponant, se neque adorare, neque inuocare aliquam internam ligni virtutem, sed adorationem, ac fiduciam suam ad Christi in Cruce passi personam referre, surdis canunt, qui audire nolunt quid Catholici credant, sed quid Sectarij ipsis affingant, tanta est conuitiandi libido. Vt verò exornando huic conuitio populare ludibrium adijciant, Catholicum percunctantur: An si parens illius aut auus in patibulo expirasset, propterea vellet Patibulum in familiæ suæ insignia adoptari? O pium, ac dignum Christiano homine argumentum. Quæro ego vicissim. An si parens tuus in Cruce expirasset, illum hominem tanquam tnum ac totius mundi Saluatorem adorares? Absit, inquies, istud nefas: alius enim Homo est Christus, quam quiuis cæterorum mortalium. Vides quam facili responso ipse tuam enerues ludicram quæstionem. Si ergo humanitatem Christi pro nobis passam propter vnionem cum Verbo tanquam instrumentum redemptionis nostræ adorare non recusas, cur signo Crucis ob singulatem coniunctionem cum Christi humanitate nullum genus sacræ venerationis deferendum censes? At, inquis, populus ignarus non Christum, sed ipsum lignum Crucis adorat. Verum contra, populi cultum constituit non aliena cogitatio, sed propria intentio. Audi ergo, & paucis cape. In Cruce non colit lignum, sed in ligno Christum adorat: quem autem adorat, illum, & inuocat, & propter hunc, Crucem in quo passus est tanquam passionis instrumentum, & signum in honore habet. Tune audeas aperta fronte profiteri, te non magis Crucis signum, quam latronis patibulum venerari? Tam sacrilegam vocem non tantum dæmones, sed etiam plerique horum temporum Sectarij exhorrescunt. Non adeo possunt primæuæ Ecclesiæ monumenta ignorare, vt de Crucis veneratione ac virtute tempore Hieronymi, Augustini, Tertulliani, Constantini, ac Helenæ nihil in aures animumque admittant. Obuium est quod narrat S. Augustinus *lib. 22. de Ciuit. Dei cap. 8.* matronam quandam Cartha-

thaginenſem nomine Innocentiam, cum immedicabili morbo finem illi cancer exederet, ſigno Crucis repente curatam eſſe. Nec minus notum, quod refert S. Hieronymus in vita Hilarionis. Exorto ingenti terræ motu, poſt mortem Iuliani, maria ſuos terminos egreſſa Epidauris exitium minabantur: horum rogatu S. Hilarion contra tumentem maris gurgitem ſignum Crucis in arena formauit, confeſtimque ſtetit indomitum elementum, ac retro relapſum in ſuum ſeſe alueum recepit. Hoc (inquit Hieronymus) Epidaurus, & omnis illa regio vſque hodie prædicat, matreſque docent liberos ſuos ad memoriam in poſteros tranſmittendam.

## *Calumnia tertia: De quadam Ioanna Papiſſa luculenter refutatur.*

MOdernis Sectarijs, maximè Anglis, obijciunt Catholici, quod regnante Eliſabetha, fœminam Sacræ poteſtatis, & Ordinis incapacem, in Eccleſiæ ſuæ Caput enexerint. Hærent illi ad hoc exemplum orbi hactenus inuiſum, tanquam ad apertum Sectæ acephalæ argumentum. Sed, cum alia arte monſtruoſi Capitis deformitatem abſtergere nequeant, aliud monſtrum non diſſimile Catholicis affingunt. Aiunt enim anno Chriſti 855. Leoni IV. in Sede Romana ſucceſſiſſe fœminam; quæ in Pontificatu dicta fuerit Ioannes VIII. & in eo ſediſſe annis duobus, & menſibus quinque. Hanc verò Ioannam volunt fuiſſe origine Anglam, ſed natam Mogantiæ in Germania, & à quodam amaſio in habitu virili doctam Athenas, poſtea ſcientijs inſtructam veniſſe Romam, ibi mentito ſexu in Pontificem electam. Denique dum de S. Petro in Latheranum tenderet, in via coram populo peperiſſe, & ſe fœminam prodidiſſe.

Videamus quam bellè inter ſe huius figmenti membra cohæreant. Aſſumpta eſt, inquiunt, in Pontificem 855. interea per quadringentos annos vſque ad quendam Martinum Polonum qui vixit anno 1250. omnes hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores rem tantam, tamque publicam ignorarunt, aut de ea, quaſi coniuratione facta, homines tot ſæculis diſſiti in ſuis ſcriptis penitus ſiluerunt; in quorum Monumentis immediatè poſt Leonem IV. conſignatur Benedictus III. nulla iſtius fabuloſi Ioannis aut Ioannæ facta mentione.

In gratiam, Inquies, Romanæ Sedis rem tam deformem in Catalogo Pontificum vitro prætierunt. At quamuis iſta tam admiranda tot ſæculorum conſpiratio latinos Scriptores inuaſiſſet: Græci tamen authores vt eſt Zonaras, Cedrenus, Curopalates, qui ante Martinum Polonum Annales ſcripſerunt, pro ſuo erga Sedem Romanam odio, & inuidia, hiſtoriam tam enormem minimè reticuiſſent: multò minus iſtorum temporum hæretici Sedis Apoſtolicæ hoſtes infenſiſſimi. Audierint fortè huius fabulæ primi Authores, fœminam aliquam in alicuius priuatæ Eccleſiæ ſedem irrepſiſſe, ſtatimque odio ſtimulante rumorem illum Sedi Romanæ affingere non dubitarunt.

Deinde ipſa, quæ circumfertur facti narratio apertè fabulam prodit. Magdeburgenſes *Centur 9. cap. 20.* aiunt fuiſſe Anglam, eo quod fuerit ex parente Anglo nata Moguntiæ. Theodorus autem, & Bibliander in Chronico, aſſerunt tantum dici Anglam, eo quod in Anglia educata, & litteris erudita fuerit. Gerardus verò refert pro Angia habitam, eo quod Monachus Anglus eam mentito habitu, per Galliam, & Italiam circumduxerit. Alij demum tradunt eam non fuiſſe eruditam in Anglia, ſed Athenis operam ſtudijs dediſſe; cum tamen ex Bellarmino, & aliunde probetur ea tempeſtate litterarum ſtudia vſque ad Bardam Cæſarem in tota Græcia extincta fuiſſe. Quam quæſo hæc tam pugnantia teſtimonia referunt ſpeciem veritatis? Denique quis credat, hanc fœminam ſegaciſſimam, quæ in reliqua ætate ſexum tanto ſtudio, & arte celauerit, adeo fuiſſe imprudentem, imo dementem, vt, cum ſciret ſe tot menſibus vterum gerere, in publicum proceſſerit, ſuamque infamiam toti populo ſpectandam ac vindicandam prodiderit. Quid verò de ea in tantis flagitijs deprehenſa factum fuerit, quomodo poſtea vixerit, aut quomodo obierit, inter ipſos etiam Aduerſarios altum ſilentium, ac ſi ipſa vna cum hac fabula è rerum natura ſubitò euanuiſſet. Apage indignum ſano cerebro commentum, ex quo nihil aliud probant noſtri Sectarij, quam inſanam, cæcamque contra Eccleſiam Romanam calumniandi libidinem.

Atque vt calumniam tam infeliciter fabricatam, ſi quid habeant frontis, tandem erubeſcant: Conſulant de ea confutationes *Blondelli* ex ipſa Caluini Secta viri literatiſſimi, qui poſtquam ex antiquioribus monumentis huius fabulæ authores, tempus, locum, ac partes omnes accuratè expendiſſet, demum apertè demonſtrat, nullam ſubeſſe veri ſpeciem, totum eſſe inane figmentum, & ſuis architectis maximè probroſum. Adeo nem-

pe

pe luculenta eſt veritas, vt ſuis etiam aduerſarijs ſuffragium extorqueat.

## *Referuntur Calumniæ quædam apertè à Miniſtris præſertim in Anglia conflictæ.*

ASſerunt imprimis Catholicos in pœnitentiæ Sacramento impune omnibus flagitijs fræna laxare: ac pro criminibus in futurum perpetrandis abſolutionis beneficium impertiri. Vt corruat hæc Miniſtrorum infamis ignorantia, aut verſuta ignorantiæ ſimulatio, ſufficiat ad ſingulorum Catholicorum teſtimonium, & conſcripta paſſim fidei noſtræ monumenta appellare, in quibus de abſoluendis peccatis in futurum committendis, ne tenue quidem veſtigium deprehendes: quinimo omnes paſſim Sectarij, cum ipſo Luthero, Confeſſionem peccatorum apud Papiſtas crudeliſſimam conſcientiæ carnificinam appellant. Tam beliè criminationes illæ inter ſe concordant, quam ſolent mendacia conuenire.

Iterum, vt impingant Catholicis omnium ſcelerum carniſque licentiam, aiunt grauiſſima quæque flagitia inter illos pro venialibus haberi. Refert in hanc rem Ioan. *Berclaius*, ſe præſente à Sereniſſimo Angliæ Rege interrogatum ex ſuis Epiſcopis aliquem: ecquid Catholici de Fornicatione ſentirent? Atque illium ſine cunctatione reſpondiſſe, inter Scriptores Catholicos eſſe qui Fornicationem in Venialibus numerent. Commotus mendacio tam ſplendido *Berclaius* liberè repoſuit, Non viſum eſſe inter Catholicos probatum authorem cuius doctrina tam infandum præbeat Veneri patrocinium. Dum inter hos de ea quæſtione pluribus diſceptatur, ſubintrat conclaue regium Epiſcopus alter non leuis famæ Sectarius. Rex ad hunc conuerſus: hic, inquit, diſputatur, an Catholici doceant Fornicationem mortalem eſſe culpam, an venialem. Ille confeſtim, ac ſi de re notiſſima ſententiam pronunciaret, Venialem omnino [Rex Sereniſſime] Venialem culpam exiſtimant. En quales hi ſunt Seniores populi, qui Eccleſiam Romanam, vt innocentem Sufannam; ſuis calumnijs & conuitijs opprimunt. Hi ſunt idonei Iudices controuerſiarum fidei, hæc oracula fallere & falli neſcia, ex quorum ore populus diſcernat quid Apoſtoli, quid Patres antiqui, quid priſca Eccleſia docuerit, qui in doctrina præſenti & ante oculos poſita iam malignè cæcutiunt.

## *Plures aliæ particulares Impoſturæ, ac Maledicentiæ Sectariorum, præſertim Caluiniſtarum.*

GAbriel Powelus Caluiniſta in priori ſui libro *de Antichriſto*, in ipſa præfatione de Pontifice Romano ſic loquitur: *Deum ſanctè teſtor, me tam certo ſcire Pontificem Romanum eſſe magnum illum Antichriſtum, quam Deum ipſum eſſe in cœlo, Creatorem viſibilium, & inuiſibilium, & Ieſum Chriſtum verum illum eſſe Meſſiam Patribus olim promiſſum &c.* En ſymbolum Caluiniſticum, ad cuius articulos non magis ſpectat Deum eſſe in cœlo, & Chriſtum verum eſſe Meſſiam, quam Pontificem Romanum verum eſſe Antichriſtum. Hoc tamen Apoſtoli ſuo Symbolo nuſpiam appoſuerunt. Plura ſcilicet de hoc reuelata ſunt Powelo cum ſuis, quàm ipſis Apoſtolis.

Pergit Powelus *l. 2. de Antichriſto c. 2.* contumelioſè affirmans, *Cardinales, Epiſcopos, Canonicos, Monachos, eſſe Locuſtas vaſtatrices, eſſe mendaces, eſſe homicidas &c.* Quam efficnata hæc contumelia in præcipuas orbis Chriſtiani familias ad Cardinalatus dignitatem euectas.

Quid mirum ſi hic cum Paræo, Burdo, aliiſque eiuidem Scholæ, vocitent *Ioſuitas*, membra Diaboli, progenies viperarum, ranas coaxantes, Caudam Antichriſti &c.

Sed nec pareit horum Spiritus hotrendum in modum maledicere Chriſtis Domini, hoc eſt, ſupremis Eccleſiæ Chriſtianæ Principibus, & Monarchis. Sic enim illos tractat *Bredenodius* Caluiniſta in libello cui titulus. Fœderatorum inferioris Germaniæ defenſio tertia &c. vbi non dubitat pronunciare, *Quod Philippus Rex Hiſpaniæ ſit raptor, & notorius hæreticus, ideoque omnibus omnium Caluiniſtarum viribus è regno ſuo expellendus.* Quod *Archiduces Auſtriæ ſint perfidi. Dux Sabaudiæ crudelis, & perfidus. Sigiſmundus tunc Rex Poloniæ non diſſimilis, &c.* Hunc Spiritum hauſerunt poſteri à ſuis maioribus, ipſi Caluino, Beza &c. *Caluinus in Caput 6. Danielis* ſic ſcribit: *Principes terreni ſe contra Deum extollunt, ſua ſe ipſi potentia priuant, imò verò indigniſſima ſunt quæ hominum cœtui ac numero reponantur. Potius igitur illis eſt faciendum, quàm ipſorum imperijs obſecundandum, niſi omnem ſuperſtitionem extirpent, & fundatus tollant.* Hæc, & alia huius generis atrociſſima fuſius deducta reperiuntur apud Ludouicum Richeomum in expoſtulatione Apologetica ad Regem Nauarræ, cap. 28.

*Authoritatem antiquorum ac Sanctorum Patrũ contra ſuos errores, quantum vilipendant Caluiniſtæ, patet in particulari ex Franciſci Lunij* Animaduerſionibus circa lib. 3. Bellarmini de Pontifice, vbi paſſim ſic pronunciat: *Patres à vero plurimum aberrauerunt. Hæ ſunt meræ Patrum coniecturæ. Sunt vanæ ſuſpiciones quibus boni Patres plus ſatis indulſerunt, &c.* Et in hoc Antiquorũ Patrum contemptu non alijs quam ſui Caluini veſtigijs egregiè inſiſtunt.

Agens enim *Caluinus* de concupiſcentia *inſtit. lib. 3. §. 10. Neque opus eſt* [inquit] *multum inueſtigando laborare quid hic Veteres ſenſerint, &c.* De ſatisfactione *inſtit. lib. 3. cap. 4. § 38. Parum me mouent, quæ in veterum ſcriptis de ſatisfactione paſſim occurrunt.* De Laicis in neceſſitate baptizantibus, inſtit. lib. 4. cap. 15. §. 10. *Quod autem multis ab hinc ſæculis, adeoque ab ipſo ferè Eccleſiæ exordio vſu receptum fuit, vt in periculo mortis Laici baptizarent, non video quam firma ratione defendi queat.*

Ex his patet ſimul mirus Eccleſiæ Chriſtianæ contemptus, ſimul manifeſta halucinatio, Quod cum hi Sectarij appellent ad primitiuam Eccleſiam, quam agnoſcunt infallibilem, nihilominus antiquorum Patrum authoritatem ſic vilipendant, vt ſuum illis iudicium præponant.

*In contemptu Sanctorum cum Chriſto regnantium*, en Caluinum eo progreſſum vt eos *laruas, Carnifices, beſtias* appellet lib. 3. Inſtitut. cap. 20. §. 27. *Inde*, Inquit *colligimus nihil eos Chriſto reliquum facere, qui pro nihilo ducunt eius interceſſionem niſi accedant Georgius, & Hyppolitus, aut ſimiles laruæ.* Et in libro de ratione Reformandæ Eccleſiæ. *Omitto Dominicum, & ſimiles carnifices. Omitto Methardum, Lubinum, & ſimiles beſtias.* Et inſtit. cap. 20 §. 24. *Quis eouſq; longas illis [ſanctis] eſſe aures reuelauit, quæ ad noſtras voces porrigantur?* Reſpõdeat huic maledico nomine totius Eccleſiæ primitiuæ S. *Auguſtinus Serm. 27. de Sanctis Quiſquis*, inquit, *honorat, Martyres, honorat, & Chriſtum: & qui ſpernit Sanctos, ſpernit, & Chriſtum.* Atqui Caluinum cum aſſeclis ſanctos ſpernere, ex dictis manifeſtum eſt. Ergo illos Chriſtum etiam ſpernere minis perſpicuum enadit.

*De fallacijs eorum, & æquiuocationibus* in articulis fidei, ſpecimen ex multis vnum adnotare iuuat. *Beza* Caluini diſcipulus vt Lutheranos in ſuam Sectam ſpeciæ concordiæ fallaciter attraheret, anno 1556. ſcripſit *Confeſſionem* fidei in qua aſſeruit, *Corpus Chriſti vere, & realiter eſſe præſens in Cœna, & communione Euchariſtica.* Sed cum Lutherani conclamarent, Beza teſte, Zuinglianos Caluiniſtas iam ſuam doctrinam, & Sectam deſeruiſſe, idque hi Bezæ grauiter exprobrarent. Tum demum Beza inſigni aſtu reſpondit, ſe quidem id ſcripſiſſe, ſed per hoc intelligendam non eſſe *Cœnam Domini quæ celebratur in terris*, ſed *Cœnam illam quæ celebratur in cœlo*, vbi Chriſtus *verè, & realiter præſens eſt.* En quales Prothei! quam fideles pro reformanda Eccleſia Apoſtoli? Hoc Bezæ factum diſertè tradit *Bellarminus* lib. de Euchariſtia, cap. 2. & teſtatur *Claudius Sanctes* in Reſponſion. ad Bezæ apologiam.

## *Oſtenditur Impoſtura iniquiſſima* ANTONII EGANI *de quæſtu Simoniaco Eccleſiæ Romanæ per Apoſtolicos Miſſionarios.*

PRodiit non ita pridem peſtifer Libellus Antonij Egani, qui deſerta anita fide, & religioſa profeſſione, ex Hibernia in Angliam profugit, nec enim Hiberniæ tellus animal tam venenatum in ſuo gremio ſuſtinere potuit. Vulganit ille contra Apoſtolicos Miſſionarios calumniam mira arte confictam, de quæſtu ſacrilego ac Simoniaco, quo ſingula flagitia venalia exponunt, taxato etiam pretio quod ex eorum abſolutione aut diſpenſatione corrogare debeat: tanta ſolet eſſe tranſfugis calumniandi libido. Nolo ego ( quod mihi promptum foret ) rem hanc pluribus perſequi, ſed tantum pancis, & abſque vllius offenſione calumniam adeo perniciosam diſſipare, ne pergat incautos in errorem inducere.

Atq; imprimis quæro, Egane, quibus argumentis, tabulis, ac teſtibus hanc accuſationem grauiſſimam in publica orbis luce confirmas, Hoc vt præſtes omnium leges, & ipſius Angliæ ſtatura requirunt, quæ iubent Accuſatorem legitima criminis probatione deſtitutum Impoſtoris infame nomen ac pœnam ſubire. Hic verò, in accuſatione grauiſſima nihil aliud Eganus niſi ſuam vnius fidem, eamque leuiſſimam, in cauſæ ſuæ teſtimonium adducit. Cum tamen Ius omne tam ciuile, quam Canonicum, & ipſum Auctorem, & inimicum, & maleuolum, & infamem, & Apoſtatam, à teſtium numero penitus excludat. Vidè ſi quid Iuris delibaſti C. *Cum oportet* de Accuſat. Et l. *Iuſta* ff. de manu vin. Et in C. *Alienj erroris*, 3. q. 4.

Ex quibus manifeſtè conficio tantum abeſſe vt tuo teſtimonio ſuſceptæ accuſationi vllam veritatis vmbram concilies, vt potius te ipſum execrandæ calumniæ authorem, & impo-

postorem pœnis obnoxium admittere cogaris. Neque verò arbitror ipsa Acatholicorum tribunalia adeò esse æquitati inimica, vt audiendos censeant fugitiuos in suos Dominos crimina producentes, nullo alio teste, nullis tabulis, nulla veri specie comprobata.

Secundò, interrogandus mihi est Eganus, quo pacto fieri possit vt Missionarij Apostolici impune, & ex præscripto Cancellariæ Romanæ, vt ipse fingit, quæstum Simoniacum vbiq; exerceant, quem ipsa Ecclesia, cum Pontifice Romano, in œcumenicis Concilijs congregata, feuerissimis semper legibus damnat, ac pœnis infectatur? Legantur censuræ ac pœnæ grauissimæ contra Simoniacos ab Ecclesia Romana constitutæ in Concilio Romano primo sub Alexandro II. Pontifice. Extant contra eosdem Decreta Concilij Placentini, vbi traduntur fuisse quatuor millia Clericorum tempore Vrbani II. Eadem fuit mens, & sententia Patribus ex toto orbe Christiano congregatis in Concilio generali Lateranensi VI. sub Innocentio III. cap. 46. Nec minor nostro æuo cura incessit omnes Ecclesiæ Præsules in Tridentina Synodo collectos, ne quem è suo corpore, aut aliud Ecclesia membrum execrunda Simoniæ pestis afflaret, contra quam firmissimos legum obices opponit sess. 21. in decreto de Reformatione cap. 1.

His accedunt grauissima Pontificum diplomata, quæflui Simoniaco omnis in Ecclesiam aditus feuerissimè præcluditur. Et quidem Eugenius IV. præcedentium Pontificum ac Conciliorum vestigijs insistens suo diplomate, post multa in hanc rem decreta, his verbis concludit. Statuentes præterea quod vuiuersi, & singuli, etiam præmissa (quauis) dignitate præditi; qui quomodolibet dando vel recipiendo Simoniam commiserint, aut vt illa fiat Mediatores extiterint, seu procurauerint, sententiam excommunicationis incurrant, &c. Et ne harum legum vigor lapsu temporis vel in ministro laxaretur, proximo sæculo diserte innouatur à Leone X. in sua Constitutione quę incipit *Superna*, §. 37. Constitutiones, inquit, per Antecessores nostros, etiam in Sacris Concilijs contra huiusmodi Simoniacos editas innouamus, easque inuiolabiliter seruari præcipimus, ac pœnas in eis contentas pro expressis, & insertis haberi, & delinquentes, etiam authoritate nostra, affici volumus. Atque has Constitutiones perpetuo valituras, & in quouis Ecclesiæ tribunali seuerissimè obseruandas, non minori semper cura alij, atque alij Pontifices instaurant.

Quis ergo, nisi fatuus, vni credat Egano fugitiuo, Apostatæ, & Ecclesiæ Romanæ hosti iurato, contra hæc quæ adduxi testimonia, ac publica Ecclesiæ Iura, ac tribunalia toto orbe notissima.

Hinc ego vos, Academici Oxonienses, qui Egani libello testimonium appositis, & omnes cordatos monitos velim, vt omnia sedulò circumspiciatis anteaquam autem huiusmodi Transfugis, multò minùs fidem præbeatis, qui prius honestatem omnem quam fidem exuerunt.

Veniunt illi ad vos in vestimentis ouium, intus autem sunt lupi rapaces, qui non dubitant quauis calumnia Ecclesiæ Romanæ famam lacerare, vt hac infami arte vestram gratiam ac patrocinium promereantur. Latet, mihi credite, latet intus fraudulentus Simon, qui multa de Danais mentitur, paratus interea, si res ferat, vestram quoque Troiam incendere, eoque se proripere quo libido, quo lucrum, quo nouus furor impulerit. Tales, inquit *Erasmus* ad Vnibaldum, tantum quærunt censum, & vxorem, cætera præstat illis Euangelium, hoc est, potestatem viuendi vt volunt. Neque hic de genio irrequieto quo transfugæ illi agitantur nostri tantum temporis sensus aut censura est. Innatam illis leuitatem ac deprauatam indolem viuis coloribus depinxerunt nobis primi Ecclesiæ Patres, ne malis artibus incautos in fraudem inducerent. Non existimes, ait S. Cyprianus de vnitate Ecclesiæ, bonos de Ecclesia posse discedere; triticum non rapit ventus, nec arborem solida radice fundatam procella subuertit, inanes palææ tempestate iactantur, inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur. In eandem sententiam notat Tertullianus per huiusmodi Ecclesiæ spummas ac vilia purgamenta, sincerum illius corpus magis purum, integrumque conseruari. Auolent quantum volent palææ leuis fidei quocumque affiatu tentationum, eo purior massa frumenti in horreo Domini reponetur. Hæc omnia in leuissimis Egani moribus quam aperte eluceant quisquis obseruare voluerit, facile concludet, nihil aliud ab huiusmodi Protheo, quam malas artes, fraudes, ac calumnias, expectandum fuisse.

(§)

*Contra fatuam Concluſionem* Andreæ Sall *Secta Proteſtantium ſuſcipienda.*

ASſerit ille, in ſua Recantatione, poſt diuturnum ſtudium, ac conſiderationem Eccleſiæ Romanæ, & Lutheranæ, ſe tandem *Concluſiſſe*, Fidem Eccleſiæ Anglicanæ tutiorem, & ſecuriorem eſſe pro ſua ſalute, quam viam Eccleſiæ Romanæ.

Itane tu concludis, infelix Dialectice? Expendiſti igitur, te fatente, pro veritate Eccleſiæ Romanæ totius penè orbis Chriſtiani commune teſtimonium per mille quingentos annos à Chriſto vſque ad Lutherum, omnium populorum, omniumque gentium conſenſu receptum. Adeo vt toto illo ſæculorum decurſu, præter Romanam, nullam omninò poſſis deſignare Eccleſiam palam cognitam, de qua potuerit verificari perpetuus illius ſymboli articulus, Credo in Sanctam Eccleſiam Catholicam. Nulla ergo in orbe terrarum per mille quingentos annos publicè nota fuit Catholica, ideſt, vniuerſalis Chriſti Eccleſia, vel ſola debuit eſſe Romana. Et tu ex hac præmiſſa concludis, reiecta Religione Catholica ac Romana, ſecuriorem tuæ ſaluti fore Confeſſionem Proteſtantium in Anglia, quam & tota Eccleſia Catholica, & aliæ Sectæ per orbem diffuſæ, & maxima pars ipſius Angliæ tanquam falſam, erroneam, ac hæreticam prorſus damnant, & execrantur. Adeò vt nullum toto orbe angulum, nullam Sectam, aut Sectarium mihi poſſis de monſtrare, qui in conſtituendo, Capite, primatu, & Hierarchia Eccleſiæ, cum Anglicana Proteſtantium Secta conueniat.

Tune Sall, & Sal, vt ipſe putas, magnæ ſapientiæ, tunc ſana mente ponderaſti pro Eccleſia Romana tantam, tamque conſtantem omni æuo Miraculorum gloriam, quam ipſe Chriſtus publicam veræ Eccleſiæ notam ac teſtimonium eſſe pronuntiat. Non ignoras quanta Compoſtellæ, vbi aliquando viſiſti, edantur prodigia omnibus conſpicua, quanta Laureti in ipſo ſinu Eccleſiæ Romanæ, vt alia ſileam toto orbe notiſſima. Sat tibi nota conſtantia tot Martyrum ſignis innumeris à Deo comprobata, qui omni æuo veritatem Religionis Romanæ ſuo ſanguine ita conſignarunt, vt nullis Tyrannorum tormentis (multò minus vnius pſeudo-Epiſcopi blanditijs) à primęuæ fidei confeſſione dimoueri potuerint.

Hanc tu Religionem pro animæ tuæ ſalute tibi deſerendam concludis, & ampleelendam Sectam paucorum Proteſtantium, cuius originem, aut progreſſum omni æuo à Chriſto vſque ad Lutherum, & tu, & orbis vniuerſus ignorat. Pro cuius veritate, præ aliis Sectis, quæ ipſe condemnas, nullum particulare Dei teſtimonium, nullum generale Concilium nullum diuinum Miraculum, nullum ſæculorum, aut gentium conſenſum poteris in medium proferre. Quidquid enim tu pro Cœtu proteſtantium ſiue ex Scripturarum intelligentia illis ſolis à Deo donata, prætendes; idem ſibi Puritani, idem Anabaptiſtæ, idem independentes, idem reliquarum Sectarum colluuies eodem iure vindicabit. Non tantum ergo totius orbis Catholici ſuffragio, ſed tuo etiam iudicio conſtrictus, & condemnatus teneris.

Heu Sall miſerande, Sal inſatuate; adeone tuus ille in Chriſto Pater, aut potius parricida, te potuit dementare, & omnem bonæ mentis aciem eripere, vt in Concluſionem tam ſtolidam, tam cæcam, tam infamem te adactum fateare? Qua tandem factum eſt, infauſta metamorphoſi, vt qui poteras tibi, & alijs Sal eſſe Chriſtianæ Sapientiæ, nunc vt inſulſum cadauer ad nihilum valeas vltra, niſi vt mitteris foras, & ab hominibus vbique gentium tuo merito conculceris.

At agnoſce infelix, agnoſce tandem, quanta te inuoluerit mentis caligo, quæ cęco impetu Te in hanc erroris abyſſum præcipitem adegit. Reuoca, dum licet, infauſtum gradum, quo ad interitum feſtinas. Aderit breui dies illa extrema, aut potius nox caliginoſa, in qua dabitur profligatæ vitæ errata ferò agnoſcere, nunquam reparare. Reſpice vel nunc ſtatum animæ tuæ miſerandum, in quem te vltro demerſiſti. Extra ſinum matris Eccleſiæ tanquam abortiuum te proieciſti: ſacrum Sacerdotij miniſterium tot modis temeraſti; vota Deo nuncupata auſu Sacrilego procuraſti; omnia ſalutis remedia tanquam inane ludibrium longè abieciſti. Et adhuc tot ſcelerum reus haud ferò aduertis, quam horrendum te iudicium, quam dira ſententia, quam immane barathrum expectat. Quid dico expectat? Iam coram orbis Tribunali tua perfidia patefacta eſt, omnium iudicio condemnatus, & vinculis tuę conſcientiæ conſtrictus teneris, in profundum gehennæ, niſi reſipiſcas, qua neſcis hora abripiendus. Ridet interea, & exultat in interitu tuo infauſta Hæreſis, eiuſque Miniſtri, quibus te neſandis errorum catenis mancipandum tradidiſti. At leget ex aduerſo funus tuum Patria chariſſima quæ te olim genuit luget

luget Ecclesia quæ te à teneris in sinu fouit: luget Cœtus ille Sanctissimus, qui te optimis legibus & exemplis instituit. Si enim censemus communi luctu deflendum corpus quod deseruit anima, quomodo non deflenda est anima quam deseruit Deus?

Atque vtinam tandem tu teipsum deflere incipias: neque verò poteris, nisi ferreus es, à salubri luctu ac lachrymis temperare, si oculis tuis seriò proponas statum animæ tuæ tot modis horridum ac luctuosum: deformata omnia pristinæ Religionis vestigia, obliteratam pietatis speciem, extinctam probitatis imaginem, aut potius in imaginem Satanæ sacrilego furore transformatam.

Pandit adhuc Clementiæ sinum prodigo Filio benignus Deus. Humanum esse nouit labi & errare, sed dæmoni proprium in errore perdurare. Vnica ad salutem restat via, à lapsu gradum reuocare, errores agnoscere, ac palam abdicare. Non desunt tibi etiam in Anglia non indecora magnorum heroum exempla, qui non dubitarunt abdicato quouis officio, dignitate, & Aulæ gratia, errores potiùs corrigere, & ad Romanæ Ecclesiæ gremium conuolare, quàm certissimum æternæ salutis naufragium incurrere. Et tu tandem Sall, qui hos secutus es errantes, sequere dum licet pœnitentes: vtque in oppugnanda Christi Ecclesia te subitò in Saulum transformasti, ita in propalanda ipsius fide ac veritate, te deinceps Paulum exhibe. Hoc à te suo iure deposcit toties indignè proculcata Religio, violata conscientia & æquitas & quod caput est, nunquam nisi sic euitanda mors illa immortalis, & gehennæ nunquam extinguendæ supplicia.

Quod si in ista qua detineris mentis caligine, incipiat tandem tibi radius aliquis diuinæ lucis oboriri, reflecte oculos ad Petram vnde excisus es, neque pudeat post tot errorum labyrinthos ad agnitam olim Ecclesiæ Catholicæ semitam respectare.

Vtque tibi ad hoc non desint Considerationes idoneæ, quas in Dei conspectum sincero animo reuoluas, non recusaui (vtinam in tuam quoque salutem) laborem formandi in hoc Opere pauca quædam ac dilucida argumenta, quibus necesse est à Nouatorum erroribus ad veram Ecclesiam quemlibet adduci, qui apertam salutis viam animo non penitus obcæcato inuestigare voluerit.

## *Refelluntur Calumniæ Sectariorum in Anglia malignè confictæ contra Patres Societatis ibidem.*

NIhil omni tempore studiosius agunt Sectarij illi, quàm vt Patres Societatis præ cæteris persequantur, exterminent, & populo reddant execrabiles, ne illi suis erroribus pergant obsistere. In hunc finem malignè illis affingunt opiniones maximè detestabiles, vti de licito vsu æquiuocationum ad tegendam coniurationem in Regis vitam: de absolutione, & negatione istius criminis etiam cum iuramento in articulo mortis: de licita occisione Regis hæretici vt Religio Catholica introducatur: & depositione illius per subditos si à Papa excommunicetur: & per dispensationem Papæ posse mendacium fieri lieitum, & alia quæ hic sequentur.

Sed contra has calumnias. Primò, Manifestum est ex Societatis probatis Doctoribus in Libris publicis, & toti orbi conspicuis, doctrinam illius odiosis illis, & calumniosis assertionibus prorsus aduersari, De quibus, aliisque huiusmodi, pluribus *Martinus Becanus Opusculo* 12.

Secundò, Patet hoc euidenter ex publica Declaratione ipsius Regis Galliæ Henrici IV. qui in hoc contra Caluinistas calumniatores Iesuitarum patrocinium pridem suscepit. Sic enim inter alia pronunciault coram Senatu Parisiensi in peruigilio Natiuitatis Christi anno 1603. Neque verò (illi) aliquid docent, quo Ecclesiastici mihi non tribuant quod est tribuendum: Nec vnquam inuentus est qui ab iis necem Regum didicerit. Quare, totum hoc quod illis obijcitur, nihil est. Ita hæc, aliaque manifestè confirmat *Antonius Possevinus in Apparatu sacro tomo* 3.

Tertiò, vt horum singula in particulari reddantur omnibus manifesta prorsus, & irrefragabilia, Ipsius Societatis Anglicanæ Declarationem de singulis disertè ad verbum expressam, hic ex ipsis actis fideliter subiicio.

## *Declaratio Patrum Societ. IESV Prouinciæ Anglicanæ facta in Congreg. Prouinciali habita Gandaui ad 1. Iulij Anno 1681.*

CVm non solum detestandam nobis coniurationem malitiosè affinxerint in Anglia Hæretici, verum etiam varias à Christiana, & vera Theologia perquam alienas, summique

que execrabiles opiniones atque ſententias, videlicet

I. Licitum eſſe per æquinoctionem ſuſceptam in vitam Regis coniurationem tegere, etiam cum legitimè quis à Iudice interrogatur.

II. Poſſe quempiam qui criminis commiſſi abſolutionem Sacramentalem acceperit, illud in articulo mortis legitimè interrogatum, etiam cum iuramento, negare, quamuis ipſe ſponte de illo ſermonem inſtituat.

III. Licere ſubditis interficere Regem Proteſtantem, vt eo amoto introducatur fides Catholica: & ſi Regicida eo titulo morti adiudicetur; eum Martyrij laurea coronandum.

IV. Regem à Papa excommunicatum à Subditis ſuis deponi, & occidi poſſe.

V. Papam ſua diſpenſatione licitum poſſe facere in vllo caſu mentiri, aliaue contra legem Dei mala perpetrare, vt inde boni aliquid eueniat

VI. Licere vxori maritum concubinarium è medio tollere.

Patres Profeſſi Prouinciæ Anglicanæ iuxta triennalem morem congregati declarant, ſe neque didiciſſe, neque docuiſſe, neque audiuiſſe ab vllo è Patribus noſtris edoctas vnquam fuiſſe prædictas propoſitiones: imò ſingulos, eas omninò deteſtari. Actum Gandaui in domo tertiæ probationis Anglorum Societat. Ieſu 4. Iulij 1681.

De *iuramento Fidelitatis* ibidem ſic decernitur. Vt vniformiter (quod in Congregatione rogatum fuit) inter Noſtros in modo agendi circa iuramentum Fidelitatis, vti vulgò nominari ſolet, procedatur.

I. Profiteamur omnes tantam à nobis ſinguli ſerga Regem noſtrum cum res tulerit, ſincerè iurandam, & exhibendam obedientiam, atque fidelitatem, quanta ab vllis vbiuis Catholicis ſubditis quibuſcunque Principibus exhiberi ſolet.

II. Iuramentum Fidelitatis, vti iam eſt, variis heterodoxis inſperſum clauſulis, ſuſcipi non poſſe, præſertim cum id ſummorum Pontificum Breuibus ſit damnatum &c.

Actum in Congregatione Prouinciali Patrum Anglorum Societatis IESV celebrata Gandaui in Domo tertiæ probationis eiuſdem Societatis die 5. Iulij 1681. Nonne hæc perfecta fidelitas eſt ex ipſa Chriſti ſententia, Reddere quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo?

Experimenta certè huius Fidelitatis habuit Rex Carolus Primus, & Secundus, dum à ſuis ſubditis Heterodoxis & ſecurim ille, & hic exilia paſſus, Patres, & Catholicos Angliæ & Hiberniæ habnerunt ſibi fideliſſimè & conſtantiſſimè adhærentes, etiam cum fortunarum, terrarum, & bonorum penè omnium iactura. Hæc nemo ignorat qui in præteritorum temporum rebus recenter geſtis aliquid habet memoriæ.

Quis non meminit, dum Rex exul in Gallia verſaretur, quot legationibus ex parte Catholicorum in Hibernia ſolicitatus ſuerit vt eò ſecurus aduenirct, ab omnibus Regni Catholicis recipiendus, & ad extremum vſque ſpiritum defendendus. Ac poſtea ipſo in ſuum locum Proregem tranſmittente, quomodo contra Regis hoſtes heterodoxos pro ipſius iure ac corona vſque ad extremum Patriæ exitium fideliſſimè decertauerint.

Recenti & ipſe memoria retineo, dum idem Rex Carolus II. in Belgium profugus cum Fratribus aduenirct, quanta fidelitate præ aliis, Catholici Proceres plurimi tam Angli, quàm Hibernipſi adhæſerint; ac eorum Legiones integræ ſe Regis ac Ducis Eboracenſis obſequio mancipauerint Hæc ſanè, & alia quæ prætereo, potentiſſima ſunt Catholicorum erga ſuum Regem fidelitatis exempla, quæ ſi memoria recolantur, facilè poterunt obſtruere ora loquentium iniqua, & ab æquo, nouoque Rege præmia potius, quàm calumniarum fidem promereri.

## ARTICVLVS V.

### *Nouarum Sectarum dogmata Particularia proponuntur.*

#### *Hæreſes Caluini cum Lutheri communes.*

CAluinus, qui fuit tempore poſterior Luthero qui emerſit ann. 1517. omnes ferè Lutheri errores complexus eſt, & inſuper nouos addidit, quos ſuperius variis locis ſingillatim refutauimus. Quoniam verò ex illis profluxerunt plurima dogmata recentiorum Sectarum, illos etiam hic ſub vnum aſpectum ſummatim proferemus.

Docuerunt illi, Scripturam eſſe per ſe claram, & ſolam Regulam Fidei.

Traditiones non eſſe admittendas.

Eccleſiam Romanam ſucceſſu temporis à vera Fide defeciſſe.

Pontificem Romanum non eſſe Caput Eccleſiæ, nec iudicem controuerſiarum fidei.

Sanctos non eſſe inuocandos, nec honorandas eorum imagines, aut reliquias.

Sa-

Sacramentum Confirmationis, extremæ Vnctionis, & quædam alia non esse admittenda.

Sacrificium Missæ abrogandum : Communionem dandam sub vtraque specie.

Purgatorium non admittendum, nec indulgentias, nec preces pro defunctis prodesse.

Celibatum non requiri in Ministris Ecclesiæ.

Liberum hominis arbitrium ad opera bona, & mala per primum peccatum periisse.

Ex sola Fide hominem iustificari, non ex Merito bonorum operum.

Ieiunium, abstinentiam, & alia præcepta Ecclesiæ explodenda esse. In his plura particularia dogmata continentur, & alia singularia Lutheri accuratè exprimuntur in Bulla Leonis X in fine huius Tractatus.

*Dogmata Caluini propria his addita.*

DEum secundum essentialem perfectionem non esse infinitum. Nec vbique præsentem in hoc mundo, se vbique in cœlo.

Decreta Dei non esse ab æterno. Dei æternitatem non esse indiuisibilem, sed diuisibilem & successiuam.

Christum non esse mortuum pro omnibus, sed pro solis prædestinatis.

Illum in cruce desperasse, nec verè ac propriè descendisse ad inferos.

Per suam mortem ac passionem nihil sibi meruisse.

Christum ab initio multa ignorasse, quæ postea didicit. Sed in hunc errorem lapsus est etiam Lutherus.

Imaginem Christi honorandam non esse.

Prædestinatos esse ab æterno quosdam homines ad gloriam, & quosdam ad damnationem, sine vllo ipsorum merito, aut horum culpa, sed ex Dei beneplacito.

Hoc decretum prædestinationis tam fixum esse vt tollat omnem arbitrii libertatem in negotio prædestinationis.

Gratiam per Christum dari solis prædestinatis. Et his non dari gratiam habitualem siue sanctificantem, sed tantum actualem. Et hanc non sufficere ad seruandum totam legem Decalogi : ac per eam tolli vsum liberi arbitrij.

Deum esse auctorem peccati ; & homines ad peccata impellere.

De Baptismo infantium docet, Omnes filios fidelium nasci sanctos, & vt saluentur Baptismo non indigere. Infidelium verò filiis Baptismum non prodesse : filios denique illegitimos ad Baptismum non admittendos.

De Sacramento Eucharistiæ, Caluinus cum suis, negat Corpus & Sanguinem Christi verè & realiter esse præsentem in Eucharistia, sed tantum figuratiuè : quod est omninò contra Lutherum & Lutheranos, quorum dogmata propria, vt dixi, reperiuntur in huius Tractatus fine expressa prout ab initio damnata fuerunt.

*Hæresis Anglicana Protestantium, Puritanorum, Independentium.*

*Protestantes* in Anglia Religionem sibi fabricarunt à cæteris protestantibus Germaniæ in multis diuersam, vti supra cap. 2. ostendi eos nec quidem in articulis fundamentalibus per omnia conuenire. Est autem Secta protestantium conflata ex variis dogmatibus partim Lutheri, partim Caluini, quibus & alia sunt adiuncta dogmata, ritusque ab vtroque diuersi. Nam primò, protestantes Regem statuunt esse Caput supremum Ecclesiæ Anglicanæ. 2. Admittunt Ecclesiam debere constari ex Archiepiscopis, Episcopis, Decanis, aliisque gradibus Ecclesiasticæ Hierarchiæ. 3. Varios recipiunt Catholicorum antiquos ritus, altaria, cereos, superpelicia ; non tamen realem Christi præsentiam in cœna Eucharistica. Estque hæc in Anglia Religio Regis, & Aulæ, cui per varias Leges conantur reliquas Sectas conformare.

*Puritani* è contra sunt rigidi Caluinistæ, nec nisi purum Dei verbum iuxta Caluini placita se admittere profitentur. Hi in negando Regis primatu : in excludendis gradibus Hierarchiæ Ecclesiasticæ : in eliminandis omnibus Ecclesiæ Romanæ ritibus, Protestantibus è diametro opponuntur. Qui & alio nomine *Presbyteriani* nuncupantur : eo quod velint Ecclesiam suam, exclusis Episcopis, ac Ministris, à solis Senioribus laicis administrari.

*Independentes*, qui maximè *Cromuelli* tempore emerserunt, in hoc Puritanis ac Protestantibus aduersantur, quod neque Reges, neque Episcopos, neque Seniores ad Ecclesiæ Regimen admittant, sed velint quemlibet sibi Ministrum esse : ac quemuis sine vlla personæ ac sexus distinctione esse legitimum verbi Dei præconem, idque quouis loco, ac tempore, dum sentit se à Spiritu Sancto ad prædicandum Dei verbum impelli. Ac proinde templa, altaria, pulpita, rem frustraneam, & è medio tollendam existimant. Pro sua verò

Sectæ

Sectæ defenſione contra reliquos Sectarios hoc argumentum validè intorquent : Vobis omnibus licuit Eccleſiæ Romanæ antiquos ritus ac Cæremonias omnes euerrere ac reformare, quibus centenis annis ante vos vſa fuerat. Ergo nobis multò magis licebit veſtros Ritus, Eccleſiaſtica, ac Cæremonias abolere, quæ tantum de nouo emerſerunt, neque parem cum Eccleſia Romana authoritatem, aut antiquitatem obtinuerunt : Videant quæſo Proteſtantes, & Puritani, niſi à ſuo errore recedant, quo pacto ab hoc Independentium argumento ſeſe expediant.

## *Annotatio particularis ad Sectam Anglicanam, aliaſque modernas.*

VOx vna, & doctrina communis Sectariorum huius temporis hæc eſt : Eccleſiam Romanam à vera fide defeciſſe, & in grauiſſimos errores prolapſam per mille ducentos annos. Et hanc eſſe cauſam cur Clerus, & populus *Angliæ*, *Hollandiæ*, & *Germaniæ*, ex parte non modica, Eccleſiam Romanam deſeruerit, & oppugnare cœperit : Atqui non hanc, ſed longè aliam ab ea deficiendi Cauſam fuiſſe, ipſa defectionis primordia luce meridiana clariùs demonſtrant.

Primò, in Clero, & populo *Angliæ*, Integris illis mille, & ducentis annis viguit, floruit, triumphauit Religio Romana, cum ſumma Cleri, Populi, Principum veneratione. Nullus horum eam incuſauit, nullus redarguit, nullus totis viribus non defendit. Innadit ſubitò Henricum octauum Angliæ Regem libido iniqua repudiandi coniugem legitimam, & ducendi Bolenam pellicem. Obſtat vehementer Pontifex Romanus Regiæ libidini, & anathematis pœnas intentat. Has vt Rex fugiat, & Bolenam retineat, Pontificis iugum excutit, Eccleſiæ Romanæ hoſtes aduocat, optima illius ſpolia iuis aſſeclis in prædam exponit. Res mira! per tot ſæcula toto Regno Fides Romana vt ſancta, & ſalutifera, & ſine ruga colitur, & defenditur : nullus eam tot Prælatorum erroris in fide accuſauit, nullus lapſam, & proſtratam aduertit. Et ecce ſubitò, vt primum, ob Bolenam, Romanæ Eccleſiæ Rex aduerſatur, & eius prædia in præmium proponit, mox toto Regno proclamatur illa à fide pridem deuia, erroribus deformata, vitijs proſtrata, noua Babylon : hæc ſcilicet omnia tot ſæculis Clerum, populumque vniuerſum latuerunt, donec Regis offenſi exemplum, gratia ac præmia, populo vniuerſo ad detegendos Eccleſiæ errores ſubitò oculos aperuerunt. Ex quibus cuilibet euidentiſſimum eſt, non Eccleſiæ Romanæ errores, ſed Regis libidinem defectionis cauſam Angliæ præbuiſſe.

Ad *Belgium* ſi pergamus, ſimili prorſus modo, & cauſa hæreſis *Batauica* exordium ſumpſit, niſi quod in Anglia, Regis in Pontificem, in Belgio, Principis in Hiſpanos offenſio, deſectionis, & hæreſis cauſam miniſtrauit. Notior hæc res eſt in recenti hominum memoria, & hiſtorijs, quam vt hic exponi debeat.

In *Germania*, primam hæreſis Lutheranæ cauſam, & originem fuiſſe grauem Lutheri iram, & offenſionem in Pontificem Romanum, quod in prædicatione ſolemni Indulgentiarum Apoſtolicarum, æmulis aſſumpta, ipſe neglectus, & excluſus fuerit. Placuerunt ipſi Indulgentiæ, quas prædicare ambiebat, placuit fides Eccleſiæ Romanæ, quam ſemper hactenus tenuit, & publice prædicauit : diſplicuit ſuæ Perſonæ contemptus, qui illum in furias egit. Illum vt vindicaret, tum demùm omnia in Pontificem, & Eccleſiam probra excogitanda, & euomenda fuerunt.

Hæc quiſquis ſingula maturè expenderit priorum Defectionum modernus Sectator, fieri non poteſt quin euidenter perſpiciat, cauſam ſuæ ſeparationis ab Eccleſia Romana, non eſſe huius errores, ſed priorum, quos oſtendi, Libidinem, iram, aut ambitionem.

Hæc, moderne Sectator, ſunt quæ re cum illis ab Eccleſia ſeparârunt, hæc ſunt propter quæ illi errores tot ſæculis ignotos pro ſeparationis ſuæ larua, Eccleſiæ affinxerunt. Huius euidentiæ ſeria conſideratio plures ſalutis ſuæ ſtudioſos adegit, vt ad Eccleſiæ gremium maturè redirent, quod, & tu, niſi perire malis, facias neceſſe eſt.

## *Secta noua, Tremblantium dicta.*

NOn ita pridem anno Chriſti 1655. originem ſumpſit in Anglia, noua Secta, Tremblantes dicti, qui cæperunt Londini, quaſi æſtro quodam perciti, in compitis, ac triuijs comparere ſolo induſio tecti, cætera nudi. Hi miras viſiones, ſuaque ſomnia tanquam reuelationes diuinas populo referebant, ac velut concionabundi, & diuino Spiritu agitati monebant oportere *in timore, & tremore ſalutem operari*, atque hinc illud Trembiantium nomen accepere. Horum aliqui comprehenſi ſunt, & flagellis cæſi, quorum præcipuus erat Iacobus Noilor, qui deſerta mi-

militia, in qua ſub Fairfaxio agebat caſtrorum metatorem, his Fanaticis ſe ducem præbuit. Et quamuis publicè ſtigmate inuſtus, lingua etiam candenti ferro perforata, & ergaſtulo demum incluſus fuerit; nihil tamen de ſua inſania remiſit. Pergitque etiamnum hæc maleſana rabies per varias Angliæ prouincias multorum animos occupare.

Docet hæc Secta primò, Scripturas tam veteris, quam noui Teſtamenti nequaquam eſſe Dei verbum.

Secundò, In Scripturis non contineri veram lucem, quæ homines ad ſalutem adducere debeat.

Tertiò, Omnes omnino homines hac vera ac ſalutari luce inſtructos eſſe, ſic vt neceſſarium non ſit ad eam docendam Miniſtros aut præcones vllos deſignari.

Quartò, Homines non iuſtificari per fidem in Chriſtum, ſed per opera.

Quintò, Pro hominum corporibus poſt mortem, neque conſtitutum eſſe cœlum, neque infernum, in quo vitam agant immortalem.

Denique corpora noſtra, poſtquam mortua & ſepulta fuerint, nunquam amplius ad vitam reditura. En qualia hæc ætas etiamnum monſtra parturiat: quæ facilè reſciuntur ex ijs quæ de Spiritu priuato, alijſque fidei articulis ſupra tradidimus tract. 1. capitul. 6. &c.

## *Secta Anabaptiſtarum, & Menniſtarum.*

1. MEnno in Friſia non contentus amplecti dogmata Anabaptiſtis propria, ſe nouæ Sectæ ducem conſtituit, habetque per Hollandiam, Friſiamque aſſeclas complures, qui à Menno paſſim Menniſtæ nuncupantur.

Itaque præter errores illis cum Anabaptiſtis communes, de pueris non Baptizandis; de peccato originali non admittendo; de repudiando inter Chriſtianos Magiſtratu politico; de Iuramento, ac de Bello inter Chriſtianos ſemper illicito; de animabus iuſtorum in cœlum non recipiendis ante extremum iudicium.

Menniſtæ inſuper male ſentiunt de myſterio SS. Trinitatis, & diſtinctione trium Perſonarum, quibus dicunt in verbo Dei nullum fundamentum aſſignari, cum nomen Trinitatis, aut Perſonæ diuinæ nullibi in Scripturis reperiatur, ideoque videntur ad Arianiſmum declinare. Sed hi breuiter interrogandi, An credant Scripturam Flandricam, eſſe purum verbum Dei? Credunt mordicus. Et tamen nomen Scripturæ Flandricæ nuſpiam in verbo Dei ſcripto reperitur: neque dicitur hæc cum hebræo originali per omnia conuenire.

Myſterium autem Trinitatis, & tres Perſonæ, etſi non iſtis terminis, ſatis tamen re ipſa exprimuntur in Scripturis, vt in epiſt. 1. Ioan. c. 5. v. 7. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt, & ſæpius alibi.*

II. Docent Menniſtæ Chriſtum de corpore Virginis Mariæ nihil accepiſſe, ſed tantum per illius Corpus tranſijſſe, ſicut lux vitrum pertranſit: ideoque dici Ioannis primo, *Erat lux vera*; vnde conſequens eſſet, Chriſtum non fuiſſe verum hominem.

Sed contra hunc errorem clara eſt Scriptura ad Galat. 4. verſ. 4. *Miſit Deus filium ſuum, factum ex muliere.* Et ad Romanos 1. verſ. 3. de Chriſto pronunciat Apoſtolus. *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem.* Non dicitur Iux facta ex vitro: neque Ionas factus ex ventre ceti dum Corpus illud nihil aſſumendo tranſierat.

III. Docent orandum non eſſe publicè, neque voce altiori: adeò vt dum menſæ orationem præmittunt moris ſit vultum pileo, alioue modo obtegere. Quia ſcriptum eſt Matth. 6. verſ. 6. *Tu autem cum oraueris intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum in abſcondito.*

At cur non dicunt, illis etiam interdictum eſſe in templo, aut menſa, aut alibi, quam in cubiculo orare? Hi ſanè noui Doctores non dubitarent S. Stephanum; & cum eo morem primæuæ Eccleſiæ è ſuo cœtu eliminare, qui *Actor. 7. verſ. 59.* non in cubiculo, non in abſcondito, ſed in publico ſupplicij loco oraſſe memoratur: Poſitis autem genibus clamauit voce magna dicens; Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum.

IV. Arbitrantur homini verè Chriſtiano piaculum eſſe crines longiores alere, aut collaria, aliumue veſtis ornatum admittere: ipſi proinde in externa ſpecie, veſtitu, & verbis ſingularem modeſtiam ſectantur. Et quod ad crines quidem prolixiores, doctrinam ſuam probant ex Apoſtolo 1. ad Corinth 9. verſ. 14. *Vir quidem ſi comam nutriat, ignominia eſt illi.*

At videant ne Chriſtum, & Apoſtolos, ac plures Sanctos hoc piaculo inuoluant, ac reformatos velint. An non 1. *Reg.* 1. *a.* 11. Samuei, cæteriſque Nazareni comam alere iubentur? an

an hunc morem sequi non debuit ipse Christus, qui Matthæi, *cap.* 2. *vers.* 23. Nazaræus appellatur. Quoad vestitus ornatum, laudatur quidem S. Ioannes Baptista *Matth.* 11. quod spreta vestitus elegantia cultum asperum & pilosum assumpserit, laudantur plures alij in Catholicorum cœnobijs qui Baptistæ exemplum secuti, rudi lacerna, & cilicio corpus domant. At nulli hactenus in cœtu Mennistarum hanc laudem adscribi cognouimus. Satis notum est quam exquisitis artibus cutem suam curare consueuerint. Sed hæ sunt Nouatorum artes non nouæ, vt colliges ex ijs quæ tradidimus supra tractatu secundo post capitul. 10. de genio fallaci Nouatorum cauendo.

## *Hæresis Gommari, & Arminij.*

ANno 1605. Leidæ in Batauia exarsit grauis controuersia inter Franciscum Gommarum, & Iacobum Arminium Professores Leidenses, quæ tandem in apertum Schisma erupit, & reliqua Reipublicæ membra in oppositas partes distraxit. Tuebatur autem Gommarus rigidam Caluini hæresim, docens, Deum esse authorem peccati, ac decreto immutabili prædestinasse ab æterno paucos homines ad gloriam antecedenter, & independenter ab eorum meritis, cæteros verò ad gehennam reprobasse independenter ab eorum demeritis, & ante præuisionem peccati etiam originalis; eosque vtero in peccata impellere, vt suam in illis iustitiam exerceret. Contendebat ex aduerso saniori doctrina Arminius, Deum non ita procedere, sed decretum prædestinationis, ac reprobationis ordine rationis posterius esse præscientia futuræ perseuerantiæ, aut non perseuerantiæ in fide Christi. Dum hæc discordia stylum, & arma per Hollandiam passim commoueret, conuocata est à Statibus Synodus Dordracena anno 1619. multis Ministrorum ex Germania, & Anglia confluentibus, vt sua authoritate per sententiam definitiuam hanc litem dirimerent. Ac tandem, Gommaro ope Magistratus suffulto contra Arminium, lis ei magia adiudicata, quam extincta fuit, ac Barneueldius authoritate, meritis, ac ætate grauis, tanquam Arminij fautor, septuagenario maior capite supplicium luit: atque ita Conuentus ille insignis plus sanguinis quam erroris exhausit.

Sed in hoc infelix Arminij Schola, quod cum Caluino docent, infantes natos ex parentibus fidelibus sine respectu ad Baptismum saluari, nempe vt filios Abrahæ, & in illius fœdere comprehensos.

## *Secta, & Errores præcipui Turcarum siue Mahometarum.*

AVthor huius impiæ Sectæ fuit Mahomet circa annum Domini 616. qui natus est in Arabia Felice, ex pane Ismaelita, Saraceni enim ab Ismaele filio Abrahæ ex ancilla originem traxerunt. Cum esset humili loco natus, nobilis matronæ Camelos pascebat, cumque esset vaferrimo ingenio, tantum suis artibus effecit, vt Dominam suam in vxorem acceperit. Ac tandem post multa cum Iudæis, ac Christianis commercia, per varias fraudes, & impostruras, Prophetæ nomen obtinuit; adeò vt dum comitiali morbo cui obnoxius erat aliquando laboraret, vxori, aliisque persuaseris, se ex conspectu Angeli Gabrielis sibi apparentis in animi deliquium concidere. His in vulgus sparsis, dumà plurimus vt verus Propheta coleretur, volumen aliquod variis figmentis refertum conscripsit, dictum Alcoranum, quod sibi è cœlo transmissum esse fingebat. Vt autem omne genus hominum ad suam Sectam colligeret, doctrinæ suæ articulos ex omnium pene gentium Religione conflauit, suaque ipsis figmenta adiecit.

Docuit itaque cum Christianis, & adhuc credunt Turcæ dari vnum Deum Creatorem Cœli, & terræ. Negant tamen Trinitatem personarum cum hæreticis Sabellianis, adeoque Verbum Dei esse Deum negant cum Macedonianis.

Cum Iudæis vtuntur Circumcisione, & abstinentia à carne suilla: ideoque ab initio Iudæi Mahometi tanquam Messiæ adhærebant. Sed cum aduerterent illum loco Sabbathi diem Veneris celebrare, & à vino abstinere, & circumcisionem non octauo die, sed circa 15. ætatis annum adhibere, ab illo in plurimis defecerunt.

Cum Christianis habent Turcæ aliquod genus Baptismi, qui in nuda Cæremonia consistit, qua ferè quotidie certas lotiones, & Baptismata vsurpant.

Credunt etiam Christum esse Filium Dei, eumque ex Maria Virgine sine virili semine generatum: agnoscunt quoque magnum esse Dei Prophetam, sed negant esse Deum.

Ex Alcorano plura habent propria Mahometo

metò figmenta. 2. Credunt dari Fatum, quo singuli homines ad bonum, vel malum destinati sunt.

2. Quod Mahometi, tanquam fideli veritatis cultori, in die iudicij tradendæ sint claues Paradisi.

3. In futura carnis Resurrectione Sectatores Mahometi introducendos in beatissimum Paradisum, vbi omnes ab cibum & potum deliciæ abundarent, ac mulierum pulcherrimarum ad vsum libidinis copia suppeteret. Hoc scilicet Cœlum est Mahometanum. Hanc tamen doctrinam ipse Mahomet damnare conuincitur, dum Christum summum castitatis amatorem & præconem, magnum fuisse Dei Prophetam, & ex Virgine natum agnoscit.

In hac etiam vita indulget Mahomet suis Turcis pluralitatem vxorum, & vt vnam pro alia mutare liceat, pluresque ipse vxores habuit.

Credunt Mahometani omnes homines in suis Sectis aut legibus saluari posse, sine sint Iudæi, aut Christiani, aut Saraceni &c. Denique vt asseclas suos in perpetua cæcitate retineret, prohibuit Mahomet sub pœna capitis, ne de Alcorano, vel lege à se data disputarent; quod diceret nefas esse Mysteria disputando tractari.

Hæc figmenta vt hominibus magis persuaderet, videri voluit varia miracula patrasse, & diserte in Alcorano *Azoara* 64. dicit se in Luna miraculum fecisse; quod eius asseclæ dicunt contigisse, quando Lunam in duas partes diuisam ipse in manus acceptam reparauit, & in cœlum remisit, sed istius prodigij neminem præter Mahometem conscium fuisse.

Moriturus anno Domini 630. in vrbe Mecha prædixit se ab Angelo Gabriele tertia die resuscitandum, sed cum Gabriele non comparente Corpus putresceret, ad regendam ignominiam Haumarus Mahometis successor sepulchrum illi magnificum erexit, ad quod Mahometani saltem semel in vita ex longinquis etiam regionibus peregrinari solent.

Postremò aduerte, ex amplitudine huius Sectæ, & multitudine hominum qui eam sequuntur, nullum posse formari argumentum pro illius veritate, vti formari solet ex amplitudine Catholicæ Religionis. Quia illa tam late propagata est sola coactione armorum, & amore libertatis ad omnem carnis voluptatem & libidinem, quam omnibus impunè concedit. Neminem verò potest ad se trahere puritate doctrinæ, aut diuinorum miraculorum testimonio, cum potius dogmata habeat diuinis Scripturis, & honestati naturali aperte contraria. Quod seduò notandum contra modernos Sectarios, qui argumentum pro Religione Romana ab eius amplitudine desumptum, ex ista Turcarum multitudine infringere conantur.

## *Græcorum Schisma, & Errores.*

Ecclesia Orientalis, siue Græcorum, coniuncta semper fuit Ecclesiæ Romanæ, donec circa annum 869. impius Photius Schismati initium dedit, qui post S. Ignatium, ex Sede Constantinopolitana ab Imperatore depulsum, in eam intrusus fuerat, & contra Canones ordinatus. Cum verò à Pontifice Romano confirmationem obtinere non posset, ab illius obedientia se subduxit.

Idem schisma, ob similem causam, redintegrauit Michael Constantinopolitanus circa annum 1058. qui contra Canones ad eandem Sedem euectus, dum à S. Leone Papa reprobaretur, cæpit eos damnare & persequi qui Latinos ritus Constantinopoli, & in Græcia obseruabant; Baptizatos à Latinis rebaptizare, & in quibusdam articulis Ecclesiæ Romanæ hæreseos labem aspergere. Donec post multas lites Græci suos errores in Concilio Florentino abiurarunt: sed non multo post, iterum græca leuitate ad vomitum redierunt. Ac tandem, Deo superbam impietatem vindicante, infelix Græcia, quæ noluit Christi in terris Vicario subesse, crudelissimum Turcarum iugum subire coacta est.

Præter impium Schisma, quo se ab Ecclesia Romana Græci separarunt, in variis quoque hæreses prolapsi sunt, quas etiamnum tuentur.

Primò, negant Spiritum Sanctum à Patre Filioque procedere, volunt enim à solo Patre spirari, siue suam processionem ab æterno habere: ideoque grauiter damnant Ecclesiam Latinam quod in symbolo expressè apponat nomen Filij, dicatque, *qui ex Patre, Filioque procedit*, contra quam habeatur explicitè in symbolo Nicæno.

Prætextum huic errori quærunt ex verbis Christi Ioannis 15 v. 26. *Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritum veritatis, qui à Patre procedit*. Ergo (inquiunt) non procedit à Filio, cum solius Patris mentio habeatur.

Sed inepta est consequentia quæ desumitur ab auctoritate negatiua, hoc modo, Christus illo loco non dixit Spiritum Sanctum à Filio pro-

procedare, ergo id negault. Sic enim dum de Verbo diuino dicitur Ioannis 1. *Omnia per ipsum facta sunt*, sequeretur, hunc mundum esse à solo Verbo siue Filio, non autem simul à Patre & Spiritu Sancto creatum, cum illo loco de solo Verbo diuino mentio habeatur. Cæterum ex alijs Scripturæ locis satis diserte colligitur, Spiritum Sanctum etiam à Filio procedere, vt *Ioannis* 16. *vers.* 13. vbi Christus de Paraclito loquens dicit: *De meo accipiet & annunciabit vobis, omnia quæcunque habet Pater mea sunt, propterea dixi, quia de meo accipiet.* Atqui Paraclitus tanquam creatura nihil à Christo accipere potuit, ergo ibi Christus siue Filius dicitur Paraclito originaliter communicare aliquod esse increatum tanquam personæ diuinæ.

Quod porrò opponunt Græci, Si Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedat, necesse erit ineptè statui duo illius Principia, siue duas causas, quasi Pater ad Paracliti spirationem per se non esset sufficiens.

Respondetur, inanes esse argutias: Etsi enim asserant Latini Patrem, & Filium duas esse personas, negant tamen duo esse distincta Principia, aut duas causas, sed docent vtrumque simul vnicum esse principium, & vnicam causam. Sicut & ipsi Græci admittere debent non solum Patrem, sed tres personas necessario simul causare omnes creaturas, non tamen ideo sunt tres causæ, sed vnica causa habens eandem essentiam, & eandam voluntatem productiuam omnium creaturarum, neque hinc vereutur Græci; ne aliquid Patris potentiæ aut sufficientiæ detrahatur?

Altera Græcorum hæresis est, quod contendant *Eucharistiam* conficiendam esse in pane fermentato, & Christum in vltima cœna ita confeciſſe, ideoque docent apud Latinos qui celebrant in Azymo Sacramentum esse inualidum.

At contra, Ecclesia Latina docet celebrandum esse in Azymo, quamuis nolit Sacramentum esse inualidum si conficiatur in fermentato, cum panis siue azymus, siue fermentatus in eadem specie conueniat.

Probatur autem contra Græcos Christum celebrasse in pane azymo ex Matthæi capit. 26. vers. 17. *Prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad Iesum dicentes, vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* Cum ergo in diebus azymorum apud Iudæos graue flagitium fuerit vti fermentato, manifestum est Christum more cæterorum voluisse in azymo celebrare, qui non venit legem soluere, sed adimplere. Præter hos, Ecclesia Græca postquam à Romana defecit, in alios errores paulatim prolapsa est.

Hic verò ad institutum nostrum præcipuè obseruandum est, Lutheri ac Caluini assaclas iusigni nequit ia hominibus illudere, dum audent iactare suam Religionem omni tempore ab Ecclesia Græca, quæ amplissima est, aguitam & approbatam fuisse; Nam ex ijs quæ supra dicta sunt patet imprimis, Græcos vsque ad annum circiter 869. cum Ecclesia Romana semper coniunctos fuisse, quo tempore nihil de Religione Lutherana aut Caluiniana somniare potuerunt Secundò, satis constat etiam hoc æuo, & ab ortu Lutheri & Caluini, nunquam hos a Græcis pro Fratribus agnitos fuisse, imo in suis Scriptis horum errores acriter oppugnasse. Tertiò, Ecclesia Græca quamuis schismatica, in pluribus tamen articulis contra moderuos hæreticos cum Romana consentit. Admittunt enim etiamnum Græci septem Sacramenta: Missæ Sacrificium retinent. In Sacramento Eucharistiæ verum realemque Christi præsentiam, siue substantia panis, omnino agnoscunt: Confessionem Sacramentalem in vsu habent: Pro defunctis orant: Ieiunium quadragesimale accuratè obseruant. Quænam igitur potest esse nostris Sectarijs, qui hæc omnia condemnant, cum Græcis concordia? Misera certè eorum conditio, Matrem suam Ecclesiam Romanam deseruerunt, nec vllibi tarrarum Fratres inueniunt.

## *Ex dictis proponitur Idea miseranda Moderni Sectarij.*

I. IMaginatur illa, sa asse in noua quadam Christi Ecclesia, da qua ignorar, inter tot Sectas, vbi hoc tempore subsistat, aut vbi dalituerit per mille quingentos anuos à tempore Apostolorum vsque ad Lutherum, aut Caluinum.

II. Hanc tamen Ecclesiam Imaginarlam vult omnibus adeò notam esse, vt quisque debeat relicta Ecclesia Romana, & quauis Secta, ad eam solam conuolare, sicut columba ad Arcam Noe.

III. Per hanc solam, recautar axortam, nullo adhuc signo aut miraculo à Deo comprobatam, credit reformandam fidem Ecclasiæ Romanæ, hactenus tot signis, miraculis, testimonijs toto orbe passim receptam.

IV. Credit suum Cœtum ætate, numaro, authoritate exilem, & vix in reliquo orbe conspicuum, solum tamen præ omnibus sape-

re, & maiores ſnos docere, & totam antiquitatis ſapientiam, authoritatem, experientiam illi cedere debere.

V. Profitetur ſe eſſe vnum ex illis, qui ſe ab Antiqua Eccleſia ſegregarunt, neque tamen adhuc inter ſe conuenerunt de Noua Eccleſia, quæ ſit vna, & communis omnibus ab antiqua Eccleſia ſegregatis.

VI Agnoſcit ſe numerari inter illos homines, qui poſt Lutherum, & Caluinum iam per centum annos ſe in varias Sectas formant, & reformant: neque tamen vllum habet ille certius ſignum aut argumentum pro ſua Secta, quam pro alijs, quas ipſe damnat, & oppugnat.

VII. Fatetur ſe pro norma fidei, & pignore ſalutis amplecti præ omnibus Confeſſionem paucorum Proteſtantium, quam conſtat à reliquis Chriſtianis reprobari, neque hactenus ab vllo Concilio generali, aut ſpeciali Dei teſtimonio, aut vllius miraculi iudicio confirmatam eſſe.

VIII. Confidit ſalutem ſuam nouo, & exiguo hominum Cœtui, qui pro Regula ſuæ fidei, & intelligentia Scripturarum tantum habent priuatum Spiritum, ſiue potius proprij Capitis ſenſum, per quem aduertit illos hactenus in varias Sectas diſcindi, neque de vna fide, neque de neceſſarijs ad ſalutem fidei fundamentis inter ſe conuenire, vt ſupra oſtendi.

Quo pacto poterit homo ille coram Dei tribunali ſuo errori excuſationem prætendere? Habet ante oculos ab ipſis Apoſtolorum temporibus Eccleſiam antiquam, vnam, omni æuo miraculis à Deo, & communi conſenſu ab hominibus comprobatam; in qua modò ipſi Proteſtantes fatentur nihil deeſſe in Articulis fundamentalibus ad ſalutem neceſſarijs.

Interea ſciens ac volens ſalutem æternam credit Cœtui paucorum hominum, apud quos iam palam fecimus nihil minus quam veræ Eccleſiæ Idæam aut vmbram extare. Hoc certè aliud eſſe non poteſt quam clauſis oculis velle errare, ac ſponte perire.

*Poterunt hæc opportunè Perſonæ conuertendæ per amicas interrogationes proponi, vt ſtatum ſuum ſic clarius aduertat, & veræ Eccleſiæ ſe adiungat.*

# BVLLA DOGMATICA LEONIS X. PONTIFICIS,

*In qua diſtinctè exprimuntur, & damnantur Errores Martini Lutheri, & Sequacium, cum Cenſuris, & Pœnis annexis.*

*Quos errores, cenſuras, &c. peropportunum erit Lectori hic in promptu, & ſimul habere, & in proprijs terminis, quibus illi authenticè damnantur.*

*Ad perpetuam rei memoriam.*

EXurge Domine, & iudica cauſam tuam, memor eſto improperiorum tuorum, eorum quæ ab inſipientibus fiunt tota die: inclina autem tuam ad preces noſtras, quoniam ſurrexerunt vulpes quærentes demoliri vineam, cuius tu torcular calcaſti ſolus, & aſcenſurus ad Patrem, eius curam, regimen, & adminiſtrationem Petro tanquam Capiti, & tuo Vicario, eiuſque Succeſſoribus inſtar triumphantis Eccleſiæ commiſiſti. Exterminare nititur eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſcitur eam. *Refert fuſius Lutheri contumaciam.* Pro Paſtoralis igitur officij, diuina gratia nobis ininncti cura quam gerimus, prædictorum errorum virus peſtiferum vlterius tolerare ſeu diſſimulare ſine Chriſtianæ religionis nota, atque orthodoxæ fidei iniuria nullo modo poſſumus. Eorum autem errorum aliquos præſentibus duximus inſerendos, quorum tenor ſequitur, & eſt talis.

*I. Hæretica ſententia eſt; ſed vſitata, Sacramenta nouæ legis iuſtificantem gratiam illis dare, qui non ponunt obicem.*

*II. In puero poſt baptiſmum negare remanens peccatum, eſt Paulum, & Chriſtum ſimul conculcare.*

*III. Fomes peccati, etiam ſi nullum adſit actuale peccatum moratur exeuntem à corpore animam ab ingreſſu cœli.*

*IV. Imperfecta charitas morituri, fert ſecum neceſſario magnum timorem, qui ſe ſolo ſatis eſt facere pœnam Purgatorij, & impedit introitum regni.*

*V. Tres eſſe partes Pœnitentiæ, contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem,*

*non eſt fundamentum in ſacra ſcriptura, nec in antiquis ſanctis Chriſtianis doctoribus.*

*VI. Contritio quæ paratur per diſcuſſionem, collationem, & deteſtationem peccatorum, qua quis recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, ponderando peccatorum grauitatem, multitudinem, fœditatem, amiſſionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquiſitionem, hæc contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem.*

*VII. Veriſſimum eſt prouerbium, & omnium doctrina de contritionibus hucuſq; data præſtantius, de cætero non facere ſumma pœnitentia: optima pœnitentia, noua vita.*

*VIII. Nullo modo præſumas confiteri peccata venialia, ſed omnia mortalia, quia impoſſibile eſt, vt omnia mortalia cognoſcas. Vnde in primitiua Eccleſia ſolum manifeſta mortalia confitebantur.*

*IX. Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quam quod miſericordiæ DEI nihil volumus relinquere ignoſcendum.*

*X. Peccata non ſunt vlli remiſſa, niſi remittente Sacerdote, credat ſibi remitti: imo peccatum maneret, niſi remiſſum crederet; non enim ſufficit remiſſio peccati, & gratiæ donatio, ſed oportet etiam credere eſſe remiſſum.*

*XI. Nullo modo confidas abſolui propter tuam contritionem, ſed propter verbum CHRISTI, Quodcunque ſolueris, &c. Hic, inquam, confide ſi ſacerdotis obtinueris abſolutionem, & crede fortiter te abſolutum verè eris, quidquid ſit de contritione.*

*XII. Si per impoſſibile confeſſus non eſſet contritus, aut Sacerdos non ſerio, ſed ioco abſolueret ſi tamen credat ſe abſolutum, veriſſimè eſt abſolutus.*

*XIII. In Sacramento Pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, non plus facit Papa, aut Epiſcopus, quam infimus Sacerdos: imò vbi non eſt Sacerdos, æque tantum quilibet Chriſtianus, etiam ſi mulier, aut puer eſſet.*

*XIV. Nullus debet Sacerdoti reſpondere, ſe eſſe contritum, nec ſacerdos requirere.*

*XV. Magnus eſt error eorum qui ad Sacramenta Euchariſtiæ accedunt, huic innixi, quod ſint confeſſi, quod non ſint ſibi conſcij alicuius peccati mortalis, quod præmiſerint orationes ſuas, & præparatoria, omnes illi ad iudicium ſibi manducant, & bibunt: ſed ſi credant, & confidant ſe gratiam ibi conſecuturos, hæc ſola fides facit eos puros, & dignos.*

*XVI. Conſultum videtur, quod Eccleſia in communi Concilio ſtatueret laicos ſub vtraque ſpecie communicandos, nec Bohemi communicantes ſub vtraque ſpecie, ſunt hæretici, ſed ſchiſmatici.*

*XVII. Theſauri Eccleſiæ vnde Papa dat Indulgentias, non ſunt merita CHRISTI, & Sanctorum.*

*XVIII. Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, & remiſſiones bonorum operum: & ſunt de numero eorum quæ licent, & non de numero eorum quæ expediunt.*

*XIX. Indulgentiæ his qui veraciter eas conſequuntur, non valent ad remiſſionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud diuinam iuſtitiam.*

*XX. Seducuntur credentes indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus vtiles.*

*XXI. Indulgentiæ neceſſariæ ſunt ſolum publicis criminibus, & propriè conceduntur duris ſolummodo, & impatientibus.*

*XXII. Sex generibus hominum indulgentiæ, nec ſunt neceſſariæ, nec vtiles: videlicet mortuis ſeu morituris, infirmis, legitimè impeditis, his qui non commiſerunt crimina, his qui crimina commiſerunt, ſed non publica, his qui meliora operantur.*

*XXIII. Excommunicationes ſunt tantum externæ pœnæ, nec priuant hominem communibus ſpiritualibus Eccleſiæ orationibus.*

*XXIV. Docendi ſunt Chriſtiani, plus diligere excommunicationem, quam timere.*

*XXV. Romanus Pontifex Petri ſucceſſor, non eſt CHRISTI Vicarius ſuper omnes totius mundi Eccleſias ab ipſo CHRISTO in B Petro inſtitutus.*

*XXVI. Verbum CHRISTI ad Petrum. Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c. extenditur dumtaxat ad ligata ab ipſo Petro.*

*XXVII. Certum eſt in manu Eccleſiæ aut Papæ prorſus non eſſe ſtatuere articulos fidei; imò nec leges morum, ſeu bonorum operum.*

*XXVIII. Si Papa cum magna parte Eccleſiæ ſic, vel ſic ſentiret, nec etiam erraret: adhuc non eſt peccatum aut hæreſis contrarium*

*ſen-*

*ſentire, præſertim in re non neceſſaria ad ſalutem, donec fueris per Concilium vniuerſale alterum reprobatum, alterum approbatum.*

*XXIX. Via nobis facta eſt eneruandi auctoritatem Conciliorum, & liberè contradicendi eorum geſtis, & iudicandi eorum decreta, & confidenter confitendi, quidquid verum videtur, ſiue probatum fuerit, ſiue reprobatum à quocunque Concilio.*

*XXX. Aliqui articuli Ioannis Huſz condemnati in Concilio Conſtantienſ. ſunt Chriſtianiſſimi, veriſſimi, & Euangelici, quos nec vniuerſalis Eccleſ. poſſet damnare.*

*XXXI. In omni opere bono iuſtus peccat.*

*XXXII. Opus bonum optimè factum, eſt veniale peccatum.*

*XXXIII. Hæreticos comburi, eſt contra voluntatem ſpiritus.*

*XXXIV. Præliari aduerſus Turcas, eſt repugnare DEO viſitanti iniquitates noſtras per illos.*

*XXXV. Nemo eſt certus, ſe non ſemper peccare mortaliter, propter occultiſſimum ſuperbiæ vitium.*

*XXXVI. Liberum arbitrium poſt peccatum, eſt res de ſolo titulo, & dum facit quod in ſe eſt, peccat mortaliter.*

*XXXVII. Purgatorium non poteſt probari ex ſacra ſcriptura, quæ ſit in Canone.*

*XXXVIII. Animæ in Purgatorio non ſunt ſecuræ de earum ſalute, ſaltem omnes: nec probatum eſt vllis aut rationibus, aut ſcripturis, ipſis eſſe nec extra ſtatum merendi, aut augendæ charitatis.*

*XXXIX. Animæ in Purgatorio peccant ſine intermiſſione, quamdiu quærunt requiem, & horrent pœnas.*

*XL. Animæ ex Purgatorio liberatæ ſuffragijs viuentium minus beantur, quam ſi per ſe ſatisfeciſſent.*

*XLI. Prælati Eccleſiaſtici, & Principes ſæculares non malefacerent, ſi omnes ſaccos mendicitatis delerent.*

Qui quidem errores, reſpectiuè, quam ſint peſtiferi, quam pernicioſi, quam ſcandaloſi, quam piarum, & ſimplicium mentium ſeductiui, quam deniq; ſint contra omnem charitatem, ac S. R. E. matris omnium fidelium, & magiſtræ fidei, reuerentiam atq; nerunm Eccleſiaſticæ diſciplinæ, obedientiam ſcilicet quæ fons eſt, & origo omnium virtutum, ſine qua facile vnuſquiq; infidelis eſſe conuincitur, nemo ſanæ mentis ignorat. Nos igitur in præmiſſis, vtpote grauiſſimis, propenſius (vt decet) procedere, nec non huiuſmodi peſti, morboq; cancroſo, ne in agro Dominico tanquã vepris nociua vlteriu ſerpiat, viam præcludere cupientes, habita ſuper prædictis erroribus, & eorum ſingulis diligenti trutinatione, diſcuſſione, ac diſtricto examine, maturaq; deliberatione, omnibuſq; rite penſatis, ac ſepius ventilatis cum venerabilibus fratribus noſtris S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ac regularium Ordinum Prioribus ſeu Miniſtris Generalibus, pluribuſq; alijs ſacræ Theologiæ, nec non vtriuſq; iuris Profeſſoribus ſiue Magiſtris, & quidem peritiſſimis: reperimus eoſdem errores, reſpectiue (vt præfertur) articulos non eſſe Catholicos, nec tãquam tales eſſe dogmatizandos, ſed contra Eccleſiæ Catholicæ doctrinam ſiue traditionem, atq; ab ea veram diuinarũ ſcripturarum receptam interpretationem, cuius auctoritati ita acquieſcendum cenſuit Auguſtinus, vt dixerit ſe Euangelio non fuiſſe creditурum, niſi Eccleſiæ Catholicæ interueniſſet auctoritas. Nã ex eiſdem erroribus, vel eorũ aliquo vel aliquibus, palam ſequitur, eandem Eccleſiam, quæ Spiritu ſancto regitur, errare, & ſemper erraſſe. Quod eſt vtiq; contra illud, quod CHRISTVS diſcipulis ſuis in Aſcẽſione ſua [vt in S. Euang. Matth. legitur] promiſit dicens: Ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. Nec non contra ſanctorum Patrum determinationes, Conciliorum quoq; & ſummorum Pontificum expreſſas ordinationes, ſeu canones, quibus non obtemperaſſe, omnium hereſium, & ſchiſmatum, teſte Cypriano, fomes, & cauſa ſẽper fuit.

De eorundem itaq; venerabilium Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ac omnium, & ſingulorum prædictorum, matura deliberatione prædicta, auctoritate Omnipotentis Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & noſtra, præfatos omnes, & ſingulos articulos ſeu errores, tamquam [vt præmittitur] reſpectiuè hæreticos, aut ſcandaloſos, aut falſos, aut piarum aurium offenſiuos, vel ſimplicium mentium ſeductiuos, & veritati Catholicæ obniantes, damnamus, reprobamus, atq; omnino reijcimus, ac pro damnatis, reprobatis, & reiectis ab omnibus vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus haberi debere, harum ſerie decernimus, & declaramus. Inhibentes in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœna maioris excommunicationis latæ ſententiæ, nec non quoad Eccleſiaſticas, & Regulares perſonas, Epiſcopalium omniũ, etiã Patriarchalium, Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium Eccleſiarum, Monaſteriorum

quoque, & Prioratuum etiam Conuentualium, & quarumcunque dignitatum, aut beneficiorum Ecclesiasticorum, sæcularium, aut quorumuis Ordinum regularium, priuationis, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, quo verò ad Conuentus, Capitula, seu domos, aut pia loca sæcularium, vel regularium, etiam Mendicantium, nec non Vniuersitatis etiam studiorum generalium, quorumcumque priuilegiorum indultorum, à Sede Apostolica, vel eius legatis, aut alias quomodolibet habitorum, vel obtentorum, cuiuscumque tenoris existant, nec non nominis, & potestatis studium generale tenendi, legendi, ac interpretandi quasuis scientias, & facultates, & inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: Prædicationis quoque officij, ac amissionis studij generalis; & omnium priuilegiorum eiusdem: quo verò ad sæculares eiusdem excommunicationis, nec non amissionis cuiuscunque emphiteusis, quorumcumque feudorum, tam à Romana Ecclesia, quam alias quomodolibet obtentorum, ac etiam inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda: nec non quoad omnes, & singulos superius nominatos, inhibitionis Ecclesiasticæ sepulturæ, inhabilitatisque ad omnes, & singulos actus legitimos, infamiæ, ac dissipationis, & criminis læsæ maiestatis, & hæreticorum, & fautorum eorumdem in iure expressis pœnis, eo ipso, & absque vlteriori declaratione per omnes, & singulos supradictos, si [quod absit] contrafecerint, incurrendis; à quibus vigore cuiuscumque facultatis, & clausularum eis in confessionalibus quibuslibet personis, sub quibuslibet verborum formis concessarum, nisi à Rom. Pont. vel alio ab eo ad id in specie facultatem habente, præterquam in mortis articulo constituti, absolui nequeant. Omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, tam laicis, quam Clericis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum regularibus, & alijs quibuscumque personis cuiuscumque status, gradus, vel conditionis existant, & quacumque Ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis, Patriarcharum, Metropolitanorum, & aliarum Cathedralium, Collegiatarum, ac inferiorum Ecclesiarum Prælatis, Clericis, alijsque personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium regularibus, Abbatibus, Prioribus, vel Ministris generalibus, vel particularibus fratribus seu religiosis, exemptis, & non exemptis: Studiorum quoque vniuersitatibus sæcularibus, & quorumuis Ordinum etiam Mendicantium regularibus nec non Regibus, Imperatori, Electoribus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Capitaneis, Conductoribus, Domicellis, omnibusque Officialibus, Iudicibus, Notarijs, Ecclesiasticis, & sæcularibus, Communitatibus, Vniuersitatibus, Potentatibus, Ciuitatibus, Castris, Terris, & locis, seu eorum, vel earum ciuibus, habitatoribus, & incolis, ac quibuslibet alijs personis Ecclesiasticis, vel regularibus (vt præfertur) per vniuersum orbem, vbicunque, præsertim in Alemania existentibus, vel pro tempore futuris, Ne præfatos errores, aut eorum aliquos, peruersamque doctrinam huiusmodi asserere, affirmare, defendere, prædicare, aut illi quomodolibet, publicè vel occultè, quouis quæsito ingenio vel colore, tacitè, vel expresse fauere præsumant.

Insuper, quia errores præfati, & plures alij continentur in libellis seu scriptis Martini Lutheri, dictos libellos, & omnia dicti Martini, scripta seu prædicationes, in latino, vel quocunque alio idiomate reperiantur, in quibus dicti errores seu eorum aliquis continentur; similiter damnamus, reprobamus, atque omninò reijcimus, & pro omninò damnatis, reprobatis, ac reiectis, (vt præfertur) haberi volumus, mandantes in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis prædictis eo ipso incurrendis, omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus superius nominatis, ne huiusmodi scripta, libellos, prædicationes, seu schedulas, vel in eis contenta capitula, errores, aut articulos supradictos continentia, legere, asserere, prædicare, laudare, imprimere, publicare, siue defendere, per se vel per alium, seu alios, directè, vel indirectè, tacitè, vel expresse, publicè vel occultè, aut in domibus suis, siue alijs publicis, vel priuatis locis tenere quoquo modo præsumant: quinimò illa statim post harum publicationem vbicunque fuerint, per Ordinarios, & alios supradictos diligenter quæsita, publicè, & solemniter in Præsentia Cleri, & populi, sub omnibus, & singulis supradictis pœnis, comburant. *Alia clausula fuisse sequuntur.*

Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo, die XVII. Kalend. Iulij, Pontificatus nostri anno octauo.

*Fergit* autem, in clausulis supra, terminum præscribere Luthero, & adhærentibus vt resipiscant. Non resipiscentes post elapsos sexaginta dies capiendos, fidelibus indicit

Loca

Loca in quibus illi commorabuntur Interdicto ſubijcit. Derogat priuilegijs ſi quæ eſſent his oppoſita. Mandat excommunicari alios, ſi qui impedirent Bullæ publicationem: quam poſtea debitè factam etiam ipſe teſtatur in diplomate edito anno ſequenti, quo Lutherum & ſequaces adhuc contumaces excommunicationem, & alias pœnas incurriſſe declarat. Prædicta omnia habet Bulla ſuperius recitata, quæ integrè continetur in Tomo primo Bullarij Romani nouiſſimi pag. 451.

*Articuli quidam particulares in Ioanne VViclefo inter alios damnati à Martino V. Pont. in Bulla quæ incipit*, Inter cunctas Paſtoralis curæ ſolicitudines.

*SVbſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis remanent in Sacramento altaris.*

*Accidentia panis non remanent ſine ſubiecto in eodem Sacramento.*

*Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identicè, & realiter in propria præſentia corporali.*

*Si Epiſcopus vel Sacerdos exiſtat in peccato mortali, non ordinat, non conſecrat, non conficit, non baptizat.*

*Non eſt fundatum in Euangelio, quod Chriſtus Miſſam ordinauerit.*

*Si homo fuerit debitè contritus, omnis confeſſio exterior eſt ſibi ſuperflua, & inutilis.*

*Contra Scripturam ſacram eſt, quod viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones.*

*Prælatus excommunicans Clericum qui appellauit ad Regem, vel ad Concilium regni, eo ipſo traditor eſt Regis, & regni.*

*Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt Prælatus, nullus eſt Epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.*

*Populares poſſunt ad ſuum arbitrium Dominos delinquentes coreigere.*

*Decimæ ſunt puræ eleemoſynæ, & poſſunt Parochiani propter peccata ſuorum Prælatorum, ad libitum ſuum eas auferre.*

*Omnes ſunt Simoniaci qui ſe obligant orare pro alijs eis in temporalibus ſubuenientibus.*

*Omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt.*

*Religioſi viuentes in religionibus priuatis, non ſunt de religione Chriſtiana.*

*Diſtare Clerum eſt contra regulam Chriſti.*

*Eccleſia Romana eſt Synagoga ſatbanæ, nec Papa eſt proximus, & immediatus Vicarius Chriſti, & Apoſtolorum.*

*Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus, & commercia ciuilia.* Ibidem alia *cum Lutbero, & alijs hæreticis ferè communia.*

Data eſt prædicta Bulla Conſtantiæ (vbi à Concilio damnatus VVicleſus) 8. Kalend. Martij Pontificatus Martini V. anno primo: & reperitur in Bullarij Romani Tomo I. folio 236.

# PARS SECVNDA RESOLVTIONES THEOLOGICÆ IN SCHOLIS CONTROVERSÆ.

*Quia necessarium est Missionario, & cæteris qui alios docent, accuratè discernere Controuersias purè Polemicas, à Quæstionibus Scholasticis quæ inter ipsos Catholicos in vtramque partem liberè disceptantur: maximè quoque decet virum litteratum quæstiones subtiliores in promptu habere quæ passim in disputationem venire solent, & quarum ignoratio facilè doctrinam sanam cum damnata confundit. Hinc, ex plurium desiderio, harum notitiam, statum, argumenta, resolutiones, partim hìc, partim alibi, breui commodaque methodo exponemus.*

## CONTROVERSIA I.

### *De varia in Deo Scientia, ac præscientia futurorum.*

### §. I.

### *Notio ac diuisio scientiæ diuinæ.*

PRimò: Deo nulla ineſt realis diſtinctio, præterquam trium Perſonarum: Hinc quæuis intellectio, aut volitio diuina, aliud non eſt, quàm Deus per ſe intelligens, aut volens, ſine vlla actuum diſtinctione, aut noua acceſſione, per quam aliqua mutationis internæ vmbra inducatur.

II. Nulla Dei intellectio eſt merè apprehenſiua, aut etiam opinatiua: Sed omnis eius cognitio perfecta ſcientia eſt. Quidquid enim cognoſcit, id clarè, certòque iudicat. Neque iudicium illud ſcientificum formatur more noſtro, per compoſitionem ac diuiſionem, ſed per ſimplicem repræſentationem, abſque eo quod prædicatum ad ſubiectum mediante copula referatur dum affirmat, aut à ſubiecto remoueatur dum aliquid negat.

III. Scientia Dei non eſt diſcurſiua, ſiue illatiua vnius ex alio, Quia aliqua mentis imperfectio eſt, ex antecedente clarius cognito elicere conſequentis cognitionem obſcuriorem, quod in omni diſcurſu contingit. Hinc dum cognoſcit Deus ſuam omnipotentiam eſſe productiuam leonis, non mouetur intellectus diuinus à potentia productiua leonis cognita, ad cognoſcendum leonem, ſed vtrumque ſimul, & per ſe perfectiſſimè comprehendit.

IV. Diuiſio ſcientiæ diuinæ communior eſt, in ſcientiam naturalem ſiue neceſſariam, qua Deus ab æterno, ante omne liberum decretum ſuæ voluntatis, cognouit res poſſibiles, quæ non potuerunt aliter ſe habere, vt mundum eſſe producibilem: & in ſcientiam liberam, qua cognoſcuntur res contingentes ſiue quę potuerunt aliter ſe habere v. g. Iudam peccare.

Ea diuiſio aliter exprimitur, in ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, qua Deus cognouit res poſſibiles quaſi abſtrahendo ab earum exiſtentia: in ſcientiam Viſionis, qua videt totam ſeriem rerum exiſtentium in quacunque temporis differentia, & in ſcientiam Mediam qua cognoſcit rem futuram ſub conditione contingenti, ſiue quid homines, & Angeli facturi eſſent pro ſua libertate, ſi cum his vel illis circumſtantijs, in hoc vel illo rerum ordine collocarentur.

V. Vt hæc triplicis ſcientiæ diſtinctio clarius inhæreat: Primo concipiatur, Deum ab æterno, anteaquam aliquid extra producere ſtatuiſſet, in mente ſua, tanquam in luciditſimo ſpeculo, completum fuiſſe infinitos rerum ordines, quos ſi vellet, condere potuiſſet: Secundò diſtinctè percepiſſe, quid in ſingulis ordinibus futurum eſſet ex libero hominum, & Angelorum arbitrio, ſi decerneret illos in his vel illis circumſtantijs actu produce-

re:

re: Tertiò ex illis omnibus elegiſſe hunc ordinem rerum, qui à prima mundi creatione perſeuerat, & continua ſerie deinceps decurret: Quartò, hac electione conſtituta, abſolutè & determinatè ex parte ſui actus vidiſſe omnia quæ in hoc ordine ex libero hominum, & Angelorum arbitrio fiunt; præter hunc præſciuiſſe vniuerſa, quæ in quauis hypotheſi futura eſſent: Atque hæc ſub conditione tantum futura, alij per ſcientiam quam nuncupamus Mediam, alijaliter prænoſci contendunt, vt iam dicemus.

## §. II.

## DE SCIENTIA MEDIA.

### *Controuerſiæ ſtatus, & origo breuiter exponitur.*

EXorta eſt controuerſia hæc in Scholis celeberrima de ſcientia Media præcipuè circa annum 1588. dum in lucem prodijt liber P. Ludouici Molinæ Societatis Ieſu Theologi, Vliſſipone in Luſitania, de Concordia Gratiæ &c. Sed & Opere nondum typis vulgato, vt in ipſis cunis præfocaretur, ſummo ſtudio contendit ex Schola S. Thomæ Dominicus Bannez, alijque à quibus doctrina de ſcientia media, & auxilijs, ad Tribunal S. Inquiſitionis Luſitanicæ protecta eſt, & in multis vehementer accuſata. Sed in hoc iudicio, omni erroris ſuſpicione liberata, robur potius quam detrimentum accepit. Inſtauratur in Inquiſitione Hiſpanica noua accuſatio: ac primum Compiutenſis Vniuerſitas, iubente illuſtriſſimo Nuncio Cardinale Caietano, & Senatu S. Inquiſitionis, Molinæ Concordiam per annum integrum rigido examini ſubiecit. Sed & hinc purior, robuſtiorque euaſit, dum tandem primo Octobris anno 1596 Vniuerſitatis calculo declaratur, in Molinæ Concordia contineri ſanam & Catholicam doctrinam, Scripturæ, Concilijs, Patribus, & Scholaſticis conſentaneum: vti teſtatur ipſe Academiæ Rector in litteris Romam datis ad Cardinalem Pompeium Aragonium, quæ extant apud Paulum Leonardum p. 1. n. 36.

Itaque dum ſcientiæ mediæ per vniuerſam Hiſpaniam exagitatæ nihil detrimenti, multum verò incrementi, & gloriæ accederet, viſum eſt illius impugnatoribus rem totam ad Romanæ Inquiſitionis tribunal reuocare, ac ſi ea nondum alibi ſatis ventilata fuiſſet. Sic enim ex fidis monumentis rem prodit Ripalda tom. 2. de ente ſupernat. *diſp.* 113. *num.* 55. Aſſeclæ Dominici Bannez, non acquieſcentes iudicio Hiſpanorum; ad ſupremum Romanæ Inquiſitionis tribunal appellarunt, miſſoque in ſollicitationem cauſæ legato ſui Ordinis, qui prolixum in doctrinam Molinæ Scriptam, Cardinali Alexandrino dicatum, obtulit. Cardinalis pro excutienda Molinæ doctrina Congregationem octo Theologorum à Clemente VIII. obtinuit, quibus poſtea duo alij acceſſere. Sed cum hi ex Molinæ Concordia propoſitiones aliquas modò cenſurarent, modò eaſdem cenſura eximerent, placuit tandem Pontifici cenſuras aut ſententias in priuatis conuentibus hactenus latas ſupprimere aut ſuſpendere, & cauſam totam ad ſe reuocare, ſolemni ritu coram ſe, & Cardinalibus, ac Iudicibus diſputandam à ſelectis Doctoribus tum Patrum Dominicanorum, tum Societatis Ieſu, vtriuſque etiam Ordinis Generali aſſiſtente.

Inchoatæ itaque ſunt die 28. Martij anno 1602. Romæ in litterario theatro, ſumma orbis Chriſtiani expectatione, celeberrimæ illæ inter vtrumque Ordinem diſputationes, quæ ingenti vtrimque conatu protractæ fuerunt vſque ad annum 1606. Huius temporis decurſu habitæ ſunt Conſertationes quadraginta ſeptem, quarum triginta ſeptem præſente Clemente VIII. celebratæ ſunt, quo è viuis ſublato, Paulus V. reliquis decem Diſputationibus interfuit.

Tandem de rebus diſputatis accuratè collecta eſt Iudicum cenſura, & ſummo Pontifici tradita; qui, inquit Ripalda, conueniens cum ſolis Cardinalibus eam expendit, & de ſententia iuxta merita cauſæ ferenda contulit. Ac demum ipſa die D. Auguſtino ſacra 28. Auguſti 1606. maiori meliorique Cenſorum parti adhærens, cum iiſdem Cardinalibus pronuncianit, Vt, omnis doctrina Molinæ indemnis perſiſteret, & vtraque familia ſententia in Scholis Catholicis tutò, & impunè doceretur, donec aliud à Sancta Sede decernatur. Ea tamen lege, vt neutra pars alteram cenſuris carpat, iniurijſue laceſſat. Quæ Pontificis Sanctio vtrique parti intimata eſt, & vlterior huius cauſæ proceſſio interdicta. Hoc Pauli Pontificis Decretum inter alios refert Spondanus ad annum 1606. Et de eo plura notatu digna fusè tradit Petrus à Soſepho, Paulus Leonardus, Ripalda, Henao, & Anatus de ſcientia media diſput. 4. cap. 1. & in reſponſione ad fabulas Quæſtionarij Toloſani. Scio quas tenebras his Actis offundere moliatur Xantes Mariales in

ſua Bibliotheca relect. 17. p. 459. & alibi, quas Apoſtolica auctoritate diſſipauit Innocentius X. in calce decreti à ſe editi 23. Apr. anno 1654.

Verùm mihi hoc loco conſilium non eſt plu-ribus monumentis, quæ ad manum ſunt, hnic cauſæ præſidium adferre, ſed tantum aliquam eius notitiam delibare, in ordine ad alias Controuerſias, quæ hic, & alibi in hoc Opere tractantur.

## §. III.

### *Explicatur & probatur neceſſitas ſcientiæ Mediæ.*

SCientiam in Deo Mediam negant, vt dixi, ex profeſſo Thomiſtæ, neque eam admittunt pleriqne Scotiſtæ; plures tamen Academiæ, ac Scholæ celebriores eam non excludunt, imò paſſim à viris doctrina eximijs, multis, magnifque encomijs celebratur, vt videre eſt apud P. Hænao, & plures alios. Vt verò controuerſiæ deciſio, eiuſque probatio diſtinctius intelligatur:

Dico primò, admittenda eſt in Deo ſcientia illis conditionalium, quam nos mediam vocamus, hoc eſt, nouit Deus infallibili ſcientia non ſolum quid agere poſſint, ſed etiam quid facturæ eſſent ſingulæ cauſæ liberæ, ſi locarentur in his vel illis circumſtantijs ad actionem ponendam vel non ponendam conducentibus, & haberent omnia ad liberè agendum requiſita, quamuis cauſæ illæ nunquam ſint futuræ, vel certe nunquam in talibus circumſtantijs conſtituendæ; cuius exempla dabimus aſſert. 2. de Tyrijs & Ceilitis.

Scientiam hanc infallibilem de conditionatè futuris habere Deum, ſaltem in ſuis decretis, de quibus infra, admittunt quoque recentiores Thomiſtæ: negarunt tamen illam abſolutè nonnulli antiquiores, vt Ledeſma, Cabrera, alijque, qui circa obiecta ſic conditionatè futura agnoſcebant tantum in Deo, ſcientiam conjecturalem: ac Ledeſma quidem de ſcientia futur. conting. *diſp. 2. differ.* diſſertè aſſerit, poſſe quidem Deum iudicare quid ſoret verosimilius vel probabilius in tali euentu, non tamen poſſe definitum iudicium ferre, quod hoc eſſet aut erit, ſi illud fiat vel fieret.

Oportet igitur accuratè obſeruare, controuerſiam celeberrimam inter Thomiſtas & authores Societatis non eſſe ſitam in eo, An Deus certò cognoſcat futura contingentia quæ nunquam erunt, ſed tantum futura eſſent poſita hac vel illa conditione: in hac enim ſcientia Deo attribuenda plerique nobiſcum conueniunt. Sed quæſtio principalis eſt, An Deus cognoſcat illa futura directè in ſeipſis ſine antecedenter ad ſua decreta, vt docent authores Societatis; an verò in ſuis Decretis, quæ Thomiſtæ ſtatuunt in Deo abſoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti, circa omnes actiones liberas conditionatè futuras, quale eſt hoc decretum, Decerno vt ſi Petrus intret domum Caiphæ Chriſtum neget; ſi reſpiciatur à Chriſto moueatur ad pœnitentiam. Cum autem alij in huiuſmodi decretis, cum prædeterminatione phyſica quibus nituntur, grauem oſtendant difficultatem, vt conſiſtant cum libertate actuum humanorum, quam beneficio ſcientiæ mediæ facillus expediunt; hinc illa ſcientia contra ſe; ſuoſque Authores aliquem inuidiæ fomitem miniſtranit.

Dico tamen ſecundò, Scientia media iam explicata fundamentum habet ſolidiſſimum tam in Scriptura, quam in Ratione.

Probatur itaque primò, ex pluribus Scripturæ locis, ac præcipuè 1. Reg. cap. 23. vbi Danidi Deum conſulenti, An deſcenderet Saul in Vrbem Ceilam, & an eo aduenientе viri Ceilitæ Dauidem Sauli traditurі eſſent. Reſpondit Deus, *Si manſeris in Ceilam deſcendet Saul, & à Ceilitis in manus eius traderis.* Itaque præuidit Deus ſub conditione futurum aduentum Saulis, & traditionem Dauidis, quæ nunquam abſolutè conſecuta eſt. Atqui Deus non habuit decretum quo voluit vt ſi Dauid permaneret in vrbe, Ceilitæ eum traderent. Ergo Deus illud præuidere debuit independenter à tali decreto, per ſcientiam quam vocamus mediam. Minor probatur, Quia Deus non poteſt velle, aut decernere vt fiat malum, quale ſactum erat Saul poſtulando ſibi tradi, & Ceilitæ tradendo Danidem innocentem, alias enim Deus id decernendo ſe præberet authorem actus mali: nam eadem ratio quæ vetat Deum abſolutè prædefinire actus peccaminoſos, prohibet etiam eoſdem decernere ſub aliqua conditione.

Probatur idem ex verbis Chriſti Matthæi 11. *Si in Tyro & Sidone facta fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in te, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Vbi exprobrat Iudæis quod pœnitentiam non egerint, qualem facturi erant Tyrij & Sidonij, ſi Deus illis eadem miracula, eandemque gratiam præbuiſſet. Nullam autem vim habuiſſet iſta exprobratio, ſed potius friuola & iniqua foret, ſi neceſſarium eſſet, iſtiuſmodi decretum ex parte actus abſolutum, quo ſtatuerit Deus conuertere Tyrios, ſi

Chri-

Christus apud illos virtutes, & miracula patrasset. Respondere enim Iudæi Christo exprobranti meritò potuissent: *Quid mirum est conuertendos Tyrios si vidissent illa miracula, & nos illis visis minimè conuertis? Quandoquidem Decretum habuerit conuertendi Tyrios signa illa spectassent, pro nobis autem sub eadem conditione conuertendis defit sola Decretum, quod tamen ad nostram conuersionem est omninò necessarium.* Tantundem enim illud est, ac si Iudex captiuum, quem claustum detinet, hortetur vt carcere egrediatur, & egredi cunctantem hoc modo increpet. Si hoc dicerem socio captiuo, ille confestim exiret, habeo enim decretum, vbi hoc dicerem simul fores carceris illi reserandi, quod tibi facere non decreui. Quis non videt viro prudenti, multò magis Christo indignam esse istam increpationem, admissa necessitate talis decreti.

Retorquet in nos istam Iudæorum querelam innuperis Thesibus Eximius P. Ianseni, nec non Exim P. Harney thesi 16. *Idem*, inquit, *in tua opinione dicerent (Iudæi) ob negatam ipsis vocationem certò congruam*, qualis Tyrijs concessa fuisset. At non ferit nos ista retorsio. Replicare enim isti querelæ in nostra sententia meritò potuit Christus, hoc modo: Vestra culpa factum est, quod illa gratia sufficiens qua nunc vocati estis, non fuerit præuisa certò congrua, & efficax, qualis omnino esset, si velletis cum ea liberè conuerti, & pœnitere, quod in vestra situm est potestate. At non ita ab ipsorum libertate pendebat, quod Deus ab æterno non habuerit Decretum illud ex parte actus absolutum visis miraculis illos conuertendi per media prædeterminantia, quale decretum ponunt in Deo respectu Tyriorum, si ea miracula ipsis proposita fuissent.

Porrò ad eneruandam vim argumenti, quod supra assumpsimus pro scientia media, nouam subtilitatem commentatus est Ioannes Caramuel in sua Theologia Fundamentali *lib. 1. Thesi 6.* Statuit ille in Tyrijs, & Sydonijs piam affectionem erga miracula, & decretum actuale amplectendi Religionem, quam viderent miraculis comprobatam: ex quo inquit, per infallibilem consequentiam constare poterat visis prodigijs, conuertendos fuisse: pium autem affectum, & illud actuale Tyriorum decretum cognoscebat Deus scientia visionis; nihil igitur opus erat scientia media.

Sed respondeo, machinam hanc imaginariam facile corruere, negando in Tyrijs eo tempore exstitisse istud actuale decretum, quod nullo fundamento ab aduersarijs adstruitur. Vel enim decretum illud publico Senatus, populique consensu conditum fuit, vel priuato singulorum ciuium consilio conceptum. Si publicum omnium consensu, incumbit aduersarijs ostendere, in quibus tabulis, aut monumentis decretum illud memoriæ proditum existat, nisi velint agnoscere, non Tyriorum decretum, sed suum esse commentum. Si autem asserant priuato consilio singulorum animos miro consensu coaluisse in pium illud decretum capessendæ Religionis miraculis confirmatæ; nemo non videt quam parum probabilis, multò minus infallibilis sit arcanus ille Tyriorum consensus: cum passim in Scripturis de Tyriorum dura cerui-ce, & impietate extent plurima, de pio autem ad veram Religionem affectu nihil vspiam scriptum reperiatur, præterquam in eorum libris, qui hoc contra scientiam mediam argumentum recenter excogitarunt: quod cum ostenderim probabili fundamento destitutum per se corruere, non est cur operosius expugnetur.

Aliam, sed non multò meliorem, euadendi viam tentarunt nuper aliqui, qui ad eundem Scripturæ locum respondent; Tyrios præ Iudæis minori affectu suis vitijs, & erroribus adhæsisse: Potuit igitur Deus per visionem istius affectus infallibiliter scire, Tyrios non amplius erroribus suis adhæsuros fuisse, si eodem tempore fuissent fortius impulsi ad pœnitentiam per gratiam, & miracula, quibus conuersi non sunt Iudæi, vtpotè suis vitijs, & erroribus maiori affectu alligati. Sufficiet ergo, absque scientia media, visio dluina circa istam Tyriorum dispositionem olim actu existentem, vt inde certò cognoscat eorum pœnitentiam sub conditione futuram.

Sed contra, Supponere videtur hæc responsio, minorem affectum in vitia, accedente maiori impulsu gratiæ, necessariò succumbere, & voluntatem gratiæ tunc impellenti infallibili lege obsecundare: vnde sequitur, pœnitentiam sic præuisam non fore liberam, atque ita hanc responsionem impingere in doctrinam Ianseni de gratia victrici: parum enim referre videtur, siue maior impulsus gratiæ necessariò victricis componatur cum minori affectu in vitia, siue cum minori inclinatione concupiscentiæ, modò voluntas sub illis constituta ex vi intrinseca, & infallibili istius gratiæ ad actum pœnitentiæ determinari debeat.

Quamquam, & hæc obiectio, in hypothesi quâ supponit, eodem cum priori vitio laboret

Gratis.

Gratis enim assumitur Tyrios & Sydonios, homines insigniter impios, minori affectu suis vitijs adhæsisse quam Iudæos Bethsaidæ incolas, qui Dei notitia, & lege, & plurimis diuinæ vltionis exemplis instructi erant, quibus poterat vehementior in vitia affectus non parum alidi. Et in hoc ipso consistere videtur vis exprobrationis diuinæ, quod cum Tyrij & Sidonij infideles maiorem haberent obicem conuersionis, facilius tamen per eadem miracula, eandemque gratiam liberum voluntatis arbitrium ad pœnitentiam inflexissent.

Quod si adhuc de Tyriorum moderatiori in vitia affectu benignius hic sentiendum essa contendas, cogeris etiam ad Sodomitas idem patrocinium extendere. Nam in eodem contextu de Capharnao Iudæorum vrbe continuò subiungitur: *Si in Sodomis factæ fuissent virtutes quæ in te, forte mansissent vsque in hodiernum diem*, nempe per secuturam conuersionem & pœnitentiam. An ergo cognouit Christus scientia visionis Sodomitas minori affectu patri in sua vitia, quam Iudæi Capharnaitæ suis arroribus adhærerent? At contra, ipsa Scriptura disertè testatur *Genesis* 13. Sodomitas fuisse *homines pessimos*, & in suis vitijs ad extremum induratos: & tamen horum pœnitentia conditionata præ Capharnaitis à Christo cognita, & prænunciata fuit; non vtique ex minori in vitia affectu, qui vltricibus à cœlo flammis ac sulphure cohibendus erat; sed ex ipsa libera, ac laudabili voluntatis ad pœnitendum determinatione sub conditione futura, & per scientiam mediam præuisa. Nequa video quorsum, ob expositionem tam parum solidam, aliqui scientiæ mediæ patroni iudicauerint hunc Scripturæ locum non satis illi patrocinari.

Probatur secundò assertio, ex Ratione, qua simul scientiæ mediæ singularis vsus, ac necessitas declaratur. Quia ad saluandam libertatem & meritum nostrorum actuum necesse est dicere, omnes gratias quæ ad actum eliciendum proximè conducunt essa indifferentes, sic vt voluntas illis habitis possit seipsam determinare siue ad agendum, siue ad non agendum: actio enim ad quam voluntas non à se, sed ab alio principio determinatur, non potest esse voluntati libera, aut meritoria. Et tamen ex altera parte necesse est asserare aliquas gratias sic dari à Deo vt infallibiliter inferant actum voluntatis creatæ, cum non possit Deus homines certò destinare ad merita gloriæ æternæ, nisi per gratias quas nouit fore efficaces. Hæc autem duo optimè conciliantur per scientiam mediam, & non ita per viam cui alij insistunt. Nam posito quod Deus ista scientia videat, Si Petrus in talibus circumstantijs habeat hanc gratiam elicias actum amoris Dei, potest decernere Petro dare in talibus circumstantijs illam gratiam: atque ita decernat gratiam quæ infallibiliter inferet affectum, liberè tamen ponendum, ex determinatione libera Petri per scientiam mediam præuisa. At varò absque ista scientia non ita apparet, qua ratione possit dicta efficacia gratiæ à Deo dandæ cum libertate voluntatis conciliari. Debebit enim illa efficax & infallibilis connexio gratiæ cum actu prouenire, vel ex ipsa natura & entitate gratiæ, per se determinantis, & sic non relinquet voluntatem proximè indifferentem vt possit seipsam determinare: vel certè ponet aliud quo proximè determinetur in præiudicium libertatis. Quæ difficultas plures etiam ante Ianseninm, in eum errorem impulit, vt absolutè negarent ad libertatem requiri illam voluntatis indifferentiam. Hunc nos scopulum existimamus aptissimè declinari per vsum scientiæ mediæ iam expositum, alij aliter, quorum varias & probabiles de hoc puncto sententias dabimus infra in Controuersia septima.

## §. IV.

### *Dissoluuntur breuiter variorum Argumenta contra scientiam Mediam.*

OBijciunt primò, Scientiam mediam auferre Deo rationem primæ causæ, & primi liberi. Absit tantum nefas à Scientia illa minimè noxia. Probant tamen, Quia supponit liberam determinationem voluntatis creatæ conditionatè futuram, ante omne decretum actuale, & determinatum voluntatis diuinæ. Esto: Quid inde piaculi, quod Causa prima considerata in statu conditionato nihil actu agat, vbi actu nihil agitur. Sic enim in simili forma argumentor, & ostendo ex illa obiectione sequi, Scientiam etiam simplicis intelligentiæ auferre à Deo rationem primæ causæ, & primi liberi: Deus vt cognoscens per scientiam simplicis intelligentiæ obiectum in statu possibilitatis v. g. actum creaturæ possibilem, nullum de eo obiecto habet actuale decretum: ergo Deus vt sic cognoscens non est prima causa, aut primum liberum. Si ciaudicat hæc sequela, vacillat & illa; Deus per scientiam mediam cognoscens obie-

obiectum in ſtatu conditionato nullam de eo habet actuale decretum: Ergo Deus vt ſic cognoſcens non eſt prima cauſa, aut primum liberum. En vtrobique errori idem ſe manifeſtat quod nempe exigatur in ſtatu non abſoluto diuina libertas abſolute exercita.

Debet igitur hic primum liberum ſiue primum determinans ſumi proportionatè ad ſtatum in quo obiectum conſideratur, hoc eſt, in ſtatu poſſibilitatis, Deus eſt primum liberum ſiue determinans, non actu, ſed poſſibiliter: in ſtatu conditionato Deus eſt primum liberum non actu, ſed conditionatè, ſine, eſſet primum agens liberè ſi conditio poneretur: in ſtatu autem abſoluto Deus eſt primum liberum actu, & abſolutè. Cum ergo pro illo triplici ſtatu, in quo rea eadem conſiderari poteſt, Deus ſit primum agens, & primum liberum, nullo prorſus modo per ſcientiam mediam excluditur à ratione primi agentis, liberi, determinantis. Nec impedit illa quo minus omne agens, & liberum creatum à Deo volente, & decernente accipiat, & ipſam potentiam eligendi, & totum actum electionis, relatiue ad ſtatum poſſibilem, conditionatum, aut actualem, in quo res à mente noſtra conſideratur exiſtere. Hoc ſi ritè attenderetur, multum difficultatis, & contentionis euaneſceret.

Obijcies tamen ſecundò: Scientia media læ dit in hoc libertatem diuinam, quod non proponat Deo obiectum ſuum eum indifferentia ad exiſtendum, vel non exiſtendum, ſed exhibeat determinatè futurum, ſi ponantur certæ circumſtantiæ, quaſi præueniendo determinationem diuinam.

Reſpondeo negando aſſumptum: & iterum moneo, fruſtra obijci læſionem aut impedimentum libertatis in ſtatu conditionato, vbi non datur locus libertati exercendæ, quæ tantum actu exerceri poteſt in ſtatu abſoluto. Cæterum non proponit ſcientia media actum voluntatis humanæ futurum ſine dicta indifferentia, niſi ex hypotheſi quod Deus liberè vellet ſuam gratiam, & concurſum, & reliquas conditiones præbere, cum quibus præuidetur connectenda actio voluntatis humanæ, adeoque actus conditionatè præuiſus per ſcientiam mediam, ſupponit etiam conditionatum exercitium libertatis diuinæ, ſiue, quod hoc exercitium actu eſſet, ſi actura foret voluntas creata. Non enim concipitur hæc actura, niſi ſupponantur adfutura omnia ex parte Dei ad agendum requiſita.

Obijcies tertiò: Cum ſcientia media non conſtet libertas voluntatis creatæ: Poſito enim auxilio diuino, & ſcientia media qua Deus nouit, ſi detur hoc auxilium in his circumſtantijs habiturum effectum, non poteſt non ſequi conſenſus voluntatis creatæ.

Reſpondeo, Si ita noxia eſt libertati humanæ ſcientia media auxilij indifferentis, væ præuiſioni prædeterminationis phyſicę, actum per ſe infallibiliter inferentis. Nihilominus, admittunt aduerſarij Deum præuidere, ſi ponatur prædeterminatio phyſica, voluntatem liberè conſenſuram: Si ergo ſcientia conditionata futuræ prædeterminationis, non tollit libertatem voluntatis humanæ, quomodo eam tollet ſcientia conditionata auxilij indifferentis, quod ex parte ſua voluntatem indeterminatam relinquit.

Ad rationem itaque allatam, in forma dico: Poſito auxilio diuino, & iſta ſcientia media, non poteſt non ſequi conſenſus voluntatis humanæ, neceſſitate aliqua ſimpliciter antecedente iſtum conſenſum, nego; neceſſitate aliqua conſequante, & præſupponente liberum exercitium voluntatis, concedo; hæc autem præſciantia non poteſt tollere illam libertatem cuius exercitium à præſcientia non pendet, ſed potius illa præſcientia dependet à determinatione conditionata, & libera ipſius voluntatis. Per ſciantiam itaque mediam ideo ſolum nouit Deus Petrum conſenſurum, ſi ponatur in his circumſtantijs, quia reipſa in illis conſtitutus ad conſenſum liberè ſe reſolueret. Nulla igitur hic eſt neceſſitas niſi merè conſequens ex hypotheſi liberæ determinationis voluntatis humanæ, cum abſolutè fuerit in poteſtate Petri efficere vt Deus hanc ſcientiam non haberet, ſed contrariam de negatione conſenſus, ſi nempe Petrus in illis circumſtantijs poſitus nollet conſentire.

Quinimo, ſi voluntas aſſet inſtructa gratia, & concurſu Dei, & alijs ad agendum proximè requiſitis, eodem modo actum eliceret etiamſi ſcientia illa à Deo penitus abeſſet. Illa enim præſcientia conditionata, quæ in actum nullo modo influit, non requiritur ad hoc vt voluntas poſſit agere; vti aliqui præpoſterè concipiunt, ſed vt Deus in decernendo actu libero creaturæ proceedat prouidè, & non cæco modo, per auxilia, & media indifferentia, cum quibus non poteſt cognoſci coniungendum eſſe effectum, niſi id exploretur beneficio ſcientiæ mediæ; ſinè qua io obtinendo efficaciter actu libero, dirigendæ eſſent à Deo ſuæ gratiæ euentu incerto: ſicut ab homine emittuntur io ſcopum plures ſagittæ, de quibus incertus eſt an hæc, an alia ſcopus attingeretur, cum ſingulæ ad hoc ſint indifferentes, & poſſint à ſcopo aberrare.

Inſta-

Instabis, Etsi admitteretur scientia media esse posterior consensu voluntatis creatæ vt conditionatè futuro; est tamen illa prior eodem consensu in statu absoluto, siue vt est absolutè futurus, & stante illa præscientia necessariò sequetur: Ergo scientia media aufert libertatem istius consensus vt est absolutè futurus.

Respondeo distinguendo antecedens; Scientia media est prior consensu absolutè futuro aliqua prioritate rationis, in quantum dirigit Deum vt actum futurum absolutè decernat, concedo antecedens: Est prior consensu absolutè futuro aliqua prioritate naturæ, per modum causæ influentis, nego antecedens. Tantum enim requiritur illa scientia in Deo, vt cognoscatur consensus ille positis medijs indifferentibus infallibiliter secuturus, non verò vt illa in actum influat. Quinimo positis cæteris prærequisitis actus ille non minus eliceretur, etiamsi scientia media abesset, vt supra ostendi, vti & ipsam scientiam mediam potius dependere à libero exercitio huius actus sub conditione futuri.

Quomodo verò vniuersim scientia media, aut alia, quæ sic præcedunt actum liberum vt ab ipso libero actus exercitio dependeant, nullo modo officiant libertati, clarius elucescet ex similitudine Vmbræ, quæ Corpus nostrum antecedit quando sol nobis à tergo obuertitur. Nihil enim ambulantis libertati obest illa vmbra necessariò antecedens, cum illa non obstante possit homo pro suo arbitrio huc, vel illuc ambulare, & efficere vt hæc, vel illa vmbra præcedat, quamuis ex hypothesi quod stet ad solem retro lucentem debeat aliqua vmbra hominem antecedere. Est autem rerum futuritio quasi quædam vmbra intelligibilis, quæ licet, interuallo temporum, rerum futurarum existentiam antecedat, ab hac tamen futura existentia, tota illa antecedens futuritio dependet. Non potest igitur illa futuritio aut prænotio rerum futurarum libertati præiudicare, etiamsi res quæ est, vel esset futura; per suam futuritionem antecedentem, seipsam quodammodo obiectiuè antenertat, vti vmbra quasi quid idem cum corpore, ipsum corpus antecedit. Quæ similitudo factius accommodabitur rebus quæ tantum sub conditione essent futuræ, si more Mathematicorum nunc consideremus astrorum vmbras siue eclypses, quæ post viginti millia annorum essent futuræ, quamuis forte mundus tam diu non stabit; adeoque eclypses illæ nunquam sint futuræ, habent tamen nunc suam futuritionem in mente Mathematicorum. Sic etiam futuritio conditionata non causatur ab vllo quod actu est, vel erit, sed ab eo quod esset si conditio poneretur. Et per hanc similitudinem aptè explicari potest, quo pacto omnis Dei præscientia, prædefinitio, prædestinatio, reprobatio, quamuis fuerint ab æterno, non tollant hominis libertatem, sed à nostro arbitrio benè, vel malè operante dependeant, quòd ægrè capiunt rudiores.

Obijcies quartò: Vsus ille scientiæ mediæ fauere videtur errori Semipelagianorum. Si enim Deus in distribuenda gratia dirigatur per scientiam illam conditionalem, sequetur opera conditionatè ponenda, esse causam cur Deus hanc gratiam homini largiatur, in hoc autem errarunt Semipelagiani.

Respondeo, negando assumptum: Ad argumenti sequelam dico, Opera conditionatè ponenda, etsi sint certo modo causa finalis, ad quæ obtinenda conceditur gratia, non esse tamen opera illa causam meritoriam, aut impetratoriam gratiæ, sic vt illa nondum existentia gratiam sibi à Deo tanquam præmium concedi postulent, hoc autem contendebant Semipelagiani. Cum enim vellent omnem Dei gratiam homini dari ob merita eius naturalia præuisa, & sæpe non reperirent merita absolutè futura, recurrebant ad merita, sine bona opera conditionatè ponenda, sic vt asseretent ex duobus infantibus morituris vni prædestinari Baptismum, & alteri negari, eò quod Deus præuideret, si superuixissent, vnum benè acturum, alterum malè: Item vni adulto, non alteri, fidem prædicari, eo quod Deus præsciret hunc, non illum, crediturum si fides illis annuncietur. Ista autem doctrina etiam apud defensores scientiæ mediæ prorsus erronea est, cum certum sit nullum opus, nisi absolutè existens, præmium aut pœnam mereri: imò constet multos præmaturè mori ac saluari, qui si diutius vixissent, in multa demerita, & peccata incidissent, iuxta illud Sapientiæ 4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius:* quem proinde locum sibi aduersum, teste S. Augustino *lib. de Prædest.* Sanctorum cap. 14. Semipelagiani repellebant, tanquam à libro non canonico citatum.

Causa itaque motiua cur Deus det alicui gratiam quam præuidet fore efficacem, potius quam merè sufficientem, est ipsa Dei bonitas, quam non tenetur in omnes æqualiter exercere; præscientia autem conditionalium pro-

proponit Deo opus bonum conditionatè futurum, vti dixi, non vt causam meritoriam gratiæ efficacis, sed tantum vt causam finalem, quæ non mouet actu existens instar meriti, sed per modum obiecti futuri, & per media procurandi, iuxta illud D. Thomæ *quæst. 23 art. 5. ad primum*. Vsus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.

Objicies quintò: S. Augustinus agens contra Semipelagianos, scientiam mediam non agnoscebat. Nam teste Prospero in epist. ad S. Augustinum, Semipelagiani credebant ab Augustino sub nomine prædestinationis, fatalem quandam induci necessitatem. Atqui istius necessitatis nulla poterat esse apparentia, si prædestinetur gratia indifferens, quæ per scientiam conditionalium certò cognoscitur consensum voluntatis liberè obtentura: Ergo D. Augustinus illam scientiam non agnoscebat.

Respondeo, Etsi S. Augustinus in statuenda prædestinatione visus fuisset scientia media potuisse nihilominus Semipelagianis videri, etiam cum illa, non satis saluari hominis libertatem: Sicut etiamnum multi contendunt per prædefinitionem nixam scientiæ mediæ creaturæ libertatem euerti, vti supra vidimus in obiectione quarta, quamuis è contra alij existiment ea posita nullum esse euertendæ libertatis periculum.

De cætero, notam fuisse S. Augustino, aliisque Patribus scientiam illam conditionalium, siue mediam, patet vel eo, quod nouerint ex Scripturis Deum præscisse, quid acturi fuerint Ceilitæ si Dauid apud eos mansisset; & quid visis Christi miraculis fecissent Tyrij & Sidonij, de quibus supra. Atqui S. Augustinus & Patres non agnouerunt de actionibus illis sub conditione futuris decreta conditionata quæ ponunt Thomistæ, sæpè enim diserte docet S. Augustinus, non omnium rerum, quarum est in Deo præscientia, earum etiam esse prædestinationem siue decretum, sed prædestinationem esse de rebus bonis tantum, præscientiam etiam de malis. Ergo debet S. Augustinus cum alijs Patribus, ad præscientiam illarum actionum, maximè malarum, scientiam mediam agnouisse.

His breuiter dissolutis, Non parum subit admirari, argumenta ista ab aduersarijs iactari tanquam tela scientiæ mediæ; ac molinistis fatalia, cum tamen ex ijs præcipua facilè possint vnico verbo infringi, & in suos Authores retorqueri, vt iam ostendo.

Iactant imprimis, S. Augustinum in concilianda gratia cum libertate nomen scientiæ mediæ nunquam vsurpasse. Sed ne hoc prolixè disputetur, ita sit, quid inde? Nusquam gratiæ per se determinantis, nusquam physicæ prædeterminationis, nusquam istius decreti ex parte actus absoluti &c. nomen diserte expressit. An ideò agnosces hæc quoque penitus repudianda tanquam S. Augustino ignota? Nihil igitur hinc in scientiam mediam potius quam in aduersariorum doctrinam inuidiæ redundat.

At vrgent alij D. Augustinum scientiam mediam in Semipelagianis diserte reprobasse. Sed contra: Si Scientiam hanc ne quidem de nomine nouit, quo pacto eam diserte reprobauit? Dico igitur, S. Augustinum scientiam in Deo mediam nunquam repudiasse, admitto tamen quandoque malum eius vsum in Semipelagianis reprehendisse. Verùm quid inde conficies? An non potest rei optimæ abusus esse pessimus? Si hac tempestate Caluinistæ gratia per se prædeterminante sic abuntur, vt perperam doceant per eam humanæ voluntati necessitatem inferri, an ideò admittes gratiam illam esse Caluinianam & è Scholis relegandam.

Sed inquies, Semipelagiani olim aiebant, aliquos infantes præ aliis ante mortem baptizari, & quosdam adultos præ aliis ad Fidem efficaciter vocari, quia nempe Deus per scientiam mediam præuidit illos postea fi superuenturos fidem liberè amplexuros; quod ab Augustino & Ecclesia vniuersa meritò damnatum fuit.

Respond. Semipelagianos in eo damnatos esse, quod dicerent opera bona ex viribus naturæ, & tantum conditionatè futura, vim habere meriti, & ad salutem conducere, non quod astererent ea opera à Deo sub conditione fuisse præuisa.

Hoc si neges, & porrò contendas, illorum errorem in hac præscientia situm fuisse, Vide ne teipsum non minus quam tuos Aduersarios incautè impugnes. Nam & ipse, saltem in decretis conditionatis, præscientiam de omni obiecto etiam sub conditione futuro in Deo admittis; & tamen ex præscientia sic habita sequetur vim meriti absolutam competere operibus vt conditionatè futuris, si id ex vi scientiæ mediæ sequi debeat: Parum enim refert siue Deus in decretis, siue per scientiam mediam opera illa præcognoscat ad hoc vt rationem meriti obtineant, in quo illis attribuendo hæretici illi meritò damnati fuere. Atque ita vt alios in Pelagianum illud Pelagus demergas, teipsum in eandem ruinam incautè præcipitas.

Sunt

Sunt & alij, qui ſcientiæ mediæ Patranis obijciunt, quod velint eſſe primi iſtius ſcientiæ authores, cum tamen ea ſit antiqua, & pridem cognita: at contra alij ex aduerſarijs eam nouitatis inſimulant. Nec deſunt alij qui ſcientiam mediam penitus abſtruſam, & inconceptibilem eſſe affirmant: alij verò eam vt nimis apertam & facilem gratiæ & libertatis conciliatricem accuſant, cum myſterium hoc maximè reconditum eſſe omnes agnoſcant. Hæ accuſationes dum ſe mutuo interimunt, noſtra reſponſione non egent.

Stant autem pro hac Scientia, præter Authores Societatis, variæ Academiæ, ac Doctores celeberrimi. Pro eadem apud Henaum & Philalethem cap. 3. §. 3. à pag. 175. ex *Archiepiſcopis* enumeratur Hugo Cauellus, Antonius Peres, Auguſtinus Antolinus, Gaſper Nemius Duaci olim Profeſſor: Ex *Epiſcopis* Malderus, Maſcarenius, Dietalepius, Manriquez, Abelli, Creſpi, Ioannes Strienus, Leuinus Torrentius, S. Franciſcus Saleſius, nouum Eccleſiæ tam ſanctitate quàm doctrina columen & ornamentum. Ex quibus diſcernet idoneus lector, hanc Scientiam, & quæ illi innituntur dogmata, inter ſanæ, ſolidæque doctrinæ articulos liberè recipiendam, etſi contra eam à pluribus more Scholaſtico diſputetur, vti fit in Controuerſia ſequenti.

## CONTROVERSIA II.

### *An detur Prædeterminatio Phyſica à Deo ad omnes actiones creaturarum.*

### §. I.

### *Status & Hiſtoria huius Controuerſiæ.*

POſt Diſputationes coram Summo Pontifice inſtitutas à Patribus Dominicanis contra ſcientiam Mediam & affines Controuerſias, rogarunt impensè Patres Societatis, vt ſibi quoque liceret contra Prædeterminationem phyſicam, præſertim in materia de gratia, ſua argumenta depromere. Itaque de illa coram Paulo V. habitæ ſunt à P. Ballida octo diſputationes, quæ durarunt vſque ad diem 22. Februarij anni 1606. In quibus contendebat gratiam quæ eſt efficax in actu primo non eſſe talem ex ſua phyſica entitate, ſic vt ea poſita in voluntate, implicet contradictionem ex vi illius gratiæ non ſequi voluntatis conſenſum: idque ex quatuor potiſſimum principiis concludebat. Primò, ax teſtimoniis Scripturæ ſacræ: 2. ax definitionibus Conciliorum Tridentini, Arauſicani, & Senonenſis: 3. ex doctrina S. Auguſtini & ex aliis Eccleſiæ Patribus: 4. ax conſenſione quam conabatur oſtendere inter hanc, & doctrinam Caluini, non enim videbatur adhuc eo tempore in hoc conatu nimium excedere, cum paulò ante ab aduerſarijs, prolixis parallelis, doctrina Molinæ, cum Pelagij inſtitutis collata fuiſſet. Omnibus abſolutis talis fuit Pontificis ſententia, qualem de ſcientia media in §. II. ſupra retulimus.

Status itaqua huius celeberrimæ Controuerſiæ de Prædeterminatione phyſica genericè ſumpta hic eſt. An vt creatura agat, neceſſariò prærequiratur prædeterminatio phyſica, qua ſit prævia aliqua motio ad ſingulas actiones à Deo productas in cauſa ſecunda, per quam applicetur, & determinetur ad agendum.

Prima ſententia propria eſt Thomiſtarum, quæ aſſerit, præter concurſum concomitantem, quem ponimus, cauſæ primæ cum ſecundæ, neceſſariam eſſe motionem illam antecedentem, qua poſita creatura debeat agere, & qua non poſita nequeat operari, ſiue ſit agens neceſſarium, ſiue liberum.

Diſconueniunt tamen inter ſe Thomiſtæ in aſſignanda Entitate in qua præciſè conſiſtat illa præmotio. Primò, Bannez, Caprera, aliique apud Ruiz de Vol. Dei diſp. 46. ſect. 5. volunt eſſe qualitatem phyſicam & fluentem à Deo cauſis ſecundis impreſſam, & per modum partialis principii prius natura complentem actionem creaturæ; & ſic dicendum eſt hanc præmotionem ſe tenere ex parte actus primi.

Secundo, docet Nazarius, & Capezudo, eſſe ipſam actionem creaturæ prout illa procedit à Deo vt cauſa determinante, & ſimul à creatura vt cauſa determinata; & iuxta hanc expoſitionem, prædeterminatio videratur ſe tenere ex parte actus ſecundi. Alii recentius aiunt, illam conſiſtere in applicatione omnium prærequiſitorum ad actum ſecundum, ſiue ad actionem neceſſariò ponendam.

Tertiò, Aluarez & Zumel tradunt prædeterminationem eſſe aliquid neque ſpectans ad actum primum; neque ad actum ſecundum, ſed inter vtrumque aliquid medium de vtroque extremo aliquid participans, quam motionem virtualem nuncupant. Sed iſta entitas media nullo poteſt ratione fulciri; per hoc enim omninò corruit, quod neque D. Thomas, neque alii Theologi diuidentes ada-

adæquatè actum in primum, & ſecundum, talis actus medij vnquam meminerint. Quodque per ſe inexplicabile videatur, aliquam rem abſolutè exiſtere, & ſimul de actu primo aliquid participare.

Secunda opinio eſt Scotiſtarum, negantium creaturas applicari ad agendum per vllam huiuſmodi entitatem illis intrinſecè inditam, aſſerunt tamen illas per decretum Dei extrinſecum, & abſolutum, & efficax ad agendum applicari ac determinari. In hoc igitur à Thomiſtis tantum diſcrepare videntur, quod hi doceant præuiam creaturæ applicationem fieri per aliquid cauſæ creatæ intrinſecum. Scotiſtæ verò per aliquid extrinſecum. Sed neque ſic prioris ſententiæ difficultates ſatis euitant, neque deſunt propriæ, quas inſuper incurrunt.

Tertia opinio prioribus oppoſita, & Scholæ Societatis vniuerſæ propria: reijcit omnem iſtiuſmodi prædeterminationem phyſicam: Negatque applicationem cauſæ ſecundæ ad agendum aliam eſſe neceſſariam, quam vt Deus in actu primo paratus ſit ſuum illi concurſum præſtare ad agendum, & creatura ſeipſa determinante, Deus ſimul per eandem actionem cum illa operetur: quod ex dicendis magis exponetur.

## §. II.

### *Oſtenditur Prædeterminationem Phyſicam non eſſe admittendam ad cauſas ſiue neceſſarias, ſiue liberas.*

Dico primò, Ad actiones cauſæ neceſſariæ ſuperflua eſt omnis phyſica prædeterminatio.

Probatur. Ideò ab alijs requiritur illa prædeterminatio, vt cauſa creata per illam determinetur ad agendum. Sed cauſa neceſſaria per naturam, & entitatem ſuam eſt ſufficienter determinata ad agendum poſitis omnibus ad actionem prærequiſitis ex parte creaturæ, & decreto præbendi concurſum concomitantem ex parte Dei, abſque alio determinante, aut applicante. Ergo illa prædeterminatio in cauſis neceſſarijs eſt omnino ſuperflua.

Neque dicas, ad hoc requiri præmotionem diuinam, vt potentia creata, per ſe incompleta, & inſufficiens, à cauſa prima compleatur, & applicetur ad agendum, ſicut inſtrumenta debent præmoueri, & applicari à cauſa principali.

Nam contra, cauſa neceſſaria poſita cum omnibus prærequiſitis, & concurſu Dei ſibi oblato, per ſeipſam ita eſt completa ad agendum, vt nequeat actionem omittere; ideò enim cauſa illa dicitur neceſſaria, quia ad vnum eſt determinata ſine potentia ad oppoſitum: ergo illa ſic conſtituta non requirit aliunde ad agendum applicari. Neque verum eſt, quod creaturæ ſe habeant ſicut inſtrumenta illa quibus nulla ineſt virtus operandi, ideoque debent ab artifice præmoueri: habent enim cauſæ creatæ virtutem intrinſecam à Deo ſibi inditam reſpectu effectuum ad quos ex ſua natura ordinantur; non enim admittent aduerſarii illas merè paſſiuè, & mortuo modo ad agendum admoueri, ſicut inſtrumentis propriè dictis fieri ſolet.

At, inquies, cum Philoſopho 2. *Phyſic. text.* 33. Omne quod mouetur ab alio mouetur. Sed non ab alio quàm à Deo: ergo prærequiritur præmotio diuina ad omnem actionem creaturæ.

Reſpondeo negando conſequentiam. Non enim dicit omne quod mouetur ab alio præmoueri, ſed ſimpliciter moueri. Sufficienter autem quælibet cauſa mouetur à Deo, Primò, per hoc quod ſimul concurrat coefficiendo cum ea quamlibet illius actionem, quam ſine diuino concurſu non poſſet ſola exercere: Secundò, præbendo creaturæ præuiam virtutem effectiuam omnis operationis ac motionis, qua ratione omnis actio, & motio creaturæ, à Deo tanquam prima illius cauſa procedit. Quo etiam ſenſu alibi dicit Ariſtoteles, elementa moueri à generante, ex eo tantum quod à cauſa, quæ generat, ſiue inducit formam elementi, indita ſit elemento vis naturalis qua per ſe ſurſum aut deorſum moneatur, generante etiam abſente, & nullum motum actu imprimente. Adde, non paucos dictum Ariſtotelis ſic legere; Omne quod mouetur ab *aliquo* mouetur nempe vel ab alio, vel à ſeipſo.

Dico ſecundò: In agentibus liberis prædeterminatio phyſica non videtur vllo modo poſſe conſiſtere cum libertate actus prædeterminati.

Probatur: Potentia libera eſt, quæ poſitis omnibus ad agendum immediatè prærequiſitis poteſt agere, & non agere; vt conſtat, & lumine rationis, & conſenſu communi, etiam in Schola Doctoris Angelici. Atqui poſita prædeterminatione voluntas non poteſt agere, & non agere, ſed debet infallibiliter id agere ad quod determinata eſt, ſine potentia hic, & nunc expedita ad oppoſitum. Ergo prædeterminatio phyſica non poteſt conſiſtere cum libertate.

Minor.

Minor probatur: Quia, omnis ſuppoſitio antecedens immediatè actum, independens à voluntate, & actum infallibiliter inferens, tollit potentiam liberam agendi, & non agendi, determinat enim præcisè ad actionem, sic vt ſtante illa ſuppoſitione impoſſibile ſit voluntati actum omittere. Ex hoc enim capite neceſsarius eſt amor beatificus, aut quicunque actus voluntatis, qui ex neceſſitate elicitur. Atqui prædeterminatio phyſica eſt talis ſuppoſitio immediatè antecedens, & independens, infallibiliter inferens actum voluntatis, in hoc enim plerumque Thomiſtæ conueniunt. Ergo poſita, & ſtante prædeterminatione non manet voluntati potentia agendi, & non agendi, adeoque neceſsariò præiudicat libertati actus prædeterminati.

Confirmatur noſtræ probatio: Gratia efficax non conſiſteret cum libertate ſi ita per ſe determineret voluntatem ad eliciendum actum bonum, vt poſita gratia impoſſibile foret non ſequi conſenſum voluntatis. Ergo neque prædeterminatio phyſica conſiſtet cum libertate, cum ea poſita impoſſibile ſit non ſequi actum prædeterminatum. Antecedens patet ex Tridentino *ſeſſ. 6. canon. 4.* aſſerente hominem poſſe diſſentire gratiæ ſi velit: item, hominem poſſe abijcere gratiam ſi velit: quia cenſebat eliàs efficaciam gratiæ non ſtare cum libertate.

Reſpondent primò Thomiſtæ, ad minorem noſtri argumenti cum diſtinctione, & dicunt, Poſita prædeterminatione voluntatem poſſe agere, & non agere, in ſenſu diuiſo, id eſt, conſiderando voluntatem per ſe, & vt eſt potentia diuiſa ab actuali prædeterminatione, etsi nequeat non agere, in ſenſu compoſito, hoc eſt, componendo voluntatem cum actu prædeterminato, quem non poteſt non elicere ex hypothesi quod illum actu eliciat, quam dicunt eſſe neceſſitatem merè conſequentem: atque ita aiunt intelligendam eſſe definitionem potentiæ liberæ, vt ſufficiat poſſe agere vel non agere in ſenſu diuiſo: quo etiam mòdo aliqui conantur explicare ſenſum Tridentini. At contra: Non habet voluntas in caſu potentiam non agendi in ſenſu diuiſo, quia ſtante prædeterminatione non habet potentiam ponendi iſtum ſenſum, ſiue carendi actuali exercitio actus prædeterminati, quod probo. Non ponitur actu ſenſus diuiſus niſi ab eo qui poteſt auferre prædeterminationem; atqui in voluntatis poteſtate non eſt auferre aut excutere prædeterminationem, quæ à Deo ſolo voluntati imprimitur: ergo non eſt in poteſtate voluntatis ponere ſenſum diuiſum: ergo nec in ſenſu diuiſo actum omittere.

Reſpondent ſecundò. Poſita prædeterminatione, cum potentia ad agendum remanet etiam potentia ad non agendum, quia ſcilicet permanet ipſa voluntas per omnia naturæ ſuæ relicta, quæ etiam tunc eſt potentia ad non agendum.

Sed contra: Remanet quidem potentia ad non agendum remote, & per prædeterminationem impedita, concedo: remanet potentia proxima, & expedita, nego: voluntas enim prædeterminata ad agendum eſt tantum potentia remota, & impedita ad non agendum; non ſufficit autem potentia remota, & impedita, quia sic voluntas hic, & nunc non habet in poteſtate ſua actum, & non actum.

Quinimò in eadem forma conficiam, actum voluntatis quacunque neceſſitate elicitum, ſemper remanere liberum, sic enim argumentor: poſita per Deum quacunque voluntatis neceſſitate, ſemper remanet voluntas in ſe, & eſſentialiter potentia libera, ergo poſita quacunque neceſſitate actus voluntatis erit liber. Conſequens eſt apertè falſum, ergo & iſtud ex quo ſequitur.

Reſpondent tertiò: Ad libertatem non ſimpliciter requiri immediatam indifferentiam voluntatis, ſed etiam indifferentiam Iudicij, ſiue cognitionem proponentem obiectum ſub aliqua ratione boni, & ſub eliqua ratione mali, quam vocat Aluarez Indifferentiam obiectiuam, qua ſtante aiunt impoſſibile eſſe neceſſitari voluntatem, & illius tantum defectu amorem beatificum eſſe neceſsarium.

At contra: Libertas in eo conſiſtit, quod poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis poſſit voluntas agere, & non agere: Atqui poſito illo iudicio indifferenti, & ſuppoſita prædeterminatione, non poteſt voluntas non agere; ergo ad libertatem non ſufficit tale iudicium: probatur conſequentia: Non poteſt ſufficere indifferentia iudicii quando eiiunde habetur cauſa neceſſitatis, qualis hic eſt vis ineluctabilis phyſicæ prædeterminationis: sic enim ſatis non foret, intellectui ineſſe iudicium indifferens, ſi illo ſtante Deus negaret voluntati concurſum ad amorem obiecti indifferenter cogniti, illo enim iudicio non obſtante omiſſio amoris eſſet abſolutè neceſſaria. Denique fatendum eſt gratiam non adimere intellectui iudicium indifferens, & tamen ſi voluntas non poſſit reijcere gratiam, iam neceſſitaretur ad conſenſum, vt definiuit

Tri-

Tridentinum contra Lutherum, qui docebat ex neceſſitate voluntatem gratiæ obſecundare. Sed neque Lutherus, neque Caluinus cognitionem obiecti indifferentem ſuſtulerunt, & tamen damnati ſunt, eo quod docerent voluntatem per gratiam neceſſitari.

Reſpondent quartò, maximè Recentiores prædeterminationem non eſſe ſuppoſitionem antecedentem, ſed eſſe ipſam actionem creaturæ prout eſt ſimul à Deo, iuxta tertiam expoſitionem ſupra in §. 1. ſiue eſſe applicationem omnium prærequiſitorum ad actionem creaturæ. Ergo, inquiunt, prædeterminatio ſpectabit ad actum ſecundum; ergo creatura ex parte actus primi erit potens agere, & non agere.

Contra: illo etiam poſito, determinatio ad illam actionem orietur à ſolo Deo: ergo non erit in poteſtate voluntatis creatæ illam non ponere, cum penes illam non maneat determinatio ad agendum, vel non agendum, ergo reſpectu voluntatis creatæ actus ſecundus non erit liber. Imò ex parte actus primi dabitur adhuc aliquid quo poſito neceſſariò ponitur actio, nempè prædefinitio, ſeu decretum efficax ponendi iſtam prædeterminationem, cum quo ſtare nequit, non actio; nam ad decretum neceſſariò ſequitur prædeterminatio, & ad prædeterminationem actio. Denique ſiue ſtatuas prædeterminationem eſſe talem actionem creaturæ, ſine talem applicationem, quæro, an illa ſit cauſa cur agat creatura? Id certè non negabis, niſi a communi recedas: at cauſa tenet ſe ex parte actus primi: Ergo fruſtra ad cauſam ſecundam, aut iſtam applicationem recurris.

Sed poſtremò dices: Voluntas poteſt ſeipſam determinare ad agendum ſaina libertate: ergo ſimiliter Deus poterit ſua præmotione illam determinare ill æſa libertate: habet enim Deus omnem poteſtatem in voluntatem creatam, quæ poteſt voluntati in ſeipſam competere. Idque corroborant ex verbis *S. Auguſtini* de Corrept. & gratia cap. 14. Deus magis habet in poteſtate voluntates hominum, quàm ipſi ſuas.

Reſpondeo neg. conſequentiam, Quia determinatio, quæ oritur ab intrinſeco, ſiue ab ipſa voluntate, ſita eſt in poteſtate arbitrij: determinatio autem, quæ oritur ab extrinſeco non eſt in eius poteſtate, adeoque antecedenter neceſſitat? Habet ergo Deus in voluntatem liberam, omnem poteſtatem poſſibilem, ſed non impoſſibilem, qualis eſſet, eam reddere liberam, & tamen ad vnum determinatam.

Habet quoque voluntates liberas hominum in ſua poteſtate æque ac ipſi, hoc ſenſu, quod Deo ſint in promptu media indifferentia, & innumera, per quæ mediante ſcientia media, poſſet quemuis actum liberum à voluntate creata impetrare. Et hæc optima eſt S. Auguſtini explicatio, quæ ſi tibi non ſat arrideat, vide ne tuum in te argumentum hoc modo retorqueam: Habet Deus omnem poteſtatem in voluntatem creatam, quam habet ipſe: atqui voluntas creata poteſt determinare ſeipſam etiam ad formale peccati: ergo, & Deus. Hoc autem penitus negant etiam ipſi prædeterminationis phyſicæ defenſores. Nunc itaque vlterius.

Dico tertiò, Data prædeterminatione phyſica ad actus peccaminoſos, non apparet quo modo Deus non eſſet auctor peccati.

Probatur: Qui ponit prædeterminationem ad peccatum magis videtur eſſe auctor peccati, quàm homo, aut dæmon ſuadens, & inſtigans ad actum peccaminoſum: inſtiganti enim poteſt voluntas reſiſtere, prædeterminanti non poteſt: ſed dæmon ſuadens, & inſtigans ad actum peccaminoſum hoc ipſo eſt auctor peccati: ergò multò magis Deus, ſi prædeterminet ad actum peccaminoſum, eſſet auctor peccati, vnde vlterius ſequetur iniuſtam ſore pœnam quam Deus peccantibus infligit.

Reſpondent, Deum non prædeterminare ad formale peccati ſeu ad malitiam, ſed tantum ad materiale peccati, ſine ad actus peccaminoſi phyſicam entitatem, non ad illius moralem deordinationem.

Sed contra primò, ſiue formale peccati conſiſtat in poſitiua entitate actus, ſiua in aliquo negatiuo, vtrumque eſt neceſſariò connexum cum actu intrinſecè peccaminoſo v gr in odio Dei: ergo non poteſt Deus prædeterminare ad materiale, quin etiam prædeterminet ad formale talis peccati.

Contra ſecundò, Suadens alteri odium Dei, aut mendacium non qua malum, ſed qua vtile, ſic vt vtilitatem tantum intendat, non malitiam, rectè adhuc cenſetur author iſtius odij, & mendacij; ergo multo magis illius author erit prædeterminans ad materiale peccati, vi cuius debet ſequi talis actus à quo malitia eſt inſeparabilis.

Contra tertio; Damnatur error Caluini in *Trid. Seſſ. 6. canon.* 10. quod doceret Deum impellere homines ad peccatum; & tamen non contendebat ille Deum impellere ad formale peccati, ſed potius ad materiale, vt ex illius aſſeclis tradit *Chamierus*, hoc autem materiale peccati non minus infert prædeter-

terminatio quam impulsus aut instigatio; ergo infert pariter formalem malitiam dum ea cum materiali peccato insolubili nexu sociatur.

Sed *quæres*, Quomodo etiam in nostra sententia non lædatur libertas, & Deus non sit author peccati, cum statuamus in Deo decretum concurrendi, imo, & concursum Dei actualem ad omnem actum etiam peccaminosum?

Respondeo, In nostra sententia hæc omnia rectè saluari. Quia statuimus in Deo decretum concurrendi efficax quidem, & absolutum, sed indeterminatum, tam quoad exercitium, quàm speciem actionis: sic vt vi illius decreti non potius velit Deus amorem, quàm non amorem, aut odium amori oppositum: ac si diceret, Volo omnipotentiam meam paratam assistere causis secundis, vt ab illis ad quamlibet actionem determinari possit. Concursus autem quo Deus in actu secundo agit cum creatura, non est prævius aut prædeterminans, sed tantum simultaneus, sic vt eadem actio procedat à creatura vt causa determinante, & simul à Deo vt causa determinata, siue permittente se à creatura determinari, & quasi trahi in consortium eiusdem actionis. Per hunc autem concurrendi modum satis patet neque lædi creaturæ libertatem, cum non aliunde, sed à seipsa ad agendum determinetur: neque Deum esse authorem peccati, cum creaturam ad actum peccaminosum non determinet, sed tantum permittat se trahi ad cooperandum creaturæ iuxta naturalem illius exigentiam.

*Quæres* secundò, Quo pacto discernatur sententia prædeterminantium, à doctrina Ianseni contraria libertati voluntatis creatæ.

Respondent facilè prædeterminantes, se ab ea doctrina plurimum discrepare. Primò, quia, damnata est illa doctrina Ianseni, quæ tradit, Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ non posse resisti, & ad merendum, & demerendum non requiri libertatem à necessitate, sed tantum à coactione; quamilli omninò abhorrent, & meritò damnatam admittunt.

Secundò, Dogma Ianseni negat in statu naturæ lapsæ dari gratiam sufficientem; Defensores vero prædeterminationis gratiam illam in terminis defendunt, & admittunt eam suo effectu posse carere.

Tertiò, docent hi requiri prædeterminationem physicam in omni statu naturæ, tam integræ, quam lapsæ, eò quod ipsa conditio naturæ creatæ illam absolutè deposcat, non ex eo quod in actibus illis aliquo modo amissa sit libertas indifferentiæ per peccatum Adami, vt aliqui perperam volunt. Denique absolutè negant voluntatem prædeterminatam necessitari, sed potius Deum prædeterminare conuenienter ad naturam causæ liberæ. Quamuis autem alij Theologi contrarium opinentur, doctrina tamen prædeterminantium ab Ecclesia nullo modo dicitur, aut vlla censura notatur, sed libere in Scholis defenditur, & disputatur.

*Quæres* tertio. Quid de prædeterminatione physica senserit Doctor Angelicus?

Contendunt operosè non pauci contra alios mentem D. Thomæ, & plurium Thomistarum ab hac prædeterminatione omnino alienam esse; & ex ea Schola varios, qui contra eam militant longo ordine conscribunt. Id seduló præstat Petrus à S. Iosepho, Ruiz, Henao, de Cerf, Iosephus de Vita, & postremò Borul, ac plures alij. Sed nobis hic consilium non est alias ex aliis quæstiones serere, sed potius rem ipsam paucis complecti, & eorum, quibus scribimus captui accommodare.

## CONTROVERSIA III.

*An prædestinatio absoluta ad gloriam facta fuerit ante præuisa hominum merita, & Reprobatio ante præuisa demerita?*

### §. I.

*Exponitur status Controuersiæ, & de ea variæ Scholarum sententiæ.*

Cæpit hæc Controuersia primo omnium agitari circa annum Christi quadringentesimum, dum S. Augustinus ageret contra Pelagianos: nam à Patribus, qui ante Pelagij tempora floruerunt nunquam ex professo, sed tantum ex incidenti, tactam fuisse, tradit ipse Augustinus lib. de dono perseuer. At demum circa annum Christi 1535. Ioannes Caluinus, eiusque asseclæ, de modo electionis ac reprobationis diuinæ nouos, grauissimosque errores inuexerunt, de quibus supra in polemicis actum pag 61.

Inter Doctores Catholicos, de quæstione in titulo proposita, magna est etiam hoc tempore sententiarum discrepantia. Prima est opinio Thomistarum, cum D. Thoma vt illi eum interpretantur, asserentium omnes, qui saluandi sunt, à Deo electos esse ad gloriam

ante

antè præuiſa eorum merita, ad conſtruendam ex illis Ieruſalem cœleſtem, ſicut Architectus pro ſuo arbitrio eligit certos lapides, poſtea aptandos, ad conſtructionem ædificij. Eandem eſſe mentem Scoti ſentiunt plerique Scotiſtæ qui eum ſequuntur, ego tamen ex illis noui Profeſſores probè aruditos aliter ſentientes. Ex auctoribus etiam Societatis ad hanc ſententiam accedit Bellarminus, Suarez, Henriquez, Ruiz, Toletus, Tannerus, & quidam alij.

Non conueniunt tamen omnes prædicti auctores cum Thomiſtis in modo explicandi hanc electionem. Nam Suarez vult quidem electionem ad gloriam factam eſſe ante præuiſum peccatum originale, ſed quoad eos qui electi non ſunt, in hoc ſigno tantum vult illos eſſe negatiuè reprobatos, id eſt, ſimpliciter non electos, nulla adhuc ex parte eorum data cauſa. At Aluarez cum pluribus Thomiſtis ſtatuunt Deum in hoc ſigno cæteros non electos poſitiuè excluſiſſe à gloria, necdum tamen deſtinaſſe ad ſupplicium ante præuiſionem peccati originalis. Verum è contra quoad originale Bellar. Ruiz, Toletus, Tannerus, nolunt diſcretionem ſaluandorum à non ſaluandis factam eſſe ante præuiſum peccatum originale, ſed in ipſum originale præuiſum referunt reproborum exclusionem à gloria æterna.

Sed bene notandum eſt, hoc diſcrimen vniuerſale inter Thomiſtas, & prædictos Auctores Societatis qui prædeſtinationem ponunt ante præuiſa merita, quod hi certo modo infra explicando vtantur ſcientia media ne videantur præiudicare libertati humanæ per decreta illa antecedentia, & abſoluta. Thomiſtæ verò vt Deum faciant infallibiliter exequi ſua decreta, ex prædeterminationibus phyſicis præſidium petunt.

Altera ſententia generalis priori oppoſita, eſt eorum qui docent electionem ad gloriam factam eſſe poſt præuiſa electorum merita ſi ſint adulti, vel merita Chriſti ijs applicata per Baptiſmum vel martyrium ſi ſint paruuli: & à fortiori ſtatuunt reprobationem omnem non ſaluandorum factam eſſe poſt præuiſa demerita propria, aut peccatum originale.

Hanc tenent ex antiquioribus Bonauentura, Albertus, Henricus, Argentinas. Et ex Recentioribus, Michael Medina, Faber, Pennotus, Tapperus, Stapleionus, & præcipuè ex Societate illam ex profeſſo tuentur Valentia, Vaſquez, Becanus, Amicus, Leſſius, DeiKennis, VeKennis, & plures alij.

Hunc etiam modum electionis admittit *Ianſenius*, *Iprenſis* in prædeſtinatione Angelorum, ſtatuens Angelos bonos non niſi poſt præuiſa merita electos, malos verò poſt præuiſa demerita reprobatos. Sed priorem modum electionis ante præuiſa merita docet habere loeum reſpectu hominum ſecretorum à maſſa damnationis poſt præuiſum peccatum originale.

Acceſſit etiam è Sectarijs ad hanc ſecundam ſententiam *Arminius* Profeſſor Leydanus, quique eum ſequuntur Arminiani quoad adultos: Sed quoad paruulos in eo grauiter errant cum Caluino, & Gommariſtis, quod infantes natos ex parentibus fidelibus velint infallibiliter ſaluari ſine reſpectu ad Baptiſmum; quia, inquiunt, illi ſunt filij Abrahæ, & in eius fœdere comprehenduntur, alios verò qui non ſunt filij parentum fidelium dicunt ob peccatum originale eſſe reprobatos.

Denique etiam ſententiam inter priores mediam cum paucis alijs excogitauit Arubal, & Granadus, qua prædeſtinationem ſtatuunt non ante, aut poſt, ſed ſimul cum meritis abſolutè præuiſis, ſic vt Deus vno ſimpliciſſimo actu, abſque vllo rationis ordine ſiue per æquiualentiam ad actus noſtros ſiue per ordinem obiectorum, ſimul decreuerit merita, & gloriam. Nam, inquiunt, volendo dare gratias quas per ſcientiam mediam nouit fore efficaces, vult etiam merita, & in meritis decernit gloriam. Sed cum Theologi paſſim, etiam huius ſententiæ auctores, aliquem ordinem decretorum ſecundum rationem ſubinde in diuinis actibus admittant, nulla eſt cauſa cur ordinem illum in diuina prædeſtinatione tollendum cenſeant. Si enim finis, ſiue gloria quæ decernitur, non ſit aliter concedenda niſi præuiſa conditione meritorum, prius omnino eſt cognoſcere merita ponenda, quam velle abſolutè dare gloriam per modum mercedis, vt in §. ſequenti latius exponemus.

Ex his patet, huic Controuerſiæ principali, plures quæſtiones grauiſſimas eſſe annexas, & nominatim illam celeberrimam de auxilio gratiæ efficacis. Nam Thomiſtæ vt ſaluent infallibilitatem decreti diuini de ſalute electorum ante præuiſa eorum merita, ſubordinant illi aliud decretum quo Deus prædefiniuit ſuis electis omnia, & ſingula opera meritoria (ſaltem quæ peccatum non ſupponunt) cum non velit eos ſine meritis ſaluare: Hæc autem merita vt infallibiliter obtineat Deus, decernit electis ad bene agendum auxilia efficacia, & phyſicè prædeterminantia

in tempore præſtanda. Sed quia huiuſmodi auxilia ex ſe prædeterminantia voluntatem humanam ad actus meritorios, viſa ſunt alijs minimè cum libertate conſiſtere, cæperunt Auctores Societatis efficaciam gratiæ cum libertate humana alia via conciliare, auxilio ſcientiæ mediæ. Et hinc originem ſumpſit grauiſſima illa controuerſia inter Thomiſtas, & auctores Societatis de efficacia gratiæ, quam ſupra oſtendimus Romæ coram ſummis Pontificibus ſæpius ventilatam pag. 109.

## §. II.

### *Oſtenditur Electionem ad gloriam factam fuiſſe poſt præuiſa Electorum merita.*

PRobatur primò, ex Scripturis Matth. 25. *Venite benedicti, poſſidete præparatum vobis regnum à conſtitutione mundi. Eſurini enim, &c. dediſtis mihi manducare, &c.* Vbi aſſignatur cauſa electionis ad gloriam, quod ab æterno præuiſa ſint opera bona, in tempore actu præſtanda.

Reſpondent alij, aſſignari hic in extremo iudicio cauſam actualis poſſeſſionis regni cœleſtis, non verò præparationis ſiue prædeſtinationis qua illa poſſeſſio ab æterno decernitur, de qua ainnt ex mente Chriſti nullam in loco citato mentionem fieri.

Contra primò, Patres ſententiam Chriſti de ipſa Præparatione intelligunt. Chryſoſtomus *Homil.* 80 eam ſic explicat: Nam antequam, inquit, natieſſetis, quia ſciebam huiuſmodi vos futuros, hæc à me fuere præparata. Vbi non poſſeſſionem tantum, ſed ipſam præparationem regni dicit decretam ob præuiſa merita, per quæ ſciebat dignos fore regno cœleſti.

Secundò ipſe textus hoc ſuadet, quia addit: *Ite maledicti in ignem æternum, qui præparatus eſt Diabolo*, Certum eſt autem præparationem æternæ ignis non ſolum ordine executionis, ſed etiam intentionis decretam propter præuiſa demerita; deberet autem eſſe ratio vrgentiſſima quæ cogat nos aſſerere in eodem loco Scripturæ verbum illud *Præparatum* diuerſimodè accipi; nec poſſe vtrobique in eodem ſenſu intelligi.

Secundus locus eſt ad Romanos 8. *Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis Filij ſui, quos autem prædeſtinauit hos, & vocauit.* Vbi Apoſtolus videtur aſſerere præſcientiam meritorum eſſe ſuo modo cauſam electionis, & electionem æternam cauſam vocationis, & donationis gratiæ in tempore. Quia ſenſus eſt ex mente D. Ambroſij *l. 5. de fide c. 3.* Apoſtolus, ait, quos præſcinit, & prædeſtinauit; non enim aote prædeſtinauit quam præſcinit, ſed quorum merita præſciuit, eorum præmia prædeſtinauit.

Obijciunt primò aduerſarij: Scriptura è contra ſuppooit inſtitui electionem ante merita, quia ipſa merita vult proficiſci ex illa gratuita voluotate dandi gloriam. Probant id primò. Ex verbis Chriſti Lucæ 12. *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Vbi decretum dandi regnum aſſignat vt cauſam antecedentem cur debeant eſſe ſecuri de meritis, & gloria ſecutura.

Reſpondeo, cum Chriſtus ibi ſit locutus ad omnes diſcipulos, imo ad allos omnes qui creditori erant, vt patet ex ſequentibus, veroſimile non eſt voluiſſe *reuelare omnibus* electionem abſolutam ad gloriam, cum ibi fuerit etiam Iudas, & alij fortè plures reprobi. Indicat ergo non decretum abſolutum, ſed voluntatem antecedentem, & quantum eſt ex parte ſua efficacem conferendi regnum cœleſte, ſi illud meriti fuerint: ac ſi diceret: Nolite eſſe ſolliciti de rebus temporalibus etiamſi omnia vendatis; quia ſi Pater Cœleſtis fuerit tam liberalis, vt voluerit omnibus, & præcipuè fidelibus donare regnum Cœlorum quantum eſt ex parte ſua, & media ſupernaturalia; multò magis ſubminiſtrabit hæc temporalia, & habebit curam vt qui relinquunt omnia propter regnum Cœlorum non deſtituantur rebus ad vitam neceſſarijs.

Obijciunt ſecundò pro ſua ſententia illud Chriſti Ioan. 15. *Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos*, &c. quod videtur ſonare electionem ſine præuiſione meritorum.

Reſpondeo, ibi non agi de electione ad gloriam, ſed ad Apoſtolatum prædicationis Euangelij, vt exponunt Patres apud Maldonatum. Vel ſecundum Auguſtinum, agitur de electione ad gratiam, & fidem, quæ ſine electorum meritis facta eſt. Fruſtrà autem cogantur Aduerſarij loca multa ex Euangelio coogerere; quia non agunt illa de abſoluta electione ad gloriam, ſed de conditionata; ſi nempe perſeuerent in bonis operibus; quia Chriſtus noluit Apoſtolis abſolutam electionem reuelare, quos iubet timere ne tanquam fur in nocte iudicium aduenlat.

Obijciunt tertiò, taoquam præcipuum ſuæ ſeotentiæ fulcimentum, locum Apoſtol. ad Rom. 9. *Cum nondum nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent aut mali (vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret) non ex operibus, ſed ex vocante dictum*

*dictum est, quia maior seruiet minori, sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi Apostolus, sicut, & in toto capite, ostendit negotium salutis non esse volentis, aut currentis, sed miserentis Dei, & quidem sine respectu ad merita, aut quæcunque opera quoad intentionem conferendi gloriam.

Respondeo, negando illam esse mentem Apostoli. Et sanè non pauci sic explicant illum locum, vt non velit Paulus agere de electione siue ad gratiam, siue ad gloriam, sed tantum ad bona quædam temporalia, vt ad opes, splendorem, & regnum obuenturum familiæ Iacobi præ posteris Esau siue Idumæis. Vel certè de electione ad peculiares fauores genti Iudæorum præ alijs Gentibus à Deo destinatos.

Attamen, cum Patres, & maximè S. Augustinus sæpius explicet illum locum de Spirituali dilectione gratiæ, dico etiam Apostolum hic agere de speciali electione, & vocatione ad fidem, & gratiam Christi sine respectu ad vlla merita præcedentia, aut etiam in futurum præuisa, & multò minus ad opera legis absque gratia Christi, de quibus tamen Iudæi sibi præ Gentibus gloriabantur. Hic enim erat scopus Apostoli, non posse Iudæos iure conqueri quod præ illis Gentiles eligerentur ad fidem, & gratiam Christi, etsi Iudæi non verò Gentiles opera legis, & cæremonias haberent. Quia nempe huiusmodi electio ad fidem, & gratiam Christi non procedit ex operibus, sed ex vocatione, proposito, & prædestinatione diuina qua vnum præ alio, ex gratuita tantum voluntate, ad fidem adducit: Ac demum coneludit hanc vocationem, & electionem ad primam fidei gratiam, non esse volentis neque currentis, sed miserentis Dei. De electione verò immediata, & absoluta ad gloriam hic non agit Apostolus. Quinimo probabile plures æstimant, Esau, qui dicitur hic odio haberi, aliosque plures ex semine Esau oriundos ad salutem, & gloriam peruenisse. Et hanc expositionem huius loci amplectitur S. Augustinus quæst. 2. ad Simplicianum.

Denique aduerte, plura Scripturæ, & Patrum loca, quæ adferuntur, pro electione ad gloriam independenter à præuisis electorum meritis, aliud plerumque non probare, quam prædestinationem omninò completè sumptam non esse ex meritis, cum illa hic accepta inuoluat etiam electionem ad primam gratiam; ante hanc autem gratiam certum est nulla merita posse præcedere, cum omne meritum gratiam aliquam supponat, & sic procederetur in infinitum, vel principium meriti caderet sub idem meritum, quod omnino repugnat: his ita resolutis.

Probatur secundò nostra assertio, Ratione validissima; pro qua assumo Fundamentum ex diametro contrarium illi quo nititur sententia opposita. Qui ordinatè procedit non prius intendit absolutè finem quam media, quando rectà ratio finem proponit per modum præmij, & mercedis ab alio obtinendæ: atqui Deus proposuit gloriam per modum mercedis; ergo non prius absolutè eam intendit quam alterius merita præuideat, sine quibus gloria non obtinetur. Probatur maior: Quia qui proponit finem per modum mercedis, debet moueri ab ipso merito tanquam medio ad dandum finem, cum meritum sit causa moralis dantem mouens, ad inferendum finem, siue gloriam, quæ per modum mercedis operi meritorio respondet. Ergo non potest ante præuisionem meriti absolutè intendere vt alter habeat finem siue gloriam, quia tunc non moueretur à merito, sed omninò gratis conferret. Vnde hæ duæ voluntates videntur pugnare: Volo antequam præuideam merita vt ille habeat gloriam, & volo vt habeat gloriam propter merita. Quia voluntas dandi ex iustitia siue ob merita, destruit voluntatem elargiendi gratis, siue exliberalitate.

Respondetur Suarez l. de auxilijs cap. 9. art. 22. æquiuocationem inuolui in voce *Gratis*, siue gratuita voluntate. Quia aliud est Deum eligere gratis aliquos ad gloriam, aliud eligere ad gloriam, gratis conferendam, dicit autem Deum habere in eligendo priorem, non posteriorem voluntatem: cum igitur docet Deum habuisse aliquam voluntatem gratis circa electorum gloriam, illud *Gratis*, vult se tenere ex parte actus Dei, non ex parte obiecti siue gloriæ gratis conferendæ. Vt quando aliquis vult vendere equum amico, illa voluntas non est dandi equum gratis, sed tamen est gratis concepta, quia amicitia conferri potest quod equum velit vendere.

At contra; Nos etiam concedimus in Deo esse gratuitam voluntatem proponendi gloriam per modum præmij obtinendam. Sed hæc est generalis, reprobis, electisque communis, nec tali voluntate ad prædestinationem electorum Suarez esset contentus, cum ex illa Deus nec numerum, nec gradus electorum scire possit. Vult ergo Deum absolutè decreuisse vt Petrus, & Paulus consequerentur gloriam propter merita: at tale decretum, si sit absolutum, non est immediata, & absolu-

ta intentio finis, nisi in ordine ad illud decretum præuideantur ipsa merita liberè futura. Sicut insistendo exemplo contra nos allato, nulla potest esse absoluta voluntas vendendi equum ante præuisionem pretij, sed tantum conditionata, volo quantum est ex parte mea equum pretio conferre: quod si is qui emit sit pauper, & non possit soluere nisi pecunia sibi liberaliter data à venditore, & sciat venditor accepta pecunia illum empturum, adhuc manet, non posse absolutè intendere venditionem equi, quæ pendet ab entis libera voluntate, nisi per hoc quod prius videat alterius voluntatem equum sibi pretio accepto comparandi.

Obijciunt non pauci, contrariam nobis esse S. Augustini authoritatem. Sed de ipsius mente in hac quæstione anceps est vtrimque dimicatio, nec decretoria sententia, vt eruditè ostendit *Bruno Neusser* in Prodromo Velitari part. 1. Certè electioni post præuisa merita videtur non obscurè fauere *lib.* 1 ad Simplicianum *quæst.* 2. Nemo eligitur, inquit, nisi iam distans ab illo qui reijcitur, vnde quod dictum est, quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video quomodo sit dictum, nisi præscientia.

Porrò si quis opponat hanc doctrinam, de prædestinatione post præuisa merita, aliquando in Academia Louaniensi inter alios articulos censuratam fuisse: Respondetur, Censuram illam pridem cassam, & irritam Sixto V. declaratam esse in mandato illius iussu edito per Octauium Episcopum Calatinum Nuntium Apostolicum, & Louanij promulgato, anno 1588. Cuius sincerum tenorem, vt gratiam præstem, hic ex parte subijcio.

*Statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, vt nemo, cuiuscunque ordinis, gradus, conditionis, vel dignitatis existat. de his Assertionibus controuersis in alterutram partem ita disputare, vel Doctorum authoritate vnius partis assertiones, confirmare, alterius refellere, aut impugnare, vel cuiusuis pietatis, aut necessitatis praetextu de his loqui, scribere, vel dictare in posterum attentet, vt ausu temerario eas haereticas, suspectas, & periculosas esse; donec authoritate Apostolica maturè definita fuerint, affirmare praesumat. Quod si quis contrafecerit sciat se excommunicationis latae sententiae paenam (à qua nisi in mortis articulo constitutus à nullo praeterquam à Romano Pontifice valeat absolui) incurrisse.*

Quinimo admittunt plurimi hoc tempore viri doctrina ac pietate illustres, hunc electionis modum magis esse consentaneum suauitati gubernationis diuinæ, quam, & ipsæ Scripturæ sæpius explicant ad modum Principis omnes ad cursum inuitantis, & victoribus præmia proponentis, quem sanè magis decet ante cursum certos victores non definire, sed expectare victoriam antequam designet victores; etiamsi forte pro summa sua potestate possit ille Princeps aliter procedere. Ac præ cæteris huic doctrinæ pondus adijcit non leue suffragium illustre viri sanctitate, & doctrina illustrissimi S. Francisci Salesij, qui in Epistola ad P. Lessium, cuius authographum seruamus, hanc sententiam vocat antiquitate, suauitate, & Scripturarum authoritate nobilissimam, quam, inquit semper vt Dei misericordiæ, ac gratiæ magis consentaneam, veriorem, & amabiliorem existimaui.

## §. III.

### *Reijcitur eadem Electio vt est coniuncta cum Reprobatione non electorum.*

DVplex statuitur, vt diximus, reprobatio, vna negatiua, siue non prædestinatio, altera quæ sit positiua exclusio à gloria æterna. Suarez reprobationem negatiuam, quam sustinet, statuit in actu positiuo, quo Deus voluerit aliquos non eligere ad gloriam, sic vt ipsa omissio fuerit obiectum diuinæ voluntatis, & hanc statuit ante præuisa demerita. Positiuam vocat, decretum excludendi à regno, & addicendi pœnis. Thomistæ multi ante peccatum præuisum ponunt positiuam exclusionem à regno cœlesti.

Contra hanc sententiam sic argumentor. Sicut electio absoluta ad gloriam est virtualis decretum procurandi media salutis; ita absoluta, & antecedens exclusio à gloria est virtualis intentio quærendi media per quæ aliquis à salute excludatur. Atqui illa media sunt peccata: Ergò Deus determinatus ad procuranda peccata illia quos reijcit, & seligendum gratias incongruas, ea intentione vt essent ineficaces, ne contingat ipsius decretum frustrari, si aliquis forte non electus irreperet in numerum electorum.

Suarez hæc incommoda euitare conatur, asserendo reprobationem suam negatiuam non esse contrariam voluntati antecedenti ex parte sua saluandi omnes, sed opponi voluntati absolutæ saluandi aliquos, quos vult tantum telinquere communi prouidentiæ gratiæ & non affici erga illos particulari illo affectu quo prosequitur electos.

Sed contra: Quomodocumque explicet suam negatiuam reprobationem, sequitur ex ea

ab-

abſoluta impoſſibilitas perueniendi ad ſalutem. Nam ipſe Suarez hic lib 4 cap. vltimo num. 8. dicit non eſſe in poteſtate hominis cum reprobatione negatiua actu ponere ſalutem æternam; atqui nec eſt in eius poteſtate vt non fuerit reprobatio, quia nulla datur eius cauſa ex parte hominis, vt fatetur ibidem c. 5. Ergo abſolutè non ſubeſt poteſtati talis hominis obtinere ſalutem. Neque hic locus eſt ſenſui compoſito, aut neceſſitati conſequenti: quia, vt dixi, antecedens illud vnde ſequitur impotentia ſalutis, ſcilicet reprobatio, nunquam fuit in poteſtate hominis, quando autem antecedens vnde ſequitur conſequens non eſt abſolutè in poteſtate, nec conſequens eſſe poteſt; quo argumento Suarez ipſe vrget Thomiſtas in phyſica prædeterminatione. Vnde vlterius tam parum intelligi videtur in hac, quam in priori ſententia, quomodo Deus ex parte ſua cupiat omnes ſaluos fieri. Neque ad leuandam difficultatem quidquam hic iuuat ſcientia conditionalium, ſed potius eam aggrauat. Quod enim Deus ſciat, ſi negem talem gratiam Petro labetur in peccatum, facit tantum vt Deus ex vi decreti non eligendi, fiat iam quaſi certior de numero non electorum, cum ſciat quas gratias negare debeat, ne illi quos non elegit ad ſalutem perueniant. Suarez enim cap. 7. circa finem, fatetur hanc cauſalem eſſe veram, Deus permittit huue peccare, & negat auxilium quod nouit congruum, quia non elegit eum ad gloriam. Ergo ſcientia conditionalium tantum ſeruit ad neganda auxilia congrua, ad quod determinatur Deus ex vi decreti quoſdam non eligendi.

Itaque ex hactenus dictis colligitur hæc concluſio. Electio ad gloriam, & reprobatio ab illa, neque fit ante merita vel demerita abſolutè præuiſa, nec ſimul, ſine reſpectu ad ordinem actuum diuinorum. Ergo neceſſe eſt; illam fieri poſt merita abſolutè præuiſa, modo hactenus explicato.

Alia de prædeſtinatione *Caluiniana* euidenter refutata videri poſſunt ſupra Tract. II. cap. II. de fide, operibus, gratia, prædeſtinatione pag. 59.

## CONTROVERSIA IV.

### *De Gratia diuina.*

INter Doctores Catholicos etiam hoc tempore variæ, grauiſſimæque controuerſiæ agitantur de Gratiæ diuinæ virtute, neceſſitate, ſufficientia, efficacia, &c. Horum dogmata inter ſe non parum diſſidentia neceſſe eſt à damnatis Hæreticorum erroribus accuratè diſcernere, & ſingularum opinionum Authores ac fundamenta cognoſcere ne contingat diuini Verbi Miniſtros, dum aut orthodoxos docent, aut hæterodoxos oppugnant, aliquid de his imperitè pronunciare.

Fuerunt hæ de gratia præſertim ſufficienti, & efficaci, controuerſiæ, inter celeberrimas quæſtiones coram Summis Pontificibus Romæ diſputatas circa annum 1606. in Articulo 7. & 8. quæ quindecim propoſitiones ſummæ Diſputantium contentione euentilatas continebant. Fuerunt, & de his inſtauratæ lites Baianæ, aliæque cum his concatenatæ. Nec deſunt de ijſdem hodie acerrima plurium Scholarum certamina, quæ in decurſu diſtinctius proferentur.

### §. I.

### *Quid ſit, & quotuplex Gratia actualis, & quales de ea errores Pelagij, &c.*

GRatia actualis rectè dicitur, donum naturæ indebitum, peculiariter conferens ad beatitudinem ſupernaturalem. Hæc eſt communis doctrina Theologorum, quamuis aliter nonnihil ſenſiſſe Baium infra patebit. Deſumitur illa notio gratiæ ex Apoſtolo ad Romanos c. 11. *Si gratia iam non ex operibus, alioqui gratia iam non eſt gratia.* Et confirmatur ratione: Quia ſicut ipſa beatitudo, ſiue clara Dei viſio, eſt donum naturæ indebitum, ita neceſſe eſt vt gratia, quæ ad eam obtinendam naturæ impotentiam ſubleuat, ſit ſingulare donum quod naturæ vires excedit.

Diuiditur hæc gratia in operantem, cooperantem, excitantem, adiuuantem, prout vario modo concurrit ad actum voluntatis creatæ. Item in gratiam ſufficientem, & efficacem, quæ infra exponentur.

Circa annum Chriſti quadringenteſimum emerſit *Pelagius*, qui profeſſione dicitur monachus, & natione Scotus. Is tempore S. Aug. acerrimus Gratiæ impugnator fuit: contra illum ſtrenuè dimicauit idem Auguſtinus, fuerunteq; eius errores damnati à Concilio Palæſtino, & ab alijs in Africa, & in Gallia à Concilio Araſicano, variſque Pontificibus.

Docuit Pelagius primò, nullum dari peccatum originale, & infantes eſſe in eo ſtatu quo fuit Adamus ante præuaricationem, quem voluit nihil nocuiſſe poſteris niſi ſolo peccandi exemplo.

Secundò, Infantes non baptizatos habituros vitam, & felicitatem peculiarem æternam, ſed in regnum cœlorum non admittendos.

Tertiò, Homines poſſe per ſolas vires naturæ legem Dei implere, & eognitis præceptis, ſine adiutorio gratiæ Saluatoris, ad eam perfectionem peruenire, vt non ſit neceſſarium dicere: *Dimitte nobis debita noſtra*.

Poſtquam hæc peſtifera hæreſis ab Eccleſia reprobata eſt, non ita potuit penitus aboleri, quin aliquæ ex ea reliquiæ ſubtiliori veneno plurimos inficerent, & hi dicti ſunt Semipelagiani.

Itaque Semipelagiani, admiſſo peccato originali, & imbecillitate naturæ, quæ integra fuerat in Adamo, docuerunt aliquam gratiam Chriſti ad ſalutem eſſe neceſſariam, ſed eam ſubeſſe voluntatis noſtræ arbitrio, eo quod per initium viribus naturæ credendi, quærendi, &c. eam poſſimus obtinere. Et probabilius eſt eos hanc gratiam intellexiſſe non tantum de illuminatione ſupernaturali intellectus, ſed etiam de corroboratione voluntatis. De his S. Auguſt. lib. de grat. & lib. arbitr. c. 14. ſic loquitur, vt aſſerat conuictos eſſe illos Inflatores liberi arbitrij, quod Gratia diuina non tantum ſit Dei ſcientia, & natura, ſed faciat vt lex impleatur, & iſtos ad hoc ſe conuertere, quod gratia ſecundùm merita noſtra detur.

Docuerunt ſecundò, Multis prædicari Euangelium merè ob conditionatè præcognitam bonam eorum voluntatem; quin, & infantes aliquos ideo obtinere Baptiſmum, alios verò Baptiſmo deſtitui, quia nempe præcognouit Deus, ſi viuerent rectè vſuros bona voluntate, atque ita habituros ex ſe initium credendi, alios verò non rectè vſuros, ideoque cœlo excluſos. Patent hæc ex Epiſt. Proſperi ad S. Auguſtinum, vbi ita concludit. Nouo abſurditatis genere, & non agenda præſcita ſunt, & præſcita non acta. Quod nempe infantes dicerentur præſciri meritoriè acturi ex viribus naturæ; cum tamen ſine gratia nemo poſſit meritoriè operari, nec infantes illi, vnquam fuerint actu operaturi.

Docuerunt tertiò, Perſeuerantiam in bonis operibus, & iuſtitia, ac tandem electionem ad gloriam maximè fundari in viribus naturæ: credebant enim perſeuerantiam non eſſe peculiare donum gratiæ, ſed homines per vires naturæ perſiſtendo in fide, & deſiderio ſalutis, poſſe illam promereri, ac ipſam prædeſtinationem ad gloriam quam nolebant à peculiari Dei beneplacito dependere, ne alias foret acceptor perſonarum. Ita habet Epiſtol. Hilarij ad Auguſtinum, & ipſe Auguſtin. *lib. de hæreſibus ad Quodvult. cap. 7.* Neque refert quod Semipelagiani, ad perſeuerandum in adimplendis præceptis, Dei gratiam requirerent, quia eam volebant dependere à naturali permanentia in fide, & deſiderio ſalutis tanquam merito. Et hoc tantum ſenſu ſæpè damnatum eſt gratiam ancillari voluntati, eam ſubſequi, non autem præuenire, &c. Quæ omnia ſolerter annotanda, vt natura gratiæ, & doctrina Catholica ritè percipiatur.

Vbi ad extremum aduerte, modernos Sectarios hos quidem errores auerſari, ſed inſipientium more in alterò extremo, ſoli gratiæ omnia attribuendo, in grauiſſimas hæreſes prolabi: dum docent cum Caluino, Quidquid fit ſine grat. a multis modis contaminari, gratiam non conſiſtere cum libertate à neceſſitate, ſed tantum cum libertate à coactione: neminem à ſalute excidere poſſe poſt acceptam gratiam conuerſionis, & & alia errorum monſtra, quæ in Controuerſijs de gratia, & prædeſtinatione ſupra notauimus, *tract. 2. cap. 2.*

## §. II.

### *An poſſibile ſit hominem condi in ſtatu puræ naturæ abſque dono ſupernaturali gratiæ?*

STatus puræ naturæ eſt, in quo homo tantum ſortiatur perfectiones naturæ debitas, & ordinetur ad beatitudinem naturalem diſtinctam à clara Dei viſione. Hunc ſtatum prorſus impoſſibilem eſſe, poſt Baium, ita defendit Lenſenius Iprenſis lib. 1. & 2. de ſtatu puræ nat. vt poſſibilitatis iſtius aſſertores proclamet reos eſſe Pelagianiſmi, doctrinæ Auguſtinianæ corruptores, & diuinæ iuſtitiæ ac prouidentiæ euerſores. Vnde vlterius docet, ſine iuſtitia, & bona voluntate creaturam rationalem à Deo condi non poſſe, neque creaturæ innocenti ſine iuſtitia beatitudinem ſupernaturalem negari, neque poſſe morte ac miſeriis obnoxiam relinqui. Ex quibus aperte ſequitur gratiam diuinam hic non eſſe donum naturæ iudebitum.

At contrà, omninò dicendum eſt, poſſibilem eſſe ſtatum puræ naturæ. Eſtque hæc communis Theologorum doctrina cum D. Thoma 1. parr. quæſt. 59. artic. 1. & alibi frequenter. Conſentit Scotus in 2. diſtinct. 28. quæſt. vnica, Nominales, alique Doctores, ac Patres, qui ex illo ad Romanos 5. *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis*, du-

ducunt gratiam actualem, & veram iuſtitiam eſſe ſingulare donum nobis indebitum; ergo natura non poteſt illam gratiam, quæ ad iuſtitiam, & charitatem ordinatur, ita ſibi vindicare, vt non poſſit ſine illa creari. Idque confirmatur ex S. Auguſtino tum alibi, tum lib. 3. contra Maximum cap. 15. *Homo ad Dei ſimilitudinem factus, non eſt verus filius, & ideo fit gratia filius quia non eſt natura.*

Probatur 2. ex Decreto trium Pontificum contra Michaelis Baij propoſitionem 29. *Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio.* Et prop. 55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem qualis nunc naſcitur.* Ergo ex ſenſu Eccleſiæ doctrinæ Baianæ oppoſito, potuit homo ab initio creari qualis nunc naſcitur abſq; ſanctitate, & dono integritatis, qui eſſet ſtatus puræ naturæ. Et verò ratio ipſa docet, dona quibus conſtituitur ſtatus innocentiæ, neque eſſe proprietates naturæ humanæ per ſe ſpectatæ, neque ea ex meritis illi deberi, cum hominis creatio nullum meritum præſupponat, ac proinde nihil obeſſe quo minus poſſit in ſtatu puræ naturæ donis illis orbata creari, obnoxia concupiſcentiæ, & morti, & miſeriis ſtatum hominis naturalem conſequentibus; munienda tamen fuiſſet tunc natura humana præſidiis ordinis naturalis, quibus poſſit peccata euitare.

Obijcies primò S. Auguſtinus *lib.* 3. de peccat. meritis *cap. vlt.* & paſſim in Opere imperfecto, & alibi, agens contra Pelagianos vrget fruſtra baptizari infantes, quia innocentiæ naturali annexa eſt ſanctitas, & gratia. Hoc verò argumentum nullius foret roboris ſi poſſibilis eſſet ſtatus puræ naturæ.

Reſpondeo primò, hoc argumento nimium probari: inde enim ſequeretur quod Auguſtinus plus attribuerit naturæ ſecundum ſe, quam ipſe Pelagius: quia hic negabat naturæ paruulorum etiam innocenti debitam eſſe adoptionem in filios Dei, ad veram ſanctitatem, & gloriam, ideoque in ordine ad hæc dona obtinenda aſſerebat Baptiſmum eſſe neceſſarium: quod ſi S. Auguſtinus vellet dona illa ſic debita eſſe naturæ vt non poſſit ſine illis creari, in efferenda natura longè Pelagium antecederet, quod nemo admiſerit.

Reſpondeo igitur ſecundò, dum aſſerit S. Auguſtinus, ſi abeſſet originale, innocentiæ naturali annexam fore ſanctitatem, & gratiam, illum procedere ex ſuppoſitione prouidentiæ ſupernaturalis iam à Deo conſtitutæ, & promiſſæ de iuſtitia infundenda vbi non eſſet obex peccati. Cum enim eo nunc ſuppoſito non detur ſtatus medius inter ſtatum iuſtitiæ, & peccati, rectè arguit contra Pelagianos, ſi dicant infantes eſſe ſine peccato originali, illos eſſe in ſtatu iuſtitiæ, adeoque fruſtra baptizari ad iuſtitiam obtinendam, aut peccatum expiandum. Hoc itaque dictum S. Auguſtini iuxta præſentem rerum ſtatum, nihil facit contra ſtatum puræ naturæ poſſibilem.

Obijcies ſecundò: S. Auguſtinus lib. de Spiritu, & littera cap. 27. contendit hominem naturaliter eſſe Dei imaginem, & ſtatum gratiæ, illi eſſe naturalem, &c. Hoc, inquit, agit Spiritus gratiæ vt imaginem Dei, in qua naturaliter facti ſumus, in nobis reſtauret: Et *lib.* 3. de libero arbitr. *cap.* 18. ait, errare, torqueri, &c. non eſt natura inſtituti hominis, ſed pœna damnati. Ergo ſtatus innocentiæ fuit Adamo naturaliter debitus, adeoque ſtatus puræ naturæ impoſſibilis.

Reſpondeo neg. conſequentiam. Sed ideò tantum tradit nos in imagine Dei naturaliter conditos, quia ipſa natura ſecundum ſe conſiderata, eſt quædam Dei imago, & multò magis prout fuit in Adamo cum ſanctitate de facto creata. Hoc igitur modo rectè dicitur, quod errare, aut torqueri, non ſit ſecundum naturam inſtituti hominis prout ſcilicet cum ſingularibus Dei donis de facto condita fuit. Hinc, *naturaliter*, non ſumitur ibi prout opponitur ſtatui ſupernaturali, ſed illi qui eſt contra naturam, & morales defectus qui eam comitantur: Et hac ratione ſoluuntur dicta quædam aliorum Patrum, dum aſſerunt dignitatem illam Adamo fuiſſe naturalem: tantum enim volunt eam fuiſſe Adamo concreatam, ſicut dicimus illum naturalem eſſe hæredem coronæ, cui contingit naſci cum iure ad regni coronam, quamuis abſolutè ſine iſto iure naſci potuerit.

## CONTROVERSIA V.

### *An, & qualis detur Gratia ſufficiens?*

### §. I.

### *Exponitur ſtatus Controuerſiæ.*

GRatia ſufficiens ſumi poteſt prout opponitur inſufficienti; quæ ad certum effectum v.g. ad amorem Dei nec prox mè, nec remotè ſufficit. Gratia verò ſufficiens huic oppoſita talis eſt, vt poſſit vel proximè, vel remotè certum actum v. g. Dei amorem efficere, proximè quidem, ſi præter eam alia gratia non requi-

requiratur, remotè verò ſi non ſufficiat per ſe ad amorem eliciendum, poſſit tamen ſufficere ad actum fidei, vel alium, per quem obtinebitur gratia vlterior ad Dei amorem requiſita.

Sed communius gratia ſufficiens accipitur pro ea, quæ opponitur gratiæ efficaci, eſtque talis vt poſſit voluntas cum ea exercere actum ad quem conceditur, de facto tamen eum non exercet, & hæc dicitur gratia merè ſufficiens; nam gratia efficax non tantum eſt ſufficiens, ſed etiam ſemper cum actu connexa.

De gratia ergo merè ſufficienti hic quærimus, An iam in ſtatu naturæ lapſæ talis detur, quæ effectum ſuum non fortitur? Negat primò Caluinus *lib. 2. inſtit. cap. 3.* aſſerens omnem gratiam internam eſſe ſeriam, & efficacem, dari tamen vocationem externam aliquando inefficacem, cui dum voluntas non obtemperat peccatum admittit, tametſi ad obtemperandum gratia interna deſtituatur.

Secundò, docet Ianſenius *lib. 3.* de gratia Chriſti *cap. 1.* Etſi data fuerit Adamo, & Angelis, nullam tamen iam in ſtatu naturæ lapſæ concedi gratiam ſufficientem quin ſimul ſit efficax v. g. nunquam dari gratiam, proximè ſufficientem ad amandum Deum, quin amor ille à voluntate eliciatur. Hinc iſtam gratiam voeat perniciоſam, inutilem lapſorum reparationi, & monſtrum quoddam ſingulare gratiæ, nouumque genus Auguſtino, Patribus, & D. Thomæ incognitum, & à Pelagianis excogitatum. Aſſerit quoque ſ cum ſentire in hoc Aluarez, Zumel, & alios Thomiſtas. Certum verò eſt illos in terminis docere dari de facto gratiam merè ſufficientem, & omninò conari vt eam componant cum phyſica prædeterminatione, quam aiunt ad omnes actus requiri.

## § II.

### *Admittenda eſt Gratia merè ſufficiens.*

PRobatur primò ex Scripturis, Matthæi 11. *Si in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes quæ in vobis, pridem in Cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Vbi Chriſtus exprobrat Iudæis quod non fuerint conuerſi ad pœnitentiam cum illa gratia, cum qua Tyrij, & Sidonij, ſi eam habuiſſent, pœnitentiam egiſſent. Atqui illa gratia fuit ſufficiens ad pœnitendum, cum illa enim Tirij, & Sidonij actum pœnitentiæ elicuiſſent ſi ijs conceſſa fuiſſet. Ergo illa talis eſt vt potuerit in Iudæis effectum habere, quem tamen fortita non fuit; alias, contra eos iniqua fuiſſet Chriſti exprobratio ſi cum ea gratia actum pœnitentiæ elicere non potuiſſent.

Sed, inquies, S. Auguſtinus lib. 2. de bono perſeuer. cap. 14 de Tyrijs, & Sidonijs pronunciat: Quoniam vt crederent non erat eis datum, etiam vnde crederent eſt negatum. Reſpondeo S. Auguſtinum tantum negare Tyrijs datam eſſe gratiam quam Deus præuidit fore efficacem; ſiue qua erant actu crediturі; non negat autem datam eſſe aliquam ſufficientem: neque ait credituros non fuiſſe ſi habuiſſent gratiam Iudæis conceſſam, cum Chriſtus credituros diſertè affirmet.

Eodem ſpectat illud Proverb. cap. 1. *voſcam, & renuiſtis.* Et ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & benignitatis contemnitis?* Atque alia non minus manifeſta Scripturarum oracula, quæ toties inculcant, peccantibus dari gratiam cum qua poterant rectè operari, niſi illam propriæ voluntatis arbitrio cuſſam, & infructuoſam reddidiſſent.

His conformia ſunt Concilіorum decreta, ac nouiſſimè Tridentini *Seſſ. 6. cap. 11.* vbi dum docet, iuſtos poſſe per Chriſtum pie viuere, & proficere, ſubdit rationem, *Deus enim ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab ijs prius deſeratur*: Et cap. 13. docet iuſtificatos in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare debere. *Dum enim*, inquit, *niſi ipſe illum gratia deſuerint, ſicut capit opus bonum ita perficiet.* In quibus Concilium apertè ſupponit iuſtis præberi gratiam ſufficientem, & defectum bonæ operationis in noſtra tantum voluntate reſidere.

Subſcribit diſertè S. Auguſtinus tum ſæpè alibi, tum l. 80 trium quæſtionum q. 68. *Nec illi*, inquit, *qui neluerunt venire debent alteri tribuere, ſed tantum ſibi, quoniam vt venirent vocati, erat in eorum libera poteſtate.* Idem exprimit libro 1. ad Simplicianum q. 2. Idem fuſius vrget *tract. 53.* in Ioannem, vbi docet, Deum impertiri poteſtatem, vt poſſimus filij Dei fieri per gratiam, hominem verò per liberum arbitrium gratiæ obluctari.

Poſtremò, veritas huius doctrinæ inuictè probatur, ex eo quod inter quinque propoſitiones Ianſenij, hæc vt hæretica damnatur: *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Hæc enim propoſitio in ſenſu authoris aſſerit, gratiam ſemper habere omnem effectum quem hic, & nunc obtinere poteſt, & ad quem à Deo conceditur, licet non eauſet effectum ad quem actu non datur, aut quem in alijs circumſtantijs obtinuiſſet. Itaq; ex damnatione prædictæ propoſitionis in ſenſu authoris, ſatis liquet definitum eſſe, interiori gratiæ aliquando reſiſti, ſiue eam non habere effe-

effectum quem hic & nunc obtinere poteſt, & ad quem conceditur; atque adeò dari gratiam merè ſufficientem: non enim rectè dicitur reſiſti gratiæ, niſi fruſtrando illam effectu ad quem hic & nunc à Deo ordinatur.

Obijciunt Aduerſarij contra gratiam merè ſufficientem, Primò, hæc gratia ſufficiens, eſt illa gratia *Poſſibilitatis* à Pelagianis olim aſſerta, & ab Auguſtino ſemper reprobata. Secundò, Gratia ſufficiens à natura requiritur ad non peccandum: Ergo eſt naturæ debita: ſi eſt debita, ergo non eſt gratia. Tertiò talis gratia ſufficiens nunquam ſortitur effectum; Ergo eſt aliquod inutile & monſtruoſum genus gratiæ, qualis eſſet medicina quæ nulli vnquam prodeſſet. Vt hæc, & his affinia breuiter diſſoluantur.

Reſpondeo ad primum, Duplicem dari poſſibilitatem benè operandi, aliam fundatam in ſolis viribus naturæ, quam in Pelagianis Auguſtinus conſtanter oppugnabat lib. de natura & gratia, *cap.* 11. *& alibi*. Alia eſt poſſibilitas quæ tantum habetur in natura per gratiam adiuta, & hæc ipſa gratiam ſufficientem qua natura ſit potens vt rectè operetur, etiam pro eo tempore quo negligit gratiæ cooperari: & hanc diſertè tuetur Auguſtinus eodem lib. de nat. & grat. cap. 43.

Ad ſecundum, Negatur vltima conſequentia: Sic homini iuſto debetur gloria, hæc tamen vera eſt gratia. Quia igitur gratia ſufficiens debetur naturæ, non prout eſt in ſe, ſed tantum naturæ ſupernaturaliter eleuatæ, hinc vera eſt gratia & naturæ ſecundum ſe ſpectatæ omninò indebita.

Ad tertium, Neganda eſt etiam conſequentia: Fatentur enim aduerſarij gratiam purè ſufficientem in Angelis non fuiſſe monſtroſam, etſi eorum vitio non fuerit ſortita effectum: idem ergo de noſtra admittendum eſt; quia quantum eſt ex parte, & virtute gratiæ, poteſt ſequi effectus, & de facto alia gratia huic omninò ſimilis actum bonum aliquando operatur. Monſtroſa igitur tantum eſſet illa medicina, aut gratia, vi cuius nullus abſoluitè curari, aut iuuari poſſit. Plura de huius gratiæ natura, & neceſſitate & diſtinctione à gratia efficaci, ex dicendis magis eluceſcent.

(***)

## §. III.

*An detur Gratia ſufficiens omnibus, etiam obduratis, excæcatis, & facientibus quod in ſe eſt viribus naturæ.*

DE his quæſtionibus variæ ſunt Doctorum etiam Catholicorum ſententiæ. Negat Ariminenſis, contra communiorem, dari gratiam ſufficientem Infidelibus quibus Chriſtus non innotuit, quales erant Philoſophi gentiles, Plato, Ariſtoteles, &c. Quoad obduratos, Bellarminus, Suarez, Ripalda, Herice, &c. aſſerunt hanc gratiam etiam concedi obduratis, & excæcatis. Infantibus ſine Baptiſmo morientibus non tribui ſufficientia remedia ad ſalutem docet Ariminenſis, Scotus, Vaſquez, & quidam alij: Affirmat Suarez, Leſſius, Herice, & alij plures. Pro harum quæſtionum reſolutione

Dico primò, Datur omnibus auxilium aliquod ſufficiens ſaltem ad non peccandum, dum actum peccaminoſum formaliter exercent. Hæc theſis eſt certa, contra Caluinum, ac Lutherum: nec non aduerſus Ianſenium *lib.* 3. de gratia Chriſti *cap.* 13. qui id negant de Infidelibus, obcæcatis, pluribus Iudæis, & aliquibus iuſtis.

Probatur, Quia ſi homo, dum formaliter peccat, careret omni auxilio ſufficienti tam ordinis naturalis, quam ſupernaturalis ad non peccandum, Deus præciperet illi rem impoſſibilem, nempe ſeruare præcepta quæ nequeunt ſine auxilio ſufficienti impleri. Atqui hoc repugnat Tridentino ſeſſ. 6. c. 11. *Deus impoſſibilia non iubet, ſed iubendo monet, & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adiuuat vt poſſis.* Hinc damnata eſt Baij Prop. 64. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod neceſſariò facit.* De hac doctrina, quam ipſum rationis dictamen auerſari videtur, plura diximus ſupra Part. I. Tract. II. contra propoſitionem primam ex 5. damnatis.

Dico ſecundò. Nulli adulto, etiam obdurato, aut excæcato, ſtatuit Deus denegare gratiam ſufficientem ad conuerſionem, & ſalutem; ſed paratus eſt eam omnibus dare, ſi vel ipſi, vel alij ponerent eas circumſtantias in quibus ſolet Deus gratiam præbere, quales ſunt prædicatio Euangelij, exempla maiorum, &c. Ita cum D. Thoma docet Alenſis, Scotus, Vega, alijque: Contra Medinam, Roſſenſem, & quoſdam alios, qui volunt Deum ſtatuiſſe quibuſdam, ob enormia peccata, con-

conuerſionis gratiam negare; ſicut poterat illis in eo ſtatu ſine ſpe veniæ vitam auferre.

Probatur noſtra aſſertio. Quia Deus in Scripturis paſſim, & ſine exceptione innitat omnes peccatores ad pœnitentiam; vt Ezechielis 18. *Nolo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat*. Et 2. Pet. c. 3 *Nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam conuerti*. Et de ipſis etiam in ſcelere obdnratis id indicat Apoſtolus ad Rom. 2. aſſerens, *Diuitias bonitatis Dei contemnis ijs, qui ſecundum duritiem, & impœnitens cor theſaurizant ſibi iram in die iræ*. Non eſſet ſatis ſincera iſta omnium inuitatio, ſi Deus poſitiuè decreuiſſet quibuſdam gratiam ad pœnitendum ſufficientem denegare. Hinc Concil. Senonenſe in decreto fidei capit. 15. *Deus*, inquit, *ſemper in promptu eſt, & nec momentum præteris in quo non eſt ad oſtium, & pulſet*.

Nec refert quod Deus quouis inſtanti poſſit inſtè peccatorem, ſine ſpe pœnitentiæ, ad barathrum deturbare. Quia quamdiu vult illum relinquere viatorem, & præceptis ſubijcere, ſtatuit etiam illi dare auxilia ſufficientia, vt poſſit reconciliari; alias ad hoc tantum viueret vt ſine ſpe ſalutis poſſit ſibi peccata, & pœnas accumulare, in quo eſſet ipſis damnatis infelicior.

Obijcies primò, Varia Scripturæ loca, in quibus dicuntur quidam eſſe à Deo excæcati, & obdurati, & dari in reprobum ſenſum, nec poſſe eradere, aut ſanari. Quo modo ſæpè etiam loquitur Auguſtinus, ideoque aſſerit Pharaoni obdurato peccatum non imputari.

Reſpondeo, hæc intelligenda de excæcatione & obdnratione tantum permiſſiua, & impoſſibilitate morali conuerſionis, Deus enim permittit aliquando magnos peccatores obdurari, & perire, non negando illis adiutorium ſufficiens, ſed ſubtrahendo ſpeciale auxilium cum quo præuidet ad pœnitentiam monendos ſi illo inſtructi fuiſſent: item permittendo aliquas peccandi occaſiones, ac tentationes ijs obuenire, cum quibus difficillima redditur eorum conuerſio ſine maiori gratia, qua ſe indignos reddiderunt. Et de hac maiori, & efficaci gratia, non verò de ſufficienti, intelligendus eſt S. Auguſtinus, alijque, dum aliquando aſſerunt induratos gratia deſtitui.

Obijcies ſecundò, Status obdurationis in peccato opponitur ſtatui confirmationis in gratia. Atqui ſic confirmati nequeunt peccare. Ergo conſentaneum eſt vt obdurati defectui gratiæ nequeant conuerti.

Reſpondeo, diſſimulato antecedente, negando, conſequentiam: facilius enim Deus concedit fauorem compatibilem cum libera tendentia ad gloriam, quàm infligat pœnam cum illa tendentia non conſiſtentem. Satis itaque ſtatui confirmationis opponitur ſtatus obdurationis, per moralem impotentiam conuerſionis, qua obdurati à ſpe gloriæ multum remouentur, etſi non penitus excludantur.

Obijcies tertiò, Peccatores multi, in pœnam peccati admiſſi a Deo ſubita morte puniuntur; imo aliquando in flagranti delicto dum peccant è vita abripiuntur. Atqui non apparet, quomodo tunc paratus ſit Deus his largiri ſufficientem gratiam qua poſſint conuerti: Ergo ea aliquibus negatur.

Reſpondeo negando minorem. Nam cum iſtiuſmodi obitu repentino bene conſiſtit, quod Deus ex parte ſua fuerit paratus ſuppeditare gratiam, ſi pœnitendi occaſio occurriſſet, v. g. aliquis peccatorem ante mortem admoniſſet, aut ipſe de periculo mortis cogitaſſet priuſquam ipſo peccandi exercitio ſe conſtituit in illo ſtatu, cum quo vſus gratiæ non conſiſtit. Non enim dicimus quemlibet omni momento, dum dormit, aut nulla incidit ſalutaris cogitatio, gratiam proximè ſufficientem in promptu habere, ſed dum adeſt præſens occaſio ſe determinandi ad bene aut male agendum.

Extendi poteſt hæc doctrina ad infantes ſine Baptiſmo extinctos, quibus Deus quantum eſt ex parte ſua, proſpectum cupit de Baptiſmo tanquam remedio ad ſalutem ſufficienti. Aſſerit enim Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 2. Deum velle omnes homines ſaluos fieri, & merita Chriſti ex parte ſua, & in actu primo tam latè ſe extendere ad omnes ſaluandos, quam peccatum Adami ad omnes perdendos. Et quamuis non rarò eueniat aliquos infantes interire abſque Baptiſmo, id per accidens contingit, ex eo quod eorum parentes ad ea loca ſe contulerint, aut cauſas naturales aliqui liberè poſuerint, ex quibus infantes in lucem edi, aut certè Baptiſmus illis applicari non potuerit; quorum libertatem ob alias cauſas contra curſum communem naturæ Deus impedire noluit. Quod non officit ſinceræ voluntati qua Deus ex parte ſua media infantibus ad ſalutem neceſſaria præparauit, quæ hominibus ordinario modo applicanda commiſit; ſicuti ſincerè cupit pauperi ſubuenire, qui eleemoſynam famulo diſtribuendam tradit, licet hic pro ſua libertate aliquibus eam elargiri prætermittat.

Dico tertiò: Probabile eſt, homini ſcienti quod in ſe eſt viribus naturæ, Deum non denegare gratiam primam, quæ poſſit credere,

& ſa-

& ſalutem operari : modò per hoc non intelligas, operibus ex viribus ſolius naturæ factis per modum poſitinæ diſpoſitionis, aut meriti, gratiam primam infallibiliter annexam eſſe, ſed ex ſolo beneplacito Dei, decernentis omnibus obicem non ponentibus ſuam gratiam præbere. Eſt communior ſententia Theologorum apud Suarez, 1. *part. d.* 2. de Prædeſtin. *cap.* 18. quam etiam docuerunt nonnulli Thomiſtæ, quamuis eam cenſuret Aluarez de auxilijs diſp. 56. nu. 21. & alios habeat aduerſarios.

Ratio præcipua eſt, quod id videatur congruum diuinæ benignitati, quæ omnibus vniuerſim præparauit gratiam ſufficientem, vt eam infallibiliter conferat ſinguiis non ponentibus obicem. Cum enim Deus ſæpe non deneget auxilia ſua Gentilibus, qui per continuata peccata ſe præbent poſitiuè indignos iſto beneficio, congruum eſt, vt eam gratiam ijs conferat qui obſeruando legem naturæ remouent illud gratiæ impedimentum, & ſaltem ſe reddunt phyſicè capaces, vt commune illud Dei beneficium ad ſe extendatur : atque ita non deſit ex parte Dei illuſtratio & auxilium ſupernaturale, quo ſaltem poſſint ad ſalutarem Dei notitiam, & inde ad ſalutem peruenire.

Dices, Huic doctrinæ repugnat Concilium Arauſicanum damnans Semipelagianos, quod aſſererent initium fidei eſſe ex nobis, ſiue ex bonis operibus viribus naturæ factis, quibus ad gratiam fidei percipiendam diſponimur.

Reſpondeo, hanc doctrinam toto cœlo à Semipelagianis diſtare. Docebant illi primò, nos per merita naturalia abſolutè promereri primam gratiam ad credendum, hæc verò ſententia id omnino pernegat, & gratiam, naturæ legem ſeruantibus conferendam, non refundit in merita iſtorum operum, ſed in meram Dei benignitatem. Secundò, aſſerebant Semipelagiani, ſolis habentibus merita naturalia lege ordinaria à Deo gratiam & quidem efficacem conferri, quod hæc opinio penitus abhorret. Vnde perperam docebant illi, propter huiuſmodi merita etiam conditionata infantes baptizari, & alios ob eorum defectum Baptiſmi beneficio priuari. Hæc igitur doctrina nullo iſtorum errore inficitur ; nec aliud apparet quo minus poſſit inter opiniones in Scholis probabiles meritò reputari.

Ex quibus porrò facile eſt perſpicere hanc opinionem non tantùm ab errore, ſed etiam à doctrina Semipelagianorum longiſſimè recedere. Et ſanè quod ſupra in aſſertione probabile diximus, Deum ſic facienti quod in ſe eſt, non denegare primam gratiam ad credendum ipſe Doctor Angelicus non probabile, ſed certiſſimum dicere videtur, *De verit. qu.* 14. *de fide, artic.* 11. *ad* 1. *his verbis* : Dicendum, inquit, quod non ſequitur inconueniens, poſito quod quilibet teneatur aliquid explicitè credere, ſi in ſyluis, vel inter bruta animalia nutriatur. Hoc enim ad diuinam prouidentiam pertinet, vt cuilibet prouideat de neceſſarijs ad ſalutem, dummodò ex parte eius non impediatur : Si enim aliquis taliter nutritus ductum naturalis rationis ſequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certiſſimè eſt tenendum, quod ei Deus vel per internam inſpirationem reuelaret ea, quæ ſunt ad credendum neceſſaria, vel aliquem fidei prædicatorem ad ipſum dirigeret. Rurſus, *in* 2. *Sentent. diſtinct* 28. *quæſt* 1. *artic.* 4. *ad* 4. Dicendum, quod etiam ad fidem habendam aliquis ſe præparare poteſt per id quod in naturali ratione eſt. Vnde dicitur quod ſi aliquis in Barbaris natus nationibus, quod in ſe eſt faciat, Deus ſibi reuelabit illud quod neceſſarium eſt ad ſalutem, vel inſpirando, vel Doctorem mittendo : hactenus S. Doctor. De cetero, ſatis conſtat, quod ipſa conuerſio ad Deum qua talis credere actu incipit, non ſit iam ex viribus naturæ, ſed ex Dei adiutorio ſupernaturali : ante conuerſionem verò ad primam Dei notitiam & fidem ſupponitur habuiſſe adiutorium ordinis naturalis, vt indicant illa verba D. Thomæ : Si aliquis taliter nutritus (in ſyluis) ductum naturalis rationis ſequeretur, certiſſimè eſt tenendum &c. Id quoque ex ſola Dei *prouidentia*, & beneplacito fieri, homine infidelli ex ductu rationis naturalis inſpirationem fidei *non impediente* per ſua peccata, conformiter ab initio diximus.

## CONTROVERSIA VI.

### *De viribus naturæ ſine adiutorio Gratiæ diuinæ.*

### §. I.

*Quid poſſit homo præſtare abſque Gratia in ſeruanda lege naturæ, & tentatione ſuperanda?*

DIco breuiter primo : In natura lapſa ſine gratia datur aliquando potentia phyſicæ ſeruandi collectiuè totam legem naturæ. Ita docet Arriaga, & plures alij. Quia etiam ſepoſita

gra-

gratia homo peccabit ſi violet legem naturæ. Atqui potentia peccandi includit potentiam ſaltem phyſicam non peccandi, nemo enim poteſt peccare in eo quod phyſicè nequit vitare.

Dico ſecundò, Homo tamen lapſus habet neceſſitatem moralem ſaltem ex parte violandi legem naturæ, ſi longo tempore ei deſit gratia. Hæc eſt communis doctrina Theologorum, adeo vt oppoſita cenſeatur errori proxima.

Ratio daſumitur ex eo, quod Concilia & Patres in illud Apoſtoli ad Romanos 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia Dei per Ieſum Chriſtum*; doceant obſeruationem legis ſine gratia eſſe moraliter impoſſibilem, propter infirmitatem carnis, & vim concupiſcentiæ: quibus denotatur neceſſitas quædam antecedens, ſita in peculiari difficultate honeſtè operandi, ſepoſito adiutorio gratiæ: quia ſenſibilia vehementer apprehendimus, & concupiſcentia ad hanc apprehenſionem naturaliter inſurgens, voluntatem ad obiecta inhoneſta vehementer inclinat, ideoque redditur moraliter impotens ad legem longo tempore obſeruandam; cum neceſſe ſit intra longum temporis ſpatium frequenter occurrere tentationes legis obſeruationi contrarias. Sicut in magna multitudine hominum, etſi poſſibile ſit phyſicè omnes ſtare, moraliter tamen neceſſarium eſt aliquem fore qui loquatur. Colligitur eadem doctrina ex Concilio Milenitano *Canon.* 5. & Tridentino *Seſſ.*6. *cap.*13.

Dico tertiò: Datur in homine lapſo moralis poſſibilitas ſeruandi dictam legem exiguo tempore abſque gratia. Eſt communis Doctorum.

Quia pro exiguo tempore poteſt deeſſe illa moralis difficultas, quam in ſuperiori aſſertione expoſuimus; abſente autem ſingulari difficultate, nos poſſe honeſtè operari, adeoque legem ſeruare, admittunt paſſim Doctores cum S. Chryſoſtomo in 1. ad Corinth. *cap.* 11. & S. Anſelmo in Dial. de libero arbitrio *cap.*5.& 6. *alijſque*.

Dico quartò: Homo in hoc ſtatu nequit grauem tentationem ſine gratia ſuperare. Eſt communior, contra aliquos Authores Catholicos.

Et probatur ex Apoſtolo 1. ad Corinth. 10. *Fidelis Deus qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis*. Ex quo loco docet Chryſoſt. dari aliquas tentationes quæ non poſſint à nobis viribus naturæ ſuperari, cum eas apponat Apoſtolus tentationi humanæ, ſiue leui, quæ à nobis vinci poteſt. Et Proſper lib. contra Collatorem *cap.* 35. innititur in Caſſianum, quod dixerit à Iobo tentationem grauem viribus naturæ ſuperatam fuiſſe.

Hinc dicendum à fortiori, omnes tantationes collectiue ſine gratia ſuperari non poſſe. Et quamuis nonnulli contrarium contendant, id tamen temerarium eſſe cenſet Suarez hic *lib.*1. *cap.*26.

Dices, Poteſt quis ex fine prauo inanis gloriæ mortem tolerare; ergo idem poteſt ex fine honeſto ſine gratia, non obſtante rei difficultate.

Reſpondeo negando conſequentiam. Quia finis prauus tollit, aut minuit difficultatem operandi, propter vehementem ſenſibilis bonitatis apprehenſionem: finis verò honeſtus, quia languidè apprehenditur, relinquit totam tentationis difficultatem prædominari.

Dico quintò: Poteſt modò ab homine ſine gratia vinci leuis, aut mediocris tentatio. Ita docet Amicus, aliique communiter, contra Vaſquez, & Meratum, qui ſemper ad victoriam tentationis gratiam aliquam requirunt.

Ratio deſumitur ex eo, quod aliqualis difficultas oppoſitæ tentationis non impediat quin obiecti honeſtas poſſit efficaciter apprehendi, atque ita connaturali modo placere vt voluntas illi adhæreat. Et ſicut experimur opus non eſſe auxilio gratiæ vt quis reſiſtat alteri gratiæ fortiter ac ſuauiter ad bonum inclinanti, ita etiam non eſt cur aliqualis difficultas concupiſcentiæ impellentis ad actionem inhoneſtam, per vires naturæ nequeat ſuperari. Adde proſcriptam eſſe Baij propoſitionem 29. *Non ſolum fures ij ſunt & latrones qui Chriſtum viam veritatis & vitam negant, ſed etiam qui dicunt tentationi vlli, ſine gratia eius adiutorio, hominem poſſe reſiſtere*.

Quæ noſtræ aſſertioni ab alijs opponuntur, tantum probant requiri gratiam ad quamlibet tantationis victoriam, vt hæc ſit meritoria præmij ſupernaturalis: aut vt contra leues etiam tentationes victoria continua obtineatur, quod lubentes admittimus. Sicut enim abſque ſpeciali priuilegio nequeunt moraliter vitari omnia venialia, propter inſtabilitatem naturæ, & frequentes labendi occaſiones, ſic etiam natura per ſe non ſatis eſt potens, vt collectiuè omnibus leuium tentationum impulſibus obluctetur.

An

## §. II.

### *An homo possit habere aliquos actus moraliter bonos absque Gratia supernaturali?*

CErtum est apud Doctores Catholicos, sine adiutorio gratiæ non elici actum bonum, pro vt conducit ad vitam æternam. Procedit igitur hæc quæstio de actu tantum moraliter honesto, siue laude digno intra ordinem naturæ. Talem actum negat Baius, ac penitus explodit distinctionem communem actionis honestæ naturalem, & supernaturalem, asserens ad quemlibet actum honestum gratiam supernaturalem esse necessariam.

Sed contraria sententia necessariò admittenda est. Quod probatur primò; Quia inter alios, damnarunt Pontifices hunc Baij articulum 25 *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*. Quia nempe procedunt ab infidelibus gratia destitutis. At ex Baio vnum breuiter exquiri velim; Si filius infidelis videat suum Patrem lapsum in foueam, quid illi agendum vt peccatum non incurrat? Si nolit illi manum porrigere, delinquet certè contra amorem parenti debitum: si illum è fouea extrahat, etiam extrahendo peccabit, quia si Baio credimus, omnia infidelium opera sunt peccata.

Probatur secundò, Quia Concilia videntur supponere nos per vires naturæ posse honestè operari. Tridentinum enim *Sess. 6. can. 2.* negat nos posse credere, pœnitere &c. sicut oportet ad iustificationem obtinendam, sine gratia. Qua limitatione, *sicut oportet*, satis innuat nos posse quidem moraliter honestè operari, sed non vtiliter ad salutem, per vires naturæ. Cum eadem limitatione loquitur Concilium Arausicanum *can. 6 & 7.* damnans Semipelagianos, non quod assererent hominem ex se posse honeste operari, sed quod adderent, id posse, sicut oportet ad salutem. Quin, & eam gratiæ necessitatem sic restringit Augustinus lib. de gratia Christi *cap. 27.* vbi non asserit illam esse absolutè necessariam ad bene operandum, sed tantum sic, vt sine ea nihil possimus, quod ad pietatem pertinet, veramque iustitiam. Eodem modo loquitur lib. de prædest. Sanct. *cap. 2.* & lib. de bono perseuer. *cap. 16.* & lib. de grat. & libero arbit. *cap. 17.*

Neque his obstat primò, quod S. Augustin. aliquando asserat, voluntatem de suo nihil habere nisi peccatum. Vel enim peccatum accipit propriè, & sic verum est soli voluntati humanæ adscribendum esse peccatum, & illi non esse integrè attribuendum opus moraliter honestum, cum hoc à Deo præcipuè veniat. Vel sumit peccatum impropriè, pro actu inutili, & aberrante à fine supernaturali, atque ita voluntas de suo tantum habet peccatum, siue opera inutilia ad salutem.

Neque obstat secundò, quod S. Augustinus dicat, sepositâ gratia, inductam esse impotentiam seruandi legem: per hoc tantum indicat, totam legem naturæ, propter singularem difficultatem, non posse sine gratia ita integrè seruari, quin ea aliquando violetur: non negat tamen eam posse, ex parte, per actus naturaliter honestos impleri.

Neque obstat tertiò, quod idem Augustin. aliquando doceat, in Infidelibus veras virtutes non reperiri. Agebat enim contra Pelagianos asserentes viribus naturæ haberi veras virtutes vtiles ad vitam æternam, idque probantes exemplo infidelium: negabat igitur è contra Augustinus, infidelibus tales virtutes inesse, quæ poterant ad salutem conferre. Sic enim scribit *lib. 4.* contra Iulianum *cap. 3.* Absit in aliquo sit vera virtus nisi fuerit iustus; absit autem sit iustus nisi ex fide: postea subdit: si ad consequendum veram beatitudinem quam nobis fides promittit nihil prosunt homini virtutes, non sunt veræ virtutes. Hinc etiam elucet non aliam esse mentem S. Augustini dum dicit *Omne quod non est ex fide peccatum est*: quia, vt ipse loquitur lib. de spiritu, & lit. *cap. 27.* Infidelis vix vnquam debito fine operatur, & licet subinde agat honestè, id illi nihil prodest moraliter ad salutem. Adeoque omne opus hominis infidelis vel est propriè peccatum, vel impropriè, considerando eius actionem prout est inutilis ad beatitudinem obtinendam. Ex quibus patet nullo fundamento negari opus moraliter honestum absque auxilio gratiæ, modò non asseratur, tali operi vim inesse meriti, aut illud positiuè hominem disponere ad salutem, & beatitudinem supernaturalem, quod ex §. sequenti magis confirmatur.

Ex quibus patet, quam parum considerate nuper quidam Professor publicè Scholas illas damnauerit hæresis Pelagianæ, quæ hanc sententiam sustinent. Cum tamen in Baio disertè, & sub anathemate proscripta sit hæc prop. 37. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*

§. III.

## §. III.

### *An ſolis Naturæ viribus poſſit elici Amor Dei ſuper omnia?*

PRoceditur hæc controuerſia de ſtatu naturæ lapſæ, fruſtra enim aliqui fusè diſputant, an poſſibilis ſit talis amor in ſtatu naturæ integræ, &, an ſine gratia poſſint cognoſci aliquæ veritates ad honeſtam operationem conducentes: nam ex ſola deciſione præſentis qnæſtionis vtrumque admitti debet.

Dico igitur, homini lapſo poſſibile eſſe ſolis naturæ viribus amare Deum ſuper omnia, amore naturali tam concupiſcentiæ, quam amicitiæ, qui dum durat affectinè excludat voluntatem Deum graviter offendendi. Eſt hæc receptiſſima Theologorum ſententia, quam tradit D. Thomas, 1. part. qnæſt. 6. art. 3. & ſæpius alibi: nec non Scotus in 1. diſt. 17. q. 2. Occamus quoque, Durandus, aliique docent, Deum etiam vt eſt author naturæ poſſe ab homine poſt lapſum diligi perfecto amore beneuolentiæ. Vaſquez autem & aliqui Doctores Catholici, qui videntur aliter ioqui, non negant cum Baio voluntati adeſſe ſufficientiam eliciendi iſtum amorem ſine gratia ſupernaturali, ſed tantum opinantur ad Dei gratiam pertinere cogitationem congruam & efficacem cum qua amor iſte actu elicitur, non verò cogitationem inefficacem: neque illi reiciunt communem diuiſionem amoris in naturalem & ſupernaturalem.

Probatur autem noſtra aſſertio primò, ex damnata propoſitione Baiana 36. *Amor naturalis qui ex viribus naturæ oritur, ex ſola Philoſophia per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria Crucis Chriſti, defenditur à nonnullis Doctoribus.* Ergo noſtra aſſertio huic contraria indubitatis Pontificum decretis roboratur.

Probatur Secundò, ex Concilio Arauſicano *can.* 25. & Tridentino *Seſſ.* 6. *can.* 13. vbi docent, hominem in iſto ſtatu non poſſe amare Deum, ſicut oportet ad iuſtitiam: hæc autem limitatio, vt ſupra dixi, ſatis oſtendit per vires naturæ haberi poſſe alium Dei amorem, qui ad iuſtitiam & ſalutem non conducat. Et hanc eſſe doctrinam S. Auguſtini, quem ſibi fruſtra vindicat Baius patet ex *lib.* 12. de Ciuitate Dei, *cap* 1. Sicut, inqnit, cum vitium oculorum dicitur cæcitas, id oſtendit quod ad naturam oculorum pertinet viſus.... ita cum vitium creaturæ rationalis dicitur, quod non adhæreat Deo, hinc apertè declaratur eius naturæ vt Deo adhæreat conuenire. Et lib. de moribus Eccleſiaſticis *cap.* 3. docet nos aſſequi ratione, eſſe rectè viuendum, & Deum ſequendo debere beatè viuere, id autem fieri diligendo Deum, quod eſt primum mandatum ad beatitudinem obtinendam. Sentit ergo S. Auguſtinus homini naturale eſſe Deo adhærere per amorem, nempe perfectum, adeoque id eſſe in poteſtate naturæ, qnæ ſepoſita gratia ordinatur ad beatitudinem naturalem. Subſcribit Auguſtino S. Fulgentius ad Monimum *cap.* 18. Naturæ, inquit, ineſſe non poſſet vllatenus ratio, niſi ei poſſet ineſſe Dei dilectio. Et alij paſſim Patres, ex eo quod natura rationalis ex ſe ſit imago Dei, inferunt ei competere vt in Deum tendat per dilectionem.

Probatur tertiò ex ratione. Tenemur lege naturali Deum perfectè diligere, neque in natura oſtenditur impoſſibilitas illum ita diligendi: poteſt enim Deus naturaliter nobis proponi vt infinitè bonus, & amabilis. Ergo neque ratione motiui ſubeſt moralis impoſſibilitas perfecti amoris, neque ex eo, quod Deus debeat omnibus præferri; quia poteſt per cogitationem perfectam ſummæ bonitatis Deus appretiari vt omnibus præferendus, & ſimul abeſſe omnis tentatio quæ voluntatem auertat, & in creaturas inclinet.

Dices, In hoc ſtatu ineſt voluntati impoſſibilitas effectiua vt tota lex naturalis obſeruetur abſque adiutorio gratiæ. Ergo ex illa oritur etiam impoſſibilitas effectiua adhærendi Deo per amorem perfectum, niſi voluntati ad amandum gratia ſupernaturalis opituletur.

Reſpondeo neg. conſequentiam. Poteſt enim fieri vt homo actu naturali cognoſcat ſibi poſtea ex parte Dei non defutura ſubſidia neceſſaria ad totam legem effectinè obſeruandam: ergo eo poſito poteſt effectinè Deo ſuper omnia adhærere. Neceſſitas enim gratiæ poſtea conferendæ, non efficit quo minus voluntas iam ex parte ſua perfecto amore in Deum feratur. Sicut neceſſitas poteſtatis ſupernaturalis ad celebrandum, non impedit quo minus iam actu naturali velim efficaciter Sacerdotium, tantum poſtea conferendum. Quia tamen dictus amor eſt naturalis, nihil conferens ad iuſtitiam ſupernaturalem, nec repugnans peccato habituali, neque ſufficiens vt occurrente difficultate perſeueret ad totius legis obſeruantiam, hinc eſt quod à Patribus, aut Conciliis actibus gratiæ non annumeretur, cum tantum agant de amore ad ſalutem conducente, qui ſolet eſſe ſupernaturalis.

At,

At, inquies, S. Auguſtinus ſic inſinuat amorem caſtum & perfectum elici ex gratia, vt agens contra Pelagianos ſæpius inculcet, vbi non eſt Spiritus gratiæ, ibi dominari peccatum.

Reſpondeo, aliud non inculcari ab Auguſtino, quàm gratiam eſſe neceſſariam ad actus conducentes ad ſalutem, & in infidelibus defectu fidei rarò dari opus ex omni parte honeſtum; hinc meritò pronunciat: vbi non eſt Spiritus gratiæ ibi dominari peccatum, ibi enim cenſetur peccatum dominatum obtinere, vbi opera honeſta rarius exercentur.

## CONTROVERSIA VII.

### *De Gratia efficaci, & in quo illa conſiſtat, variorum ſententiæ diſcutiuntur.*

QVæſtionis de efficacia gratiæ indubitata ſolutio, ſcopus eſt ad quem ſumma orbis Chriſtiani ingenia ingenti ſtudio collimarunt, & à quo plures certò aberrarunt, quemque nondum vllus Theologorum ita attigit, vt omnium ſuffragio compertæ veritatis palmam retulerit. Siquidem anguſtiæ hic vndique, & facilis error, quia inter duos ſcopulos naufgandum eſt, ſi ad tuendum vim gratiæ diuinæ nimium declines, deſtituis libertatem humanam: ſi vltra metam libertati patrocinaris, vim gratiæ inanem relinquis. Hanc difficultatem pridem aduertit ipſe S. Auguſtinus *lib.* 2. de peccatorum meritis *cap.* 18. Quærentem, inquit, vehementer anguſtat, ne ſic defendamus gratiam vt liberum arbitrium auferre videamur, rurſum ne liberum ſic aſſeramus arbitrium vt ſuperba impietate ingrati Dei gratiæ iudicemur. Olim incumbendum erat S. Auguſtino contra Pelagianos immodica elatione libertatis, vim gratiæ infringentes: ſed neque minus laborandum eſt hoc æuo, ne cum Caluini ac Lutheri aſſeclis in efferenda gratia ſic vela laxemus, vt libertas humana fatali neceſſitate depreſſa naufragium patiatur. In hac opinionum ſeſe collidentium procella, clauum ſuo iure arripuerunt Pontifices Romani, qui vtl in hac quæſtione olim Scholæ Thomiſticæ & Societatis opinandi modum præſcripſerunt, ita hac tempeſtate quibuſdam ad deuia deflectentibus certam credendi legem impoſuere.

Itaque de gratiæ efficacia primus error eſt Caluini, Lutheri, ac plurium Sectariorum, qui docent omnem Dei gratiam internam eſſe efficacem, ac hominis voluntatem ſic ad aſſenſum impellere, vt illi non ſit liberum gratiæ impellenti reſiſtere, atque ita abſolutè admittunt voluntatem ineuitabili neceſſitate ad agendum moueri; imo in ordine ad operationem gratiæ in natura lapſa liberum penitus interiiſſe arbitrium.

Dogma Ianſenij, quamuis nolit dimittere nomen liberi arbitrij, admittit tamen ad operationem gratiæ efficacis ſiue victricis in ſtatu naturæ lapſæ, non requiri libertatem à ſimplici neceſſitate, ſed ſufficere libertate à coactione; quem errorem fuſius refutauimus ſupra part. 2. pag 64. inter polemica, in prop. tertia inter quinque damnatas.

Quidam Moderni, vt in explicanda gratiæ efficacia hunc ſcopulum in ſpeciem declinare videantur, aſſerunt gratiam efficacem ſitam eſſe in delectatione iuſtitiæ quæ ſit victrix, ſiue maior delectatione terrena illi oppoſita: docentque illi delectationi, dum eſt maior, voluntatem non poſſe non obſecundare, & rectè agere: quamuis poſſit eidem delectationi iuſtitiæ non obtemperare, quando delectatio terrena maior aſſurgeret: & ob hanc poteſtatem quantumuis remotam, putant efficaciam huius gratiæ cum libertate conciliari. Volunt itaque ad libertatem indifferentiæ ſufficere, quod voluntas poſſit non agere, quantum eſt ex parte eorum quæ voluntatem poſitiuè afficiunt; ac proinde libertati actus nihil obeſſe negationem illam maioris delectationis terrenæ ad efficaciam iſtius gratiæ requiſitam; quia ſcilicet negatio illa voluntatem poſitiuè non afficit. At contra hanc nouum effugium alij paſſim Theologi hactenus cenſent, ad tollendam libertatem indifferentiæ ſufficere, quod poſita gratia cum illa negatione, non ſit in poteſtate voluntatis ab agendo abſtinere, ſed ad bene agendum ineuitabili neceſſitate determinetur.

Neque iſta viâ declinatur error Ianſenij, quem conſtat eandem in explicanda gratiæ efficacia ſemitam tenuiſſe, niſi quòd ille palam admiſerit, cum ſua doctrina non debere conciliari libertatem indifferentiæ, quam docuit non eſſe neceſſariam ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ; moderni verò illi velint eam doctrinam ſtare cum libertate ad meritum & demeritum ſufficienti. In quo non re, ſed voce à Ianſenio diſſidere, facile colliges ex eiuſdem verbis, quæ hic breuiter adduco, ex *lib.* 8. de gratia Chriſti *cap.* 2. Delectatio victrix, quæ Auguſtino eſt efficax adiutorium, relatiua eſt; tunc enim eſt victrix quando alteram ſuperat; quod ſi contingat alteram ardentiorem eſſe, in ſolis ineffacibus deſiderijs hærebit animus, nec ef-

ficaciter vmquam volet quod volendum est.

Facile autem ostendi potest hanc modernorum viam nullo modo conciliare suam gratiam victricem cum libertate voluntatis humanæ. Nam etsi possit existere illa entitas delectationis cœlestis sicut vt non causet actum bonum voluntatis, non potest tamen sine vllo actu existere delectatio victrix, cum in eorum sententia delectatio prout est victrix, siue efficax; non sit sola entitas gratiæ siue delectationis cœlestis, sed illa simul cum negatione maioris aut æqualis delectationis terrenæ: cum his autem, vt ipsi docent, nequit se voluntas determinare ad non agendum; adeoque sub gratia hac efficaci constituta non poterit ab actione bona abstinere, sed ad illam exercendam ineluctabili necessitate rapietur.

Ab hac doctrina Schola Thomistarum se semper alienam profitetur, gratiamque in sua sententia omni studio, & alia via cum libertate conciliare conatur. Docent itaque Thomistæ dari etiam gratiam efficacem à sufficienti intrinsecè diuersam, quæ tribuat ipsam operationem, quam proinde volunt esse physicè prædeterminatiuam voluntatis, sic vt nunquam possit suo effectu carere. Et vt maiori cum certitudine quid in hac parte Thomistæ sentiant referamus, iuuat hic adducere explicationem ipsorum verbis conceptam in Capitulo Prouinciali Inferioris Germaniæ habito Louanij 25. Aprilis 1668. vbi aliis præmissis sic pergit explicatio: Ideo autem taliter efficax gratia in Thomistarum Schola physicè prædeterminans dicitur, non quod imponat voluntati necessitatem aliquam, sicut est in rebus naturalibus quæ sunt omninò determinatæ ad vnum, vel aliquam aliam physicam qualitatem voluntati imprimat, quæ per modum naturæ eam impellat aut necessitet; sed ideo tantum quod per gratiæ suæ auxilium Deus, nulla præsuppolita scientia media aut conditionata boni vsus nostræ voluntatis, eam ad actus bonos liberos determinet, non solum interius suadendo, excitando, inuitando, aut aliter moraliter attrahendo, sed eriam actiuè, vere, & propriè, & per modum agentis, absque violentia tamen ex parte potentiæ, & in ipsa potentia causet ipsam voluntatis actionem, adeòque gratia sit bonæ voluntatis, verè, & propriè effectrix, qua fit vt homo ad suam actionem infallibiliter se determinet, non ex necessitate, sed iuxta suum proprium modum omnimodæ libertatis; sicq; omnis efficacia proueniat ex sola gratia, & ex ipsa Dei omnipotentia; nec illam expectet aut emendicet à libero arbitrio, neque efficax sit dependenter ab illo.

Et quia motio mouentis præcedit motum mobilis ratione, & causa, rectè etiam præmotio ac determinatio actiuè, verè, & propriè, & in hoc sensu physicè efficiens appellatur, in quo intelligitur applicatio virtutis ad actionem, sicut homo est causa incisionis cultelli ex hoc ipso quo applicat acumen cultelli ad scindendum mouendo ipsum, sicque tota operatio pertinet ad gratiam sicut ad causam effectiuam, promouentem, & determinantem, conformiter ad Tridentinum *Sess.* 6. *can.* 4. Subscripserunt huic expositioni in dicto Capitulo viginti, & vnus.

Quidquid sit de Thomisticæ sententiæ veritate, pridem certè per Apostolica decreta vetitum est vllam ei censuram inurere. Non est igitur de hac Schola benè meritus ille, qui conatus est in explicanda gratiæ efficacia, concordiam inducere inter Thomistarum sententiam, & eam quam aliqui Augustinianam prætendunt de gratia victrice. Non ignorant enim viri ex illa Schola magis perspicaces, rem esse non exigui periculi, velle parem cum illa doctrina sortem subire.

Scotillæ relatam Thomistarum sententiam passim impugnat, negant enim gratiam esse intrinsecè prædeterminatiuam. Volunt tamen eam esse extrinsecè determinatiuam voluntatis, ratione decreti, adiuncti, quo Deus absolutè, & efficaciter, ac exclusa scientia media, intendit obtinere, & efficere consensum voluntatis: an hæc sit sincera Scoti doctrina multum dubitat Suarez de auxiliis cap. 5. Ab vtraque sententia diuersa est doctrina Societatis, vti infra patebit.

Contra Thomistas facere possunt argumenta supra allata de physica prædeterminatione, & scientia media. Insuper ex sententia Scotistarum sequi videtur, decretum illud diuinum ad obtinendum actum intentum fallibili, & cæco modo procedere: quia cum gratia ex vi illius decreti data: sit intrinsecè indifferens, tantum fallibili modo connectitur cum actu efficaciter intento: ergo cum in illa sententia excludatur scientia media, non est vnde Deus fortiatur securitatem infallibilem de actu ponendo. Neque dicas, vi decreti diuini voluntatem nostram infallibiliter trahendam, sicut nostra potentia motiua vi voluntatis ad motum impellitur. Nam contra, vel decretum illud diuinum vi sua infallibiliter infert nostrum consensum, & sic tollitur nostra libertas: vel causat consensum contingenter per medium indifferes, & sic

ex

ex nullo capite poterit Deus reddi ſecurus de conſenſu ſecuturo.

Aliæ ſunt de hac quæſtione opiniones minus celebres, qualem ſuſtinet Maſcarenias, & alij, qui docent entitati gratiæ efficacis ineſſe vim quamdam determinandi moralem, ob ſingularem huius attemperationem cum voluntate, ideoque ſemper connectendam cum effectu.

At contra hanc etiam opinionem militat vis ſuperioris argumenti. Vel enim gratia ſic attemperata habet ex ſe antecedentem, & infallibilem connexionem cum conſenſu voluntatis, & ſic euertit libertatem: vel habet connexionem fallibilem, atque ita non repugnat eam gratiam reddi inefficacem, & aliam reddi efficacem ſine iſtiuſmodi attemperatione; ergo non poteſt in hac attemperatione gratiæ efficacia conſiſtere.

Vt has euaderet difficultates, alteram excogitauit viam P. Bonæ Spei vir doctus ex Ordine Carmelitarum, qui gratiam efficacem conſtituit in qualitate ita accommodata flexibilitati voluntatis, vt hæc certò conſentiat gratiæ, vno ex pluribus inſtantibus, aut alterutro duorum inſtantium indeterminatè, ſic vt qualitas illa non ſit determinans ad vnum ſimpliciter, prout eſt prædeterminatio phyſica, ſed ad vnum ſic eligendum, vt quouis eorum inſtantium ſit in poteſtate voluntatis eligere, vel non eligere quoad ſubſtantiam actus, aut omiſſionis; ac proinde eligat liberè, quia agit v. g. vltimo inſtanti, non merè, quia adeſt illa qualitas, ſed quia liberè omiſit agere priori inſtanti.

Sed nulla ex parte ſatisfacit hæc noua cogitatio. Nam ex ea ſequitur primò, Deum non poſſe obtinere conſenſum hominis, & eum conuertere eo inſtanti quo voluerit, ſed tantum aliquo inſtanti indeterminato. Secundò, Si primo inſtanti ex duobus voluntas non conſenſit, iam in ſecundo ad conſenſum abſolutè neceſſitabitur: nam libertas requirit vt eo inſtanti quo ponitur actus poſſit non poni, neque ſufficit liberè fuiſſe omiſſum priori inſtanti. Tertiò, tollitur illa via libertas illa, quæ ad meritum requiritur: quia tantum merebor quod potius hoc quam illo inſtanti ponam conſenſum, quam alterutro debeo neceſſariò elicere: quinimò potius demerebor ſi verbi gratia conſenſum ad actum bonum ſuſpenderim quantum potui, & tantum conſenſerim vltimo inſtanti, vltra quod non potui conſenſum differre.

Poſtremò, Schola Societatis, prædictis contraria cum alijs docet, efficaciam gratiæ, præter ipſam gratiæ entitatem ex ſe indifferentem, reliquaſque diſpoſitiones, & circumſtantias ſe tenentes ex parte actus primi, involuere conſenſum voluntatis conditionatè futurum, præuiſum per ſcientiam mediam, ſi in illis circumſtantijs gratia à Deo concedatur. Illud autem dicitur ſe tenere ex parte actus primi, quod prærequiritur ad agendum: ſiue quod influit in effectum mediatè vel immediatè, vel ſimpliciter requiritur vt hic, & nunc effectus poſſit poni, etſi in eum phyſicè non influat.

Explicatur ea ſententia hoc modo: Deus vult conuertere, aut ſalnare Petrum per actum finalem pœnitentiæ: habet in poteſtate ſua gratias innumeras ex ſe indifferentes quibus poſſit Petrus conſentire, aut non conſentire; videt ergo Deus per ſcientiam mediam, cui harum gratiarum Petrus eſſet conſenſurus, cui non conſenſurus ſi eam in certis circumſtantijs haberet, verbi g. dum in extrema vitæ hora verſabitur. Illa itaque gratia eſt efficax in actu primo reſpectu Petri, cui Deus præuidet illum conſenſurum ſi detur: erit eadem gratia efficax in actu ſecundo ſi in dictis circumſtantijs à Deo actu concedatur. Repugnat enim Deum præuidere effectum cum cauſa etiam indifferenti ſub certa conditione connectendum, & illum effectum, poſita conditione, ab ea cauſa non procedere.

Hic autem procedendi modus ſaluat ex parte Dei dignitatem, & infallibilem efficientiam gratiæ efficacis, præ ſufficienti, & hanc gratiæ infallibilitatem conciliat cum libero voluntatis arbitrio; in quibus vtrimque conciliandis in aliorum ſententijs verſatur præcipuus cardo difficultatis. Ac primò quidem, hac ratione ex parte prouidentiæ diuinæ, talis gratia conſtituitur idoneum inſtrumentum, quo certiſſimè poſſit Deus obtinere actum bonum, & meritorium voluntatis creatæ: per hanc poteſt infallibiliter prædeſtinare ad merita, & gloriam: per hanc poteſt habere in manu ſua cor hominis quantumuis durum, & illud inuictè, & indeclinabiliter quocunque voluerit inflectere; non minus quam ſi humanum arbitrium adamantinis vinculis gratiæ neceſſitantis conſtrictum detinerer. In hac porrò ſententia oſtenditur nullum incurri periculum violandæ libertatis humanæ, quia gratia efficax ſic explicata, nihil inuoluit ex parte actus primi quod ex ſe non ſit indifferens ad actum inferendum: Nam voluntas, & entitas gratiæ, & decretum quo Deus concurſum præparat, eſt indifferens & indeterminatum ad conſenſum vel diſſen-

sum secuturum. Scientia autem media non se tenet ex parte actus primi, quia neque influit in consensum immediatè aut mediatè, neque requiritur simpliciter vt voluntas possit agere sed tantum vt à Deo gratia, & concursus prouide offeratur, cum notitia effectus secuturi si conditio poneretur. Quamuis enim, quod fieri nequit, à Deo abesset scientia media, hoc ipso quo hæc gratia poneretur in voluntate, & Deus paratus esset hic, & nunc concurrere, eodem modo voluntas exiret in actum.

Cætera quæ opponuntur, eò ferè tendunt, vt probent in hac sententia, sine grstia per se victrici, aut determinante, Resolutionem vltimam Conuersionis humanæ referendam esse in determinationem liberi arbitrij, dicendumque hominem conuerti, non quia adest gratia diuina, sed quia voluntas humana liberè consentit. Verùm hæc sententia non docet ita simpliciter loquendum, sed hoc modo: Ideò homo conuertitur quia à Deo accepit vt conuertatur. Resoluitur itaque consensus voluntatis humanæ in Deum per grstiam cooperantem, tanquam in primam, & principalem causam boni operis, à qua voluntas humana semper in agendo dependet: hinc conuersionis humanæ rectè ststuitur hæc vltima resolutio: Ideò credit, & conuertitur homo, quia vult, cum conuersio in actu voluntatis consistat: ideò vult conuerti, quia congruenter per gratiam vocatus est; ideò congruenter vocatus, quia voluit Deus gratiam, quam nouit congruentem, nunc homini largiri.

Ita docet hæc sententia, quam breuiter retulisse sufficiat, quoniam ab illa contra quosdam alios fusius tractanda hic abstinere necesse est. Argumenta quædam, quæ pro gratia victrici superius relata hoc tempore adducuntur, resolnta sunt supra in Contron. de scientia media, & præcipuè Part. I. Tract. II. capitul. 2. vbi contra propositiones Iansenij ostendimus, interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ voluntatem humanam posse resistere, pag. 63.

## CONTROVERSIA VIII.

### *De Iustificatione, & Gratia habituali.*

DIco primò: Ad iustificationem impij non sufficit peccata non imputari, sed requiritur Sanctificatio, & renouatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum. Ita definit Tridentinum *Sess. 6. capit. 7.* contra Lutherum, Caluinum, eorumque asseclas, qui negat per Iustificationem impij peccata tolli aut deleri, sed tantùm tegi, & homini amplius non imputari. At contra; concipi non potest quo modo possint peccata Deo tegi, nisi penitus aboleantur, fieri enim non potest vt quæ nondum sunt deleta, diuinis oculis omnia cernentibus tegi possint.

Dico secundò: Datur forma hominem sanctificans, distincta ab omni actu iusti, habitualiter inhærens, & permanenter instum constituens, quæ dicitur Gratia habitualis. Ita docent modò omnes Theologi, quorum multi censent esse de fide, quamuis hoc negent Sotus, Canus, Bannex, Vasquez, disp. 103. cap. 6. si agatur de iustificatione adulti extra Sacrametum per actum charitatis, aut contritionis perfectæ, quos actus putant per se formaliter iustificare.

Probatur autem assertio vniuersaliter ex Tridentino Sess. 6. cap. 7. & can. 11. *Si quis dixerit homines iustificari .. exclusa gratia, & charitate quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret, &c. anathema sit.* Atqui certum est paruulis formam illam permanenter inhærere, absque vllo actu suæ voluntatis, dum per Baptismum iustificantur: certum quoque est in adultis formam illam non consistere in aliquo eorum actu dum iustificantur per aliquod Sacramentum v. g. pœnitentiæ cum sola attritione, quæ communi omnium consensu non est forma iustificans. Ergo dicendum est vniuersim etiam extra Sacramentum formam iustificantem sitam esse in gratia sanctificante, quæ animæ, etiam dum nullum actum elicit, permanenter inhæreat. Actus autem Charitatis, & contritionis perfectæ tantum sunt præuia dispositio ad gratiam sanctificantem, quæ per se formaliter iustificat.

Atque hanc esse mentem Concilij non parum confirmant verba Cardinalis Pallauicini in Histor. Tridentini *Part. 1, lib. 8. cap. 14.* Denique inquit, considero quod mens Concilij fuit stabilire habitum infusum iustitiæ, & non meram iustitiam intrinsecam, non determinando an illa sit vel actus, vel habitus... quod mihi redditur notum propterea quod tunc, sequirente quodam vt magis expressè declararetur fieri iustitiam per habitum infusum; responderunt deputati, satis hoc declarari voce *inhærentiæ*, quæ importat habilitatem; & conuenit habitibus, non actibus.

Dico tertiò. Etsi gratia habitualis diuersa sit ab actu, non distinguitur tamen ab habitu charis-


image
not
available

ralis : ergo idem dicendum est de merito operis condigni ex quo merces illa procedit.

Quæres; An vt actus sit meritorius debeat esse à charitate elicitus aut imperatus, sic vt non sufficiat motiuum alterius virtutis inferioris?

Respondeo negatiuè ; contra Theologos quosdam recentiores . Quia Scriptura sæpius aliis actibus , quam charitatis aut ab ea elicitis vitam æternam promittit , vt operibus misericordiæ Matth. 5. *Beati misericordes quoniam ipsi misericordiam consequentur* . Et de obedientia in obseruatione mandatorum dicitur Matt. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata* : horum autem mandatorum multa pertinēt ad iusticiam , & alias virtutes à charitate distinctas. Id denique euincit ratio; quia omnis actus virtutis infusæ, verbi causa, fidei , spei , aut timoris Domini, abstrahendo à charitate, est per se supernaturalis , laude ac præmio dignus , & in iusto meritum filij , siue hæredis regni cœlestis : ergo nihil illi actui deest quo minus sit præmio vitæ æternæ proportionatus.

Neque his repugnant verba Apostoli 1. ad Cor. 10. *Omnia in gloriam Dei facite* : non enim continent præceptum , sed tantum consilium , quo hortatur ad id quod est perfectius: vel certè indicat , quodlibet opus ex motiuo virtutis profectum , ad Dei gloriam conferre . Neque refragatur S. Augustinus in enchiridio cap. 117. *Regnat carnalis cupiditas vbi non est charitas* : accipit enim hic & alibi frequenter charitatem latè prout complectitur omnem virtutem infusam , qua exercentur opera Deo accepta , quæ carnalem cupiditatem excludunt . Sæpè etiam Scripturæ & Patres , dum aiunt opera nostra nihil prodesse ad vitam æternam sine charitate ; vel agunt de charitate habituali coniunctā cum statu gratiæ ; vel certè negant ea ad meritum valere quamdiu versamur in odio proximi , aut alia dispositione charitati positiuè contraria .

Dico tertiò: Ex parte præmiantis, requiritur diuina promissio , vt opera iustorum in actu secundo sint condignè meritoria vitæ æternæ , non verò vt ex parte sua sint isti præmio proportionata.

Prima pars probatur ex Tridentino *Sess.* 6. *cap.* 16 asserente vitam æternam esse proponendam iustis tanquam mercedem , ex Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis reddendam . Promissionem quoque diuinam ad meritum mercedis à Deo retribuendæ requirit S. Augustinus in Psalm. 83. Debitorem , ait , ipse se fecit , non accipiendo , sed promittendo . Hanc veritatem ratio confirmat ; quia meritum condignum debet in actu secundo præmiantem ad mercedem reddendam obligare . Atqui nulla ratione potest homo suis operibus Deum obligare , nisi illis vltro præmium addixerit: quia aliunde competit Deo legitima potestas quodlibet obsequium absque mercede ab homine deposcendi, ratione scilicet suæ excellentiæ , & supremi in creaturas dominij . Et hinc defectu diuinæ promissionis contingit bonis actibus animarum in Purgatorio nullum præmium respondere .

Patet secunda pars assertionis : Quia nisi ad meritum condignum independenter à diuina promissione requireretur aliqua proportio operum ex parte sua prout ab homine iusto , & à diuina gratia proueniunt , sequeretur contritionem peccatoris etiam de condigno mereri gratiam iustificationis , cum hanc peccatori contrito Dominus addixerit , quam tamen non nisi vt meritum congruum obtinet .

Ex his colligitur , suppositā promissione , Deum per meritum condignum obligari ex iustitia latè dicta reddere vitam æternam homini in gratia decedenti . Quia etsi opera creaturæ , cum sint aliunde debita , non possint ex stricta iustitia Deum ad mercedem obligare : tamen ex propria veracitate ac fidelitate adstringitur vt dictis facta conformet , quæ sunt virtutes iustitiæ annexæ , quibus Deus ad præstandum promissam mercedem potiùs sibi , quam creaturæ obligatur.

Dico quartò: Ad meritum etiam congruum requiritur vt sit actus liber , honestus , in statu viæ , ac supernaturalis saltem in ordine ad præmium supernaturale . Quorum ratio patet ex dictis de merito condigno . Non est necessaria ad meritum congruum diuina promissio , quia sufficit actum habere bonitatem aliquam proportionatam , cuius intuitu possit Deus beneficium aliquod homini conferre , non ex iustitia aut fidelitate , sed ex quadam decentia munificentiæ diuinæ . Hinc solum illud meritum de congruo habet infallibilem connexionem cum retributione mercedis , cui de facto adiuncta est diuina promissio . Denique ad meritum congruum non exigitur status gratiæ ; contritio enim peccatoris meretur de congruo gratiam iustificationis.

Dico quintò: Sola opera iustorum merentur de condigno vitam æternam , & per consequens augmentum gratiæ habitualis.

Quia Tridentinum vitæ æternæ præmium attribuit tantum meritis iustorum *Sess.* 6. *canon* 32. Si quis dixerit iustificatum bonis operibus , non verè mereri augmentum gratiæ ,

ana-

anathema ſit: & idem aſſerit de vita æterna: quæ reſpondet gratiæ habituali. De homine verò nondum iuſto docet *ſeſſ. 6. cap. 8.* ideò nos gratis iuſtificari, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Quod vlteriùs quoad merita iuſtorum comprobari poteſt ex eo, quod bonis iuſtorum operibus nulla deſit ex conditionibus ſupra requiſitis ad rationem meriti condigni reſpectu argumenti gratiæ, & gloriæ illi annexæ.

Ex his vlteriùs aduerte primò, Neminem ſibi poſſe mereri, nequidem de congruo, primam gratiam actualem: quia ipſa gratia eſt principium meriti, ſine qua nihil poteſt fieri quod ad vitam æternam conducat.

Secundò, Neminem poſſe mereri primam gratiam habitualem de condigno: quia ipſe ſtatus gratiæ eſt principium dignificatiuum, quod requiritur vt meritum ſit condignum gratiæ obtinendæ. Eam tamen poteſt homo extra ſtatum gratiæ mereri de congruo, vti patet in contritione peccatoria.

Tertiò, non poteſt homo etiam iuſtus merito ſiue condigno ſiue congruo infallibiliter obtinere ſibi, aut alteri donum perſeuerantiæ, aut reparationem poſt lapſum, aut aliquam gratiam actualem, aut aliud beneficium à gratia ſanctificante, & gloria diſtinctum. Quia de illis, per merita noſtra certò obtinendis nulla extat Dei promiſſio aut reuelatio; imò potius Scripturæ ad Philipp. 2. *monent, vt cum metu, & tremore ſalutem operemur*, ne ſcilicet à iuſtitia, aut perſeuerantia excidamus. Poteſt tamen homo illa impetrare merito congruo non habente infallibilem connexionem cum iſto præmio. Admittit enim S. Thomas 2. 2 *quæſt.* 114. *art.* 9. illa poſſe ferueuti oratione à Deo obtineri. Et S. Auguſtinus lib. de dono perſeuerantiæ *cap.* 6. docet hominem poſſe hoc donum ſuppliciter emereri. Quando verò ibidem *cap.* 13. aſſerit, & inchoandi, & vſque ad finem perſeuerandi gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, ſolum excludit meritum condignum, vel quod ex ſolis naturæ viribus procedit.

*De merito bonorum operum controuerſa, cum Hæreticis modernis vide ſupra tractat. 2. c. 2. §. 1.*

# CONTROVERSIA X.

## *De Eccleſia, Pontifice, Concilio.*

AD hunc locum reuocanda ſunt, quæ ſuperius in *fine parte I. pagina* 37. Controuerſijs polemicis adiunximus, de Eccleſiæ poteſtate, & infallibilitate: De authoritate Romani Pontificis, & quomodo ea ſit ſupra Concilia generalia, & ſine his poſſit abſque erroris periculo definire controuerſias fidei, & morum, & facti quæſtiones; declarare etiam verum ſenſum Scripturæ ſacræ; iudicare de ſenſu libri Catholico, aut Hæretico, de reliqua denique poteſtate Pontificum, & Conciliorum varias horum temporum quæſtiones in particulari decidimus, ex quibus, in controuerſijs, quæ horum in Eccleſia authoritatem concernunt doctrina ſana, à damnatis erroribus facile diſcernitur.

Hac autem auctoritate ſtabilita, facilis fit progreſſus ad breuem certumque ſequentium Dogmatum in reliqua Theologia deciſionem. De ſingulis breui methodo formari poterit hic ſyllogiſmus: Illa doctrina à nullo Fidelium admitti poteſt quam legitima Eccleſiæ Concilia, aut Pontifices à Cathedra damnarunt, aut cenſurarunt. Sed hæc doctrina N. eſt talis. Ergo hæc à nullo Fidelium admitti poteſt. Vnde vlteriùs ritè inferes, Doctrinam illi oppoſitam cenſeri ſanam, & in Scholis omnino receptam.

## CONTROVERSIÆ ALIÆ.

*In reliqua Theologia breui methodo reſoluta, ex Cenſuris, Decretis, aut Definitionibus Eccleſiæ, aut Summorum Pontificum.*

### §. I.

*De operibus, gratia, & meritis tam hominum quam Angelorum.*

CEnſuratæ ſunt ſequentes propoſitiones in proprio verborum ſenſu, vt ſingulæ reſpectiuè ſint erroneæ, aut hæreticæ, aut ſuſpectæ, temerariæ, ſcandaloſæ, aut piarum aurium offenſiuæ, vt contra doctrinam Baij decernunt Conſtitutiones Pij V. Gregorij XIII. & Vrbani VIII. quarum tenorem in huius 2. partis fine reperies.

Vita æterna homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.

Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.

Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur gratia. Pelagij ſententia eſt, opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſſe regni cœleſtis meritorium.

Ratio meriti non conſiſtit in eo quod, qui bona operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, ſed in eo ſolum, quod obedit diuinæ legi.

Opera iuſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt maiorem valorem.

In redemptis per gratiam Chriſti nullum inueniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.

Falſa eſt Doctorum ſententia, primum hominem potuiſſe à Deo creari, & inſtitui ſine iuſtitia naturali.

Deus non potuiſſet ab initio creare hominem qualis nunc naſcitur. Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis eius conditio. *Sunt & proſcriptæ alia propoſitiones his ferè ſynonimæ.*

Docet abſolutè autem *Lutherus*; Nullum eſſe vllius hominis meritum ad gloriam aſſequendam, & eam obtinendam per ſola merita Chriſti. Damnatur hæc aſſertio in Tridentino ſeſſ. 6. can. 32.

Errat in altero extremo *Pelagius* aſſerens; Hominem ſua virtute ſine gratia Dei, vitam æternam promereri. Poſt alia Concilia damnatur à Tridentino ſeſs. 6. cap 9. & can. 7.

Hæreſis quoque Lutheri eſt, Hominem iuſtum certò ſcire, ſe eſſe in gratia, & ad hoc credendum obligari. Reprobatur in Trid. ſeſſ. 6. cap. 9. & can. 13. Definitio autem legitimi Concilij aut Pontificis, cuiuis verè Catholico indubitata probatio eſt, & ad eam recipiendam hæreticus adigitur argumentis quibus alibi conuincimus hanc eſſe veram Chriſti Eccleſiam, falli, & fallere neſciam in controuerſijs fidei, ac morum decidendis.

De his cæteræ quæſtiones Theologicæ traditæ ſunt in ſuperioribus Controuerſijs, & aliæ in p. 1. tract. 2. c. 2. vbi agitur de operibus, & gratia, & 3. prop. In Ianſenio damnatis.

## §. II

### *De peccato actuali, & originali.*

HÆc aſſertio: Nullum peccatum imputatur habenti fidem: Damnata eſt in Luthero à Trid. ſeſs. 6. c. 7. & can. 9.

Peccatum non eſt à libero hominis arbitrio, ſed à malo dæmone. Fuit error Valentini, proſcriptus in Concilio generali Calcedonenſi IV. ſub Leone I.

Omne opus quomodocunque rectè factum, eſt tamen peccatum. Damnatur in Luthero Tridentini ſeſs. 6. cap. 16. & can. 25.

Omnes homines ante Chriſtum fuerunt damnati ob peccatum primorum parentum. Error Armenorum, reprobatus in Conc. Florentino ſub Eugenio IV.

Aliqua ſunt peccata, quæ à nullo prorſus Sacerdote abſolui poſſunt. Oppoſitum definitur in eodem Florentino contra Armenos.

Semel per gratiam iuſtificatus non poteſt amplius peccare. Damnatur in Concil. Viennenſi ſub Clemente V. contra Begardos.

Nullum datur peccatum mortale, præter incredulitatem. Reprobatur inter errores Lutheri in Trid. Seſs. 6. cap. 15.

Nulla eſt differentia inter peccatum mortale, & veniale. Proſcribitur Trid. Seſs. 4. cap. 5. & can. 7. contra Caluinum.

Ex prævaricatione Adami nullum in poſteros propagatum eſſe peccatum originale, cui abluendo neceſſaria ſit gratia Chriſti; Error eſt contra fidem in Pelagio damnatus.

In doctrina Michaelis Baij, & aliorum, reprobatæ ſunt per diplomata trium Pontificum ſequentes de Peccato aſſertiones.

Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.

Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia. De hoc actum ſupra Controuerſ. 6. §. 2.

Omne quod agit peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt.

Infidelitas purè negatiua in ijs, quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.

Praua deliderja quibus ratio non conſentit, & quæ homo inuitus patitur, ſunt prohibita præcepto, Non concupiſces.

Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alij habitus praui.

In peccato duo ſunt, actus, & reatus: tranſeunte autem actu nihil manet niſi reatus, ſiue obligatio ad pœnam.

Peccatum originis eſt habituali voluntate paruuli voluntarium, & habitualiter dominatur paruulo, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

Omne ſcelus eius eſt conditionis vt ſuum authorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.

Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorum malorum à generante contrahunt, qui

qui cum minoribus naſcuntur vitijs, quàm qui cum maioribus.

Omnes omniùò afflictiones iuſtorum, ſunt vltiones peccatorum ipſorum, vnde & Iob, & Martyres, quæ paſſi ſunt, propter ſua peccata paſſi ſunt.

Nemo præter Chriſtum eſt ſine peccato originis; hinc Beata Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adamo contractum, omneſque eius afflictiones in hac vita, ſicut, & aliorum iuſtorum, fuerunt vltiones peccati originalis vel actualis. Duæ poſtremæ propoſitiones ſunt in dictis Diplomatibus damnatæ potius ex alijs ſcriptis, quam ex ipſis libris à Baio editis.

Doctrina Catholica his oppoſita docet, primò, Peccatum originale omnibus verum, & proprium ineſſe, vt inquitur Tridentinum 2. Peccatum illud in eo conſiſtere, quod Adam tranſgrediendo diuinum præceptum, originalem ſanctitatem, & iuſtitiam naturæ indebitam, non tantum ſibi, ſed poſteris amiſerit, in quos omnes non propria voluntate, ſed propagatione tranſfunditur. 3. Excipiendam à labe originali in ſuo ortu Virginem Deiparam, piè paſſim credunt fideles; idque non parum confirmat quod in poſtrema Bulla Alexander VII. nobis diſertè conſtare voluerit, hunc eſſe antiquiſſimum, & communiſſimum omnium ferè Catholicorum ſenſum: & feſtum Immaculatæ conceptionis, in ſenſu piæ ſententiæ, à Romana Eccleſia celebrari. Declarans inſuper, illius pœnas à Sixto IV. conſtitutas incurrere, *qui hanc eandem ſententiam, feſtum, ſeu cultum in diſputationem reuocare, aut contra quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quouis prætextu etiam definibilitatis eius examinandæ, aut quouis alio prætextu ſeu occaſione, ſcripto, ſeu voce, loqui, concionari, tractare, diſputare, contra quidquam determinando aut aſſerendo, vel argumenta contra eas aſſerendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quouis modo excogitabili differendo auſi fuerint*. Ita Bulla Alexandri VII. quæ incipit, *Solicitudo*, anno 1661. 4 Dari peccatum mortale, & veniale ab eo diſtinctum: & illud grauiter, hoc leuiter præceptum oppoui. 5. Omne mortale non remiſſum puniri etiam pœna ſenſus æterna: idque ob malitiam peccati intrinſecam; & in eo ſitam, quod offendatur perſona dignitatis infinitæ cognita vt talis. Hæc, & reliqua doctrina de peccatis in particulari, fuſius traduntur *infra part. 3. in Tractatu de Præceptis.*

## §. III.

### *De Fide, Spe, & Charitate.*

NIhil credendum eſſe quod excedat vires noſtri intellectus, docuit Petrus Abailardus, quod erroneum declarauit Concilium generale Rhemenſe ſub Eugenio III.

Solam fidem, cum grauibus etiam peccatis, hominem iuſtificare; & ad ſalutem perducere docuit, poſt Eunomium, Lutherus, aſſereus præter fidem opera ad ſalutem minimè eſſe neceſſaria, damnatum in Trident. Seſſ. 6. cap. 3. & can. 9.

Fidem amitti per quodlibet peccatum mortale, error eſt eiuſdem Lutheri, proſcriptus à Tridentino Seſſ. 9. cap. 15. & can. 28.

Quemuis hominem pro libito, ſine Superiorum facultate, poſſe fidem prædicare, falſum declaratur in Concilio generali Conſtantienſi Seſſ 8. contra Wicleſum.

Licitum eſſe vrgente perſecutione fidem negare, contra Baſilidem damnauit Concil. Nicænum I. ſub Syluestro Papa.

Spem nullam iuſtitiæ aut ſalutis collocandam in operibus: Fideles per ſola merita Chriſti ſibi imputata iuſtificari; erroribus Lutheri annumeratur in Trid. Seſs. 6. cap. 16. & cap 26.

De Charitate proſcriptæ ſunt propoſitiones ſequentes in Bulla contra Baium.

Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.

Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt ex corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quam in pœnitentibus poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum. Et prop. 32. Charitas illa quæ eſt plenitudo legis non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.

Homo exiſtens in peccato mortali, ſiue in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem, & Charitas etiam perfecta poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.

Per Contritionem etiam cùm charitate perfecta, & cum voto etiam ſuſcipiendi Sacramentum coniunctum, non remittitur crimen extra caſum neceſſitatis, aut martyrij, ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.

Quamdiù aliquid concupiſcentiæ carnalis in diligente eſt, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum in toto corde tuo.

Non

Non est vera obedientia legis, quæ sit sine Charitate.

Hæc propositio, & quædam aliæ, à fortiori refutantur, *infra Tom.* 2. vbi probauimus Attritionem ex metu gehennæ, aut ex Spe gloriæ cœlestis, absque Charitate, actum esse per se bonum; & peccatorem ritè disponere ad gratiam in pœnitentiæ Sacramento percipiendam, de quo infra in part. 3. tract. 1. q. 21. inter Controuersias modernas.

Reliquas quæstiones Theologicas de fide diuina eiusque obiecto, necessitate, certitudine, motiuo, & analysi; de Pontifice, & Conciliis, & Controuersijs fidei particularibus ac modernis, copiosè tractamus supra in tota *part.* 1. Et alias quæ ad praxim ordinantur tradimus infra inter resolutiones ad Hæresim, & partes hæreticorum pertinentes in *Tom.* 2. *par.* 3. *tract* 6.

## § IV.

### *De Iure, & iniuria.*

HÆc propositio: Non debet fieri restitutio furti, modò is qui abstulit partem rei furtiuæ, aue pecuniæ, relinquat Sacerdoti vt absoluatur: Reprobata est in Concilio Florentino inter errores Græcorum.

Non est peccatum pecuniam ad vsuram concedere. Hic error, cuius primi Authores fuerunt Græci, damnatur in Concilio generali Viennensi, his terminis; Si quis pertinaciter defenderit, quod dare ad vsuras non sit peccatum, decernimus esse puniendum velut hæreticum.

Nullus homo potest instè occidi, etsi id fiat ex præcepto Iudicis legitimi. Abolita est hæc doctrina in Concil. Florentino, contra VValdenses, quam postea sustinuit Nicol. Gallicus.

Ad obtinendam martyrij palmam licitum est se ipsum occidere, & per hunc actum fiunt verè martyres. Damnatur in Concilio primò Carthaginensi, contra Circumcelliones.

Licitum est aliquando mentiri, siue pro seruanda vita, siue gratia magna alteri præstanda. Contrarium definiuit Concilium IV. Chalcedonense, & sunt inter errores Cassiani, quem postea cum cæteris retractauit.

Licitum etiam esse periurium, docuerunt Priscillianistæ, quos refutat S. Augustinus in libro de hæresibus.

Non licere Christianis coram Iudicem postulare reparationem iniuriæ, damnauit Leo X. Conc Trid. Sess. 9. cap. 10. de reformatione, contra Lutherum.

Peccatum non esse, inimicum decipere, aut illi damnum aliquod inferre, Damnatum in Chalcedonensi IV. & inter errores Græcorum recensetur à Guidone, de hæresibus.

Iniuriam non esse ob coniugis adulterium matrimonium consummatum dissoluere, docuit primò Montanus, postea Lutherus, sed à Tridentino reprobatur sess. 8. can. 5.

Illicitum esse bellum inferre, docuerunt Manichæi: idque specialiter Christianis prohibitum, censent *Anabaptistæ*, contra praxim, & doctrinam Ecclesiæ in Conc. Lateranensi sub Calisto II. & alibi.

Doctrina Theologica de Iustitia, & principia practica de legitima acquisitione, possessione, detentione, & quid in his licitum sit cum conscientia dubia, aut probabili, traditur infra part. 3. tract. 1. Item, in particulari de Præceptis, & quæstionibus pertinentibus ad Contractus, Testamenta, Furtas, Vsura, Restitutionem, &c. par. 3 tract. 5. & seq.

## §. V.

### *De Christo, & Verbi Incarnatione.*

CHristum purum esse hominem, error fuit Ebionis, & postea Arij, damnatus in Niceno I. sub Syluestro Pontifice.

In Christo fuisse tantum naturam diuinam, nec verum fuisse hominem, docuit Valentinus, Apollinaris, damnauit verò idem Concilium Nicænum.

Sicut in Christo admittendæ sunt duæ naturæ, diuina, & humana, ita in eodem duas esse personas: item Virg. Mariam matrem esse non Dei, sed tantum hominis; docuit Nestorius. Sed doctrinam hanc hæreticam censuit Concilium Ephesinum III. can. 4.

Et è contrario, In Christo solum vnam esse naturam, & vnam personam, scilicet diuinam, error fuit Eutichetis, & Dioscori, damnatus in Ephesino III. & Chalcedonensi IV. sub Leone primo.

Vnicam in Christo fuisse voluntatem, eamque diuinam, nullam verò humanam, Error fuit Macarij Episcopi Antiocheni, & aliorum qui dicti sunt Monothelitæ, & damnatur in sexta Synodo generali Trullensi sess. 17. in qua definitur in Christo duas esse voluntates, diuinam qua æqualis est Patri, & humanam qua factus est obediens vsque ad mortem.

In

In Chriſto non fuiſſe Spiritum timoris Domini; docuit Abailardus, vt refert D. Bernardus Epiſtola 190. At Eccleſia in Concilio Rhemenſi confirmato ab Eugenio III. hunc cum ceteris Abailardi erroribus proſcripſit.

Chriſtum in Cruce adhuc viuentem fuiſſe lancea vulneratum, reprobatur in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. contra Petrum Ioannis, tanquam apertè contrarium Euangelio Ioannis cap. 19.

Chriſtum nunquam reſurrexiſſe, ſed tamen aliquando reſurrecturum, error fuit Cerinthi, quem damnauit Concilium Nicænum ſub Syluestro Pontifice.

Surrexiſſe autem Chriſtum hora ſexta Sabbathi, inter errores Armenorum correxit Eccleſia in Concilio Florentino.

Aſcendiſſe Chriſtum in cœlum abſque carne humana, docuit Apelles, teſte D. Auguſtino libro de hæreſibus, ſed proſcribitur hæc doctrina in Concilio Epheſino III. cap. 13. ſub Cœleſtino primo.

Filium Dei ignorare vltimum mundi diem, cenſuerunt Monothelithæ, contra quos oppoſitum definiuit ſexta Synodus generalis; Conſtinop. ſiue in Trullo celebrata ſub Agathone Pontifice.

Porrò nos cum vera Eccleſia, Chriſtum pro omnibus, etiam reprobis mortuum eſſe: Non orauiſſe Patrem pro ſolis prædeſtinatis: Impetraſſe omnibus, etiam reprobis, auxilia ſufficientia ad ſalutem, contra recentiores horum temporum aſſertiones, fuſius ſupra ex Trid. & aliunde probauimus in *Controuerſia 3. de Gratia ſufficienti* §. 2. & 3.

## §. VI.

### *De Sacramentis, & eorum effectibus.*

DOgmata hæc variis Eccleſiæ decretis reprobantur, & à Trid. infra citando Seſſ. 3.

Sacramenta nullam per ſe cauſare gratiam, ſed tantum excitare fidem qua iuſtificamur.

Nouæ legis Sacramenta non differre à Sacramentis legis antiquæ, niſi quoad ceremonias, & ritus externos:

Illa Sacramenta eſſe tantum ſigna quædam externam acceptæ per fidem gratiæ, aut notas quaſdam Chriſtianæ perfectionis, quibus fideles ab infidelibus apud homines diſcernuntur.

Sacramenta nouæ legis ex opere operato non conferre gratiam, ſed tantum fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere.

In Baptiſmo, Confirmatione, & Ordine non imprimi Characterem in anima vnde illa iterari nequeant.

Chriſtianos omnes in adminiſtrandis Sacramentis poteſtatem habere.

In Miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem, ſaltem, faciendi quod facit Eccleſia.

Etiamſi Miniſtri in ſtatu peccati mortalis conſtituti ponat omnia requiſita ad eſſentiam, & collationem Sacramenti, ipſum tamen Sacramentum in eo ſtatu non conficere, aut conferre.

Ritus in Sacramentorum ſolemni adminiſtratione adhibeti conſuetos omitti poſſe, & per quemuis Eccleſiæ Paſtorem ſine peccato mutari.

Prædicta dogmata, & quædam alia de variis Sacramentis, damnata ſunt à Concilio Tridentino Seſſ. 3. in decreto de Sacramentis Eccleſiæ, contra varios noſtri temporis errores.

Cenſura recentioris Pontificum in Diplomate, *Prouiſionis noſtræ*, &, *In eminenti*, reprobatur doctrina ſequentium propoſitionum.

In Sacramento Baptiſmi, & Sacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur; & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat à reatu pœnæ.

Peccator pœnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggereat, & inſpirans viuificat eum, & reſuſciat, miniſterio autem Sacerdotis ſolus reatus tollitur.

In hominibus pœnitentibus ante Sacramentum abſolutionis, & in catechumenis ante Baptiſmum eſt vera iuſtificatio; ſeparata tamen à remiſſione peccatorum.

Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, vt ſancta Societate Deo homo inhæreat.

Satisfactiones laboriosæ iuſtificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.

Pro *Refutatione* horum dogmatum quæ poſtremo breuiter adduximus, tantum vſi ſumus decisionibus ac decretis Conciliorum, ac Pontificum, quæ, vt ſupra dixi, ſufficiunt cuius homini Catholico, vt errores à veritate diſcernat. Vt verò ex eadem refutatione hæreticus conuincatur, demonſtranda eſt illi infallibilis authoritas definitionum Eccleſiæ, ac Pontificis Romani, quam ſupra in polemicis

cis ſub initium validis argumentis ſtabilitam inuenies, pag. 34 & ſequentibus.

Doctrinam Theologicam de Sacramentis in genere, & de ſinguiis in ſpecie tradimus infra part. 3. tract. de Sacramentis, & ſæpius alibi inter Qnæſtiones modernas de quibus Index conſulendus, & quædam puncta de Pœnitentia in §. ſequenti.

## §. VII.

### *Alia Puncta doctrinæ Modernæ ad Pœnitentiam ſpectantia.*

CErtum eſt ex Tridentino *Seſſ.* 14. *cap.* 5. & *can.* 8. Sacramentnm pœnitentiæ non eſſe Carnificinam conſcientiarum, vt eam nobis hæterodoxi depingunt.

Certum eſt ex eodem *cap.* 6. & *can.* 9. Abſolntionem Sacerdotis non eſſe nudum miniſterium, ſine declarationem tantnm peccati à Deo remiſſi, ſed ipſi Abſolutioni ex inſtitutione diuina ineſſe virtutem abolendi peccata per confeſſionem clauibns rite ſubiecta.

Quia verò qnædam circumferuntur Dogmata, qnæ videri poſſint cum mente Tridentini, & cnm alijs ab Eccleſia conſtitutis minus conuenire; ad maiorem cautelam, Miſſionario Apoſtolico ea dogmata ad puncta quædam redacta hic breuiter proponemus, quamuis nonnulla colligi poſſint ex ijs quæ alibi in Tomo 2. deducemus.

### *Punct.* 1. *Neceſſitas dilectionis Dei.*

PRimò, Docent nonnulli, *Omnem actum humanum eſſe peccatum qui non exercetur ex amore Dei propter ſe dilecti.* Volunt enim in omnibus actibus amorem illum requiri ex primo Decalogi præcepto, Diliges Dominnm Deum tuum in toto corde tuo: nec poſſe omiſſionem iſtius dilectionis vlla ignorantia excuſari, cum ſit præceptnm iuris naturalis, à quo (vt ipſi aiunt) nulla ignorantia excuſat.

Damnanit autem Conſtitutione inuiolabili Pius V. & Gregorius XIII. hanc Baij propoſitionem 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitioſa eſt cupiditas qua mundus diligitur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffuſa Deus amatur.* Hanc damnatam, à priori quo modo diſcernes?

Quod ſi quis velit, in omni actione requiri amorem Dei ſuper omnia, & perfectum: Sequetur porrò, omnem prorſus actum humanum extra ſtatum gratiæ eſſe peccatum, quia quiſquis elicit actum charitatis perfectæ hoc ipſo ſtatum gratiæ adipiſcitur, etiam extra Sacramentum. Quinimo difficulter oſtendet ille, qni requirit amorem Dei ſuper omnia, ſe non exigere amorem perfectum. Quid enim eſt Deum amare perfectè, quam ſuper omnes creaturas diligere? Si dicas in amore perfecto requiri maiorem actus intenſionem, qnæro deſignari, penes qnem intenſionis gradum amor Dei perfectus ab imperfecto diſcernatur. Hunc ſanè gradum deſignari non poſſe fatentur ipſi, qui tamen per maiorem actus intenſionem, amorem Dei perfectum ab imperfecto diſcerni volunt, plura de hoc vide part. 3. tract. §. 2. & 3.

### *Punct.* 2. *Dolor ex metu gehennæ.*

EX ſuperiori doctrina profluit hæc: *Peccat omnis qui de peccatis dolet ex metu gehennæ abſque charitate. Imo etiamſi doleat ex deſiderio ſalutis æternæ.* Quia hic actus non concipitur ex amore Dei, ſed ex deſiderio ſalutis propriæ.

Doctrinam oppoſitam ſonat Tridentini canon. 8. *Seſſionis* 6. Si qnis dixerit gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccato abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores peiores facere, anathema ſit, de quo latius infra part. 3. quæſt. 21.

### *Punct.* 3. *Attritio in Sacramento.*

IN *Sacramento Pœnitentiæ non ſufficit Attritio, ſiue dolor de peccatis ex metu gehennæ, cum ſpe veniæ, & propoſito emendationis.*

Sufficere autem iſtam Attritionem ex Tridentino *Seſſ.* 4. *cap.* 4. aliiſque fusè oſtendo infra *Tom.* 2. *part.* 3. *q.* 21. §. 2.

Quod ſi qnis pergat ad dolorem in Sacramento requirere *Amorem Dei ſuper omnia, qui per ſe abſque Sacramento iuſtificet*; Vnum è duobus prætendere videbitur, Ant Abſolutionem Sacerdotis peccatorem Deo non reconciliare, contra Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 14. cum id per ſe præſtet ſolus ille amor ante abſolutionem elicitus. Aut certè dilectionem Dei ſuper omnia vim non habere per ſe reconciliandi peccatorem abſque Sacramento: quod damnatum eſt in Baij articulo 32. *Charitas illa quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.* Scopulus hic cautè vitandus, aliàs alterntra ex parte in doctrinam damnatam neceſſariò impinges. Cautè etiam examinanda ſunt Miſſionario de abſolutione pœnitentis in Sacramento pœnitentiæ alia dogmata hic ſequentia.

*Punct.*

*Punct. 4. Satisfactio ante abſolutionem.*

*NOn licet Sacerdoti peccatorem abſoluere niſi prius ſatisfactionem iniunctam expleuerit.*

Conſtat autem in Petro de Oſma Doctore Salmanticenſi damnatum eſſe à Sixto IV. hunc articulum: *Non peracta pœnitentia confitentes abſolui non debent*: patet Bullarij tom. 1. bulla 17. Et ſanè ſi iſta praxis noua ſeruanda foret, nullo modo excuſanda eſſet Eccleſia, quæ iſtum ordinem inter partes Sacramenti neceſſarium, per tot ſæcula in hunc vſque diem inuerti permiſiſſet, præſertim cum aliqui valint ordinem illum ad valorem Sacramenti neceſſario pertinere.

*P. 5. Confeſſionis inſtitutio.*

*CONfeſſio præcipuè inſtituta eſt, vt Sacerdos iniungat idoneas pœnitentias ac ſatisfactiones, quibus ante abſolutionem peccati malitia deleatur.*

Vide an hoc viam non ſternat, vt Abſolutio cenſeatur nudum & inane miniſterium, ſi ante illam delenda ſit peccati malitia, non verò dici debeat Abſolutio ſententia iudicialis per ſe remiſſiua peccati. Talem ſententiam abſolutionem eſſe affirmat, nudum verò miniſterium eſſe diſertè negat Tridentinum *Seſſ. 14. cap. 6.*

*P. 6. Dilatio Abſolutionis.*

*EXtra caſum neceſſitatis, non licet Sacerdoti peccatorem abſoluere, ſed differenda eſt abſolutio, niſi de illius interna conuerſione, ſiue diſpoſitione ſufficienti habeat Sacerdos iudicium moraliter certum abſque omni prudenti formidine.*

Aduerte quo vinculo hęc doctrina conſtringat manus Sacerdotis, & deprehendes vix illi relinqui poteſtatem abſoluendi, niſi in caſu neceſſitatis: ſic enim liceat argumentari. Non poteſt Sacerdos certior eſſe de conuerſione interna & ſufficienti peccatoris, quam ipſe qui confitetur: imò non niſi ex ipſo pœnitente poteſt conuerſio eius interna Sacerdoti conſtare. Atqui ipſe peccator non poteſt plerumque ita eſſe moraliter certus de ſua conuerſione interna, vt nullus prudenti formidini locus relinquatur: aliàs quoties actu percipit abſolutionem, poterit certò & abſque formidine illi conſtare de ſua iuſtificatione, quod eſt contra communem ſenſum & ſententiam. Ergo vix dabitur caſus quo extra neceſſitatem ſacerdos poſſit peccatori abſolutionem impertiri, ſi vera ſit ferrea lex, quam dogma hoc recens tam Sacerdoti, quam pœnitenti imponit. Contra vero doctrina communis tradit, de interna pœnitentis conuerſione certitudinem non requiri, ſed ſufficere prudens iudicium, ſiue rationi non ieui innixum, etſi relinquatur etiam aliqua prudens formido de ſufficienti illius diſpoſitione.

*P. 7. Conſuetudo peccandi.*

*NIſi adſint ſigna conuerſionis omninò extraordinaria, & niſi abſit caſus neceſſitatis, differenda eſt abſolutio peccatori habenti conſuetudinem peccandi, qui ante abſolutionem notabili tempore vitam non immutauerit, etſi cum lachrymis promittat vitare occaſiones peccandi, & paratum ſe præbeat vt adhibeat remedia à Confeſſario præſcribenda.*

Certum eſt, doctrinam hanc aduerſari communi praxi Eccleſiæ, prout ea colligitur ex Authoribus eiaſſicis & maximè probatis; nullam hi admittunt legem vniuerſalem differendi abſolutionem peccatori laboranti conſuetudine peccandi, ſi talem oſtendat diſpoſitionem, qualem iam deſcripſi. Minimè igitur tutum videtur auſcultare paucorum ſenſum cum tanta Sacramenti, & pœnitentis iniuria Sacramenti quidem, quia praxis iſta paulatim à Confeſſionis vſu plurimos deterreret, qui experti fuiſſent ſe cum ſingultu ac ſinceris lachrymis abſolutionis beneficium fruſtra impioraſſe. Accedit iniuria pœnitenti irroganda, ſi repellatur ab auxilijs quæ virtute Sacramenti conferuntur, vt conſuetudini prauæ potentius reſiſtat: & prępoſterè adigatur ne medicinam percipiat, niſi prius morbum curauerit. Quantum poſſit hæc praxis incommodi procreare Miſſionario, dum plura loca vnus, & ratò perluſtrat, ſatis edocet aſſiduus vſus & experientia.

*P. 8. Timor relapſus.*

*ILlicitum eſt abſoluere peccatorem, quamuis de ſufficienti illius dolore Sacerdos ſit moraliter certus, ſi adſit probabilis timor de relapſu.*

Si vera eſſet hæc doctrina, nunquam liceret Sacerdoti abſoluere peccatorem qui peccandi conſuetudinem actu non depoſuit, niſi forte in mortis articulo. Atqui hoc eſſe contra receptam in Eccleſia praxim, & conſenſum Doctorum, ignorare nemo poteſt, niſi qui in Theologorum placitis cupit eſſe peregrinus. Probatur autem antecedens; Quia quamdiu non eſt depoſita conſuetudo ad peccatum

in-

inclinans, potaſt ſubeſſe probabilis metus de relapſu in priora peccata, ac proinda ſi his authoribus credimus, pœnitens conſuetudine prævia nondum actu depoſita nunquam erit abſoluendus. Quid ergo ſi aliquis ad plures annos cum inueterata conſuetudine ſeriò depugnet, nondum ex integro victor? Erit etiam illi pluribus annis de abſolutionis beneficio deſperandum: quod dici nequit.

### P. 9 *Emendatio pro tempore notabili.*

*Invalida quoque eſt abſolutio peccatoris, qui nondum exuit conſuetudinem peccandi, & de quo eſt probabilis timor ne relabatur, ſed debet abſolutio differri donec peccator notabili tempore vitam emendauerit.*

Ex hac doctrina ſequi videtur idem incommodum quod ex ſuperiori. Sequitur inſuper inualidas eſſe confeſſiones durante conſuetudine peractas, & plerumque tanquam ſacrilegas neceſſariò repetendas, nec id diſſimulant iſtius dogmatis authores. Per hoc autem induci videtur nouum præceptum à praxi fidelium, & à mente Tridentini alienum *Seſſ.* 14. *cap.* 4. vbi ad Valorem Sacramenti tantum requirit. Animi dolorem ac deteſtationem de peccato commiſſo, eum propoſito non peccandi de cætero, nec addit, debere vitam eſſe emendatam notabili tempore, aut ex vi propoſiti certò conſtare pœnitentem non relapſurum.

### P. 10. *Obſeruatio remediorum.*

*Pro irrita etiam habenda eſt abſolutio Sacerdotis, quando pœnitens poſtea non obſeruauit ea quæ ad remedium à Sacerdote abſoluente præſcripta fuere.*

Supponit hæc doctrina abſolutionem illam eſſe irritam, eo quod pœnitens dum abſolueretur, non habuerit propoſitum efficax vitandi peccata de cætero. Supponit autem defuſſe tale propoſitum, quia non eſt ſecuta obſeruatio mediorum ad abſtinendum deinceps à peccatis. Quia, inquiunt, ſi pœnitens efficaciter intendiſſet finem, intendiſſet pariter media: Atqui non eſt ſecuta obſeruatio mediorum, ſiue remediorum ad vitanda peccata; Ergo defuit illi propoſitum efficax deinceps abſtinendi à peccatis, quod requiritur ad valorem Sacramenti.

Error iſtius augmentationis in eo potiſſimum verſatur, quod ſupponat diſpoſitionem præſentem eſſe ineficacem & inſufficientem, ſi non duret eadem diſpoſitio pro tempore futuro, & non inferat applicationem mediorum. Ac ſi prima diſpoſitio etſi optima, non eſſet mutationi obnoxia, nec poſſit variis modis, & illecebris debilitata paulatim deficere. Cauendum in ſuper eſt ne hac via pedetentim accedatur ad doctrinam in Tridentino damnatam. *Seſſ.* 6. *cap.* 25. Vbi anathema intorquet, ſi quis dicat, eum qui labitur, & peccat, nunquam verè fuiſſe iuſtificatum.

### P. 11. *Dilatatio pro quouis mortali.*

*Differenda eſt abſolutio etiam cuiuis peccatori culpam lethalem confeſſar donec notabili tempore vitam emendauerit niſi abſolutionem efflagitet iuſta neceſſitas, vel adſint ſigna conuerſionis omnino extraordinaria.*

Peccat hæc praxis in eo, quod requirat ante abſolutionem à quouis etiam peccato grauiori præmitti notabili tempore emendationem ac ſatisfactionem. Ac ſi non poſſit homo, gratia Dei & libero arbitrio inſtructus, vel ſubitò, vel breui ſaltem tempore ad meliorem frugem ſe conuertere. Cùm ſupponendum ſit peccatorem ſufficientis gratiæ adiutorio non deſtitui.

Argumentum quod aliqui in oppoſitum adducunt, à ſimilitudine Medici corporalis qui vult ægrum identidem redire, vt ſciat quid medicamenta præſcripta profuerint, videtur potius contra dilationem iſtam abſolutionis militare. Nam imprudens omninò cenſeretur Medicus, qui v. g. Sagittam vulnus lethare inferentem non prius extraheret quam patiens illa ſagitta confixus, eſſet per alia remedia valetudini reſtitutus. Peccatum mortale eſſe huiuſmodi ſagittam docet non tantum S. Chryſoſtomus, ſed etiam poſt illum ipſe Catechiſmus Romanus cap. 5. num. 97. *Non ſatis eſt* (inquit) *Sagittam à corpore extrahi, ſed plaga quoque à Sagitta inflicta curanda eſt. Sit etiam in anima poſt receptam peccati veniam pœnitentia curanda eſt plaga relicta.*

Et Catechiſmus idem cap. 5. num. 82. *Si* (inquit) *audita confeſſione Confeſſarius iudicauerit, neque in enumerandis peccatis diligentiam, neque in deteſtandis dolorem pœnitenti omninò defuiſſe, abſolui poterit.* Poteſt autem Confeſſarius aduertere illum dolorem, & diligentiam adfuiſſe *immediatè* ante abſolutionem. De his agimus ſuſius infra *part. III. Tract. II. quæſt. 14. & 15 item Tract. IV. cap. 5. circa finem.*

P. 12. *Absolutio, & confessio venialium.*

CAuenda quoque sunt hæc noua quorumdam dogmata. *Improbanda est frequens absolutio à peccatis venialibus, qualis in Monasterijs est vsitata.* 2. *Apud Christianos primitiuæ Ecclesiæ non erat vsus confitendi venialia.*

Opponitur generatim vtrique propositioni doctrina Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 5. Peccata [*inquit*] venialia rectè, & vtiliter, & citra omnem præsumptionem in confessione dicuntur, quod Piorum hominum vsus demonstrat. Agnoscit Concilium illum esse vsum piorum hominum, eumque esse rectum, & vtilem. Infero primo, Ergo rectè tam in Monasterijs, quam à pijs passim hominibus praxis illa vsurpatur. Et ne dicas posse quidem fideles ea peccata vtiliter confiteri, non tamen absolui, & expiari, Contrarium ibidem innuit Tridentinum, dum subdit, eadem multis *alijs modis expiari*. Infero secundò, Ergo Confessio venialium apud fideles pios, ac probos fuit in vsu in primitiua Ecclesia. Hoc si neges, infero vlterius: Ergo in primitiua Ecclesia ab Apostolis edocta, peccata venialia non errant materia idonea Sacramenti pœnitentiæ, alias Christiani in primæua Ecclesia pij ac feruentes illa confiteri non prætermisissent: esse autem venialia materiam Sacramenti, nemo vt arbitror orthodoxus inficiabitur.

Vt hæc periculosa dogmata Apostolicæ doctrinæ amatores auertentur, non parum conducet digitum intendere in fontem minimè sincerum ex quo hi pernicioſi riuuli in aliorum libellos profluxerunt. Delibo pauca ex Litteris Abbatis Sancyrani *part.* 1. *let.* 32. Confessio [*inquit*] peccatorum venialium non fuit in vsu ordinario per Ecclesiam nisi valdè serò ad expiationem ipsorum: quia spatio mille annorum, & amplius iusti, qui ea committebant, satis habebant vt plurimum eligere sua sponte quasdam pœnitentias leues, priusquam assisterent Sancto Missæ Sacrificio.

Hic ille est Sancyranus proprio nomine Ioannes Vergerius, qui inter alia nouæ doctrinæ capita, statuit æqualitatem omnimodam inter S. Petrum, & S. Paulum absque subordinationem in potestate suprema, & regimine vniuersalis Ecclesiæ. Hanc autem doctrinam, nec non quoslibet libros illam continentes, ab Innocentio X. constat esse authoritate Apostolica profligatam, & omni censura dignissimam.

## Exemplar Diplomatis Vrbani VIII. Anno 1641. Confirmantis Constitutiones Pij V. & Gregorij XIII. contra Propositiones vulgò Baianas ab ijsdem prohibitas, &c. Item Constitutio Alexandri VII. & Prædecessoris contra Propositiones Cornelij Iansenij: Et alia huc pertinentia.

QVoniam in hoc Opere, & in alijs hoc tempore Controuersijs non rarò occurrit mentio prædictorum Dogmatum, & quæstionum ex illis emergentium: hinc sæpè dubitatur, qualia sint singula dogmata, quo modo, tempore, tenore proscripta. Per commodum igitur pluribus erit, præsertim Missionarijs, si hic ipsa Pontificum Diplomata, & dogmatum seriem, ac verba integrè exhibeamus. Vt quoties de his dubium exoritur, ad primæuum, & sincerum Fontem recurratur.

### Vrbanus Episcopus Seruus seruorum Dei.

*Ad perpetuam rei Memoriam.*

IN Eminenti Ecclesiæ militantis Sede, meritis licet imparibus constituti, sedulò meditamur, vt quæ, ad fidei Catholicæ conseruationem, à Prædecessoribus nostris prouidè statuta, & ordinata sunt, firmiter perpetuo obseruentur; & cum opus sit, nostræ auctoritatis munimine confirmentur. Dudum siquidem à sel. record. Pio Papa V. Prædecessore nostro emanauit Constitutio tenoris subsequentis, videlicet, PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei. Ad futuram rei memoriam. Ex omnibus afflictionibus, quas in hoc loco à Domino constituti, tam luctuoso tempore sustinemus, ille animum nostrum præcipuè excruciat dolor, quòd Religio Christiana tantis iam pridem turbinibus agitata, nouis quotidie propositis Opinionibus conflictetur, Christique populus antiqui hostis suggestione dissectus, in alios, atque alios errores passim, & promiscuè deferatur. Quantum verò ad Nos attinet, totis viribus conamur, vt illæ, simul atque prosiliunt, penitus opprimantur. Magno enim mœrore afficimur, quod plerique, spectatæ alioqui probitatis, & doctrinæ, in varias sententias, offensionis, & periculi plenas, tum verbo, tum scriptis prorum-

rumpunt; deque eis etiam in Scholis, inuicem controuerſantur; eiuſmodi ſunt ſequentes.

1. *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita rectè vocantur Gratia.*

2. *Sicut opus malum ex natura ſua eſt mortis æternæ meritorium, ſic bonum opus ex natura ſua eſt vitæ æternæ meritorium.*

3. *Et bonis Angelis, & primo Homini, ſi in ſtatu illo perſeueraſſet vſque ad vltimum vitæ, felicitas eſſet merces, & non gratia.*

4. *Vita æterna Homini integro, & Angelo promiſſa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam conſequendam per ſe ſufficiunt.*

5. *In promiſſione facta Angelo, & primo Homini continetur naturalis iuſtitiæ conſtitutio, qua pro bonis operibus, ſine alio reſpectu, vita æterna iuſtis promittitur.*

6. *Naturali lege conſtitutum fuit homini, vt ſi in obedientia perſeueraret, ad eam vitam pertranſiret, in qua mori non poſſet.*

7. *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; ſed iuxta modum loquendi Scripturæ ſacræ non rectè vocantur gratia; quo fit, vt tantùm merita, non etiam gratia debeant nuncupari.*

8. *In redemptis per gratiam Chriſti, nullum inueniri poteſt bonum meritum, quod non ſit gratis indigno collatum.*

9. *Dona conceſſa Homini integro, & Angelo, forſitan, non improbanda ratione, poſſunt dici gratia; ſed quia ſecundum vſum Sacræ Scripturæ, nomine gratiæ, ea tantùm munera intelliguntur, quæ per Ieſum Chriſtum malè meritis, & indignis conferuntur, ideoque neque merita, neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.*

10. *Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimiſſo ſæpè remanet, & corporis reſurrectio, propriè non niſi meritis Chriſti adſcribenda eſt.*

11. *Quod piè, & iuſtè in hac vita mortali, vſque in finem, conuerſati, vitam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturali ſtatim initio creationis conſtitutæ, iuſto Dei iudicio deputandum eſt, neque in hac retributione bonorum ad Chriſti meritum reſpicitur, ſed tantùm ad primam inſtitutionem generis humani, in qua, lege naturali conſtitutum eſt, vt iuſto Dei iudicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

12. *Pelagij ſententia eſt: Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non eſt Regni cœleſtis meritorium.*

13. *Opera bona à filijs adoptionis facta, non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, ſed tantùm ex eo, quod ſunt conformia legi, quodque per ea præſtatur obedientia legi.*

14. *Opera bona Iuſtorum non accipiunt in die Iudicij extremi ampliorem mercedem, quàm iuſto Dei iudicio mereantur accipere.*

15. *Ratio meriti non conſiſtit in eo, quod qui benè operatur habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum; ſed in eo ſolum, quod obedit Diuinæ legi.*

16. *Non eſt vera legis obedientia, quæ fit ſine Charitate.*

17. *Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt eſſe neceſſarium ad rationem meriti, vt homo per gratiam adoptionis ſublimetur ad ſtatum Deificum.*

18. *Opera Catechumenorum, vt fides, & pœnitentia ante remiſſionem peccatorum facta, ſunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipſi non conſequentur niſi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.*

19. *Opera iuſtitiæ, & temperantiæ, quæ Chriſtus fecit, ex dignitate perſonæ operantis non traxerunt maiorem valorem.*

20. *Nullum eſt peccatum ex natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.*

21. *Humanæ naturæ ſublimatio, & exaltatio in conſortium diuinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis, & proinde naturalis dicenda eſt, & non ſupernaturalis.*

22. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum Apoſtoli ad Romanos* 2. Gentes, qui legem non habent naturaliter, quæ legis ſunt, faciunt, *intelligunt de gentibus, fidei gratiam non habentibus.*

23. *Abſurda eſt eorum ſententia, qua dicunt, hominem ab initio, dono quodam ſupernaturali, & gratuito, ſupra conditionem naturæ ſuæ fuiſſe exaltatum, vt*

*Fide,*

Fide, Spe, & Charitate Deum ſupernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otioſis hominibus, ſecundum inſipientium Philoſophorum, excogitata eſt ſententia, quæ ad Pelagianiſmum reijcienda eſt, Hominem ab initio ſic conſtitutum vt per dona naturæ ſuperaddita, fuerit largitate conditoris ſublimatus, & ad Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium ſunt peccata, & Philoſophorum virtutes ſunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanæ naturæ exaltatio, ſed naturalis eius conditio.

27. Liberum arbitrium ſine gratiæ Dei adiutorio, non niſi ad peccandum valet.

28. Pelagianus eſt error, dicere, quod liberum arbitrium valet ad vllum peccatum vitandum.

29. Non ſoli fures ij ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis, & vitæ negant; ſed etiam quicunque aliunde, quam per ipſum in vitam iuſtitiæ (hoc eſt, ad all quam iuſtitiam) conſcendi poſſe docent.

30. Aut tentationi vlli, ſine gratiæ ipſius adiutorio reſiſtere hominem poſſe, ſic vt in eam non inducatur, ac ab ea non ſuperetur.

31. Charitas perfecta, & ſincera, quæ eſt corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, tam in Catechumenis, quàm in panitentibus, poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ eſt plenitudo legis, non eſt ſemper coniuncta cum remiſſione peccatorum.

33. Catbecumenus iuſtè, rectè, & ſanctè viuit, & mandata Dei obſeruat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remiſſionem peccatorum, quæ in Baptiſmi lauacro demum percipitur.

34. Diſtinctio illa duplicis amoris; naturalis videlicet, quo Deus amatur, vt auctor naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur, vt beatificator, vana eſt, & commentitia, & ad illudendum ſacris Litteris, & plurimis veterum teſtimonijs, excogitata.

35. Omne quod agit peccator, vel ſeruus peccati, peccatum eſt.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex ſola Philoſophia, per elationem præſumptionis humanæ, cum iniuria Crucis Chriſti defenditur à nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagia ſentit, qui boni aliquid naturalis, hoc eſt, quod ex naturæ ſolis viribus ortum ducit agnoſcit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Ioanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffuſa, Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiam ſi neceſſariò fiat, liberè tamen fit.

40. In omnibus ſuis actibus peccator ſeruit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui eſt à neceſſitate, ſub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, ſed ſolum nomen libertatis a peccato.

42. Iuſtitia, qua iuſtificatur per fidem impius, conſiſtit formaliter in obedientia mandatorum quæ eſt operum Iuſtitia, non autem in gratia aliqua animæ infuſa, qua adoptatur homo in filium Dei, & ſecundum interiorem hominem renouatur, ac Diuinæ naturæ conſors efficitur, vt ſic per Spiritum Sanctum renouatus, deinceps bene viuere, & Dei mandatis obedire poſſit.

43. In hominibus pœnitentibus, ante Sacramentum abſolutionis, & in Catbecumenis ante Baptiſmum, eſt vera iuſtificatio, ſeparata tamen a remiſſione peccatorum.

44. Operibus pleriſque, quæ à fidelibus fiunt, ſolum vt Dei mandatis pareant, cuiuſmodi ſunt, obedire parentibus, depoſitum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abſtinere, iuſtificantur quidem homines, quia ſunt legis obedientia et vera legis iuſtitia non tamen ijs obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Miſſæ non alia ratione eſt Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus, quod fit, vt ſancta ſocietate, Deo homo iubereat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium, nec definitionis quæſtio eſt, ſed cauſæ, et originis, vtrum omne peccatum debeat eſſe voluntarium.

47. Vnde peccatum originis verè habet rationem peccati ſine vlla relatione, ac reſpectu ad voluntatem, a qua originem habuit.

48. Peccatum originis eſt, habituali parvuli voluntate voluntarium, et habitualiter domi-

*dominatur parvulo, eò quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.*

49. *Et ex habituali voluntate dominante fit, vt parvulus decedens ſine regenerationis Sacramento, quando vſum rationis conſecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blaſphemet, & legi Dei repugnet.*

50. *Prava deſideria quibus ratio non conſentit, & quæ homo inuitus patitur, ſunt prohibita præcepto.* Non concupiſces.

51. *Concupiſcentia, ſiue lex membrorum, et prava eius deſideria, quę inuiti ſentiunt homines ſunt vera legis inobedientia.*

52. *Omne ſcelus eſt eius conditionis, vt ſuum authorem, & omnes poſteros eo modo inficere poſſit, quo infecit prima tranſgreſſio.*

53. *Quantum eſt ex vi tranſgreſſionis, tantum meritorium malorum à generante contrahunt qui cum minoribus naſcuntur vitijs, quàm qui cum maioribus.*

54. *Definitiua hæc ſententia, Deum hominibus nihil impoſſibile præcepiſſe, falſo tribuitur Auguſtino; cum Pelagij ſit.*

55. *Deus non potuiſſet ab initio talem creare hominem, qualis nunc naſcitur.*

56. *In peccato duo ſunt, actus & reatus: tranſeunte autem actu, nihil manet niſi reatus, ſiue obligatio ad pœnam.*

57. *Vnde in Sacramento Baptiſmi aut Sacerdotis abſolutione, propriè reatus peccati dumtaxat tollitur, & miniſterium Sacerdotum ſolum liberat à reatu.*

58. *Peccator pœnitens non viuificatur miniſterio Sacerdotis abſoluentis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens, & inſpirans, viuificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotis ſolum reatus tollitur.*

59. *Quando per eleemoſynas aliaque pœnitentiæ opera Deo ſatisfacimus pro pœnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis noſtris offerimus, ſicut quidam errantes autumant (nam alioqui eſſemus ſaltem aliqua ex parte, redemptores) ſed aliquid facimus cuius intuitu Chriſti ſatisfactio nobis applicatur, & communicatur.*

60. *Per paſſiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non propriè redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impartiuntur vt digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis, liberemur.*

61. *Celebris illa Doctorum diſtinctio, Diuinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum ſubſtantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet ſecundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc eſt, ad modum meritorum) commenticia eſt, & explodenda.*

62. *Illa quoq; diſtinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex obiecto, & omnibus circumſtantijs rectum eſt, & bonum (quod moraliter bonum appellare conſueuerunt) vel quia eſt meritorium Regni æterni, eo quod ſit à vivo Chriſti membro per Spiritum charitatis reijcienda eſt.*

63. *Sed & illa diſtinctio duplicis iuſtitiæ, alterius, quæ ſit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ ſit ex inſpiratione quidem Spiritus Sancti, cor ad pœnitentiam excitantis, ſed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua diuinæ Legis iuſtificatio impleatur, ſimiliter reijcitur.*

64. *Item, & illa diſtinctio duplicis viuificationis, alterius, qua viuificatur peccator dum ei pœnitentiæ, & vitæ nouæ propoſitum & inchoatio per Dei gratiam inſpiratur, alterius qua viuificatur, qui verè iuſtificatur & palmes viuus in vite Chriſto efficitur, pariter commenticia eſt, & Scripturis minimè congruens.*

65. *Non niſi Pelagiano errore admitti poteſt vſus aliquis liberi arbitrij bonus, ſiue non malus; & gratiæ Chriſti iniuriam facit, qui ita ſentit, & docet.*

66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

67. *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod neceſſariò facit.*

68. *Infidelitas purè negatiua in his, in quibus Chriſtus non eſt prædicatus, peccatum eſt.*

69. *Iuſtificatio impij fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inſpirationem gratiæ, quæ per eam iuſtificatos faciat implere legem.*

70. *Homo exiſtens in peccato mortali ſine in reatu æternæ damnationis, poteſt habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta, poteſt conſiſtere cum reatu æternæ damnationis.*

71. *Per contritionem, etiam cum charitate*

*tate perfecta, & cum voto ſuſcipiendi Sacramentum coniunctam, non remittitur crimen, extra caſum neceſſitatis, aut Martyrij ſine actuali ſuſceptione Sacramenti.*

72. *Omnes omninò iuſtorum afflictiones, ſunt vltiones peccatorum ipſorum; vnde & Iob, & Martyres quæ paſſi ſunt, propter peccata ſua paſſi ſunt.*

73. *Nemo præter Chriſtum, eſt abſq; peccato originali, hinc B. Virgo mortua eſt propter peccatum ex Adam contractum, omneſque eius afflictiones in hac vita, ſicut, & aliorum Iuſtorum, fuerunt vltiones peccati actualis, vel originalis.*

74. *Concupiſcentia in renatis relapſis in peccatum mortale, in quibus iam dominatur, peccatum eſt, ſicut & alij habitus praui.*

75. *Motus praui concupiſcentiæ ſunt, pro ſtatu hominis vitiati, prohibitis præcepto,* Non concupiſces; *Vnde homo eos ſentiens & non conſentiens, tranſgreditur præceptum* Non concupiſces; *quamvis tranſgreſſio in peccatum non deputetur.*

76. *Quamdiu aliquid concupiſcentia carnalis in diligente eſt non facit præceptum,* Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.

77. *Satisfactiones laborioſæ Iuſtificatorum, non valent expiare de condigno pœnam temporalem reſtantem poſt culpam condonatam.*

78. *Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, ſed naturalis conditio.*

79. *Falſa eſt Doctorum ſententia, primum Hominem potuiſſe a Deo creari, & inſtitui ſine Iuſtitia naturali.*

Quas quidem ſententias ſtricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto ſuſtineri poſſent, in rigore, & proprio verborum ſenſu ab aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, ſuſpectas, temerarias, ſcandaloſas, & in pias aures offenſionem immittentes, reſpectiuè, ac quæcunque ſuper iis verbo, ſcriptoq; emiſſa, præſentium auctoritate damnamus, circumſcribimus, & abolemus; deq; iiſdem, & ſimilibus poſt hac, quoquo pacto, loquendi, ſcribendi, & diſputandi, facultatem quibuſcumq; interdicimus. Qui ſecus fecerint, ipſos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficijs, & officijs perpetuò priuamus, ac etiam inhabiles ad quæcunque decernimus, Vinculo quoq; anathematis eo ipſo innodamus, à quo, nullus Romano Pontifice inferior, valeat ipſos, excepto mortis articulo, liberare. Ceterum, vt iam commori his de rebus tumultus, & contracta odia facilius comprimi poſſint, ſimulque animarum ſaluti plenius conſulatur. Dilecto filio noſtro Antonio tituli S. Bartholomæi in Inſula Presbytero Cardinali Granuelano nuncupato, per Apoſtolica ſcripta mandamus, vt ipſe, quid ad perpetuam dictarum ſententiarum, & ſcripturarum abolitionem, quid ad arcenda huiuſmodi proloquia, & diſputationes, quid denique ad vnionem, & pacem cum communi omnium, & Eccleſiæ Catholicæ ſatisfactione componendam, facto opus ſit, in primis diligenter expendat; deinde in iis omnibus, quæ pro communi ſalute, tranquillitate, & honore optimum iudicauerit, ſalua ſemper Eccleſiæ prædictæ vnitate, etiam per alium, ſeu alios, fide doctrina & religione præſtantes, ocyùs exequatur, faciatque, quidquid decreuerit, inuiolatè ab omnibus obſeruari. Contradictores quoslibet per cenſuras, & pœnas prædictas, ceteraq; iuris, & facti remedia opportuna, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio Brachij ſæcularis: Non obſtantibus, quòd forſitan aliquibus ab Apoſtolica ſit Sede Indultum quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto huiuſmodi mentionem: Et quibuslibet alijs priuilegijs, exemptionibus, Indulgentijs, & litteris Apoſtolicis ſpecialibus, vel generalibus, quorumcumq; tenorum exiſtant, per quæ præſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus præſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de quibus eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris litteris mentio ſpecialis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ damnationis, circumſcriptionis, abolitionis, interdicti, decreti, & mandati priuationis & innodationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſeptimo, Kalendis Octobris, Pontificatus Noſtri Anno ſecundo.

*Poſtea inſeritur in eadem ſententiam Conſtitutio Gregorij XIII. edita 4 Kal. Feb. an. 1579. Ipſa verò Vrbani Conſtitutio edita eſt Romæ anno 1641.*

NOTA.

Circa tenorem prædictæ Bullæ cæperunt aliqui contendere, non debere apponi Commæ siue virgulam, quę superius notatur post illa verba *sustineri possint*, ac si sensus esset ex illis proscriptis Sententijs, nonnullas aliquo pacto sustineri posse in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento. Verùm ne vlla prorsus remaneret ansa dubitandi, curauit Pontifex deputatis Academiæ Louaniensis Romæ existentibus per tres Cardinales Bullam ritè notatam, & authenticam in manus consignari. Idq; testatur ipsum S. Congr. Decr. dat. 16. Iun. an. 1644. cuius hic verba subijcio: *Sanctitas sua omnibus ritè perpensis, & consideratis, mandauit ex Archiuo eiusdem Congregationis, & ex Matrice Actorum, quæ in eodem Archiuo conseruantur, extrahi siue transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar præfatæ Bullæ, illudq; sic extractum, collationatum, impressum, ijdē Vtriebio & Papio (deputatis) per supradictas DD. Cardinales Spadam, Pamphilium, & Falconerium consignari &c.* Tradita autem est illis Bulla cum dicto Commate per eosdem Cardinales, præsente etiam Sacræ Gen. Inquisitionis Assessore Francisco de Albicis, nunc S. R. E. Cardinali, die 29. Iulij 1644. Possint & hodie eiusdem exempla satis authentica exhiberi. Et sanè res per seipsam manifesta est. Vana namque esset Constitutio Pontificia *damnans siue transcribens, absens* aliquas Propositiones, quæ tamen sustineri possint in rigore ac proprio verborum sensu ab assertoribus intento: quæ enim sic sustineri possint, non pro damnatis, sed absolutè pro legitimis & veris in quouis tribunali habendæ forent.

# ALEXANDRI VII.

## *Constitutionis Innocentij X. Confirmatio, et Declaratio contra doctrinam Iansenij.*

ALexander Episcopus Seruus Seruorum Dei Vniuersis Christi Fidelibus salutem & Apostolicam Benedictionem.

Ad sacram B. Petri Sedem & Vniuersalis Ecclesiæ regimen inscrutabili Diuinæ prouidentiæ dispositione nullis nostris suffragantibus meritis euecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quàm vt Sanctæ fidei nostræ ac sacrorum dogmatum integritati tradita Nobis à Deo potestate opportunè consuleremus. Ac licet ea quæ Apostolicis Constitutionibus abundè fuerunt definita, nouæ decisionis siue declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicè tranquillitatis perturbatores illa in dubium reuocare vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur, ne morbus iste latiùs diuagetur, promptum Apostolicæ Auctoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanauit siquidem alias à felicis recordationis Innocentio PP. X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio & Definitio tenoris qui sequitur, videlicet:

*Innocentius Episcopus Seruus Seruorum Dei Vniuersis Christi fidelibus Salutem & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione Impressionis libri, cui Titulus, Augustinus Cornelij Iansenij Episcopi Iprensis, inter alias eius opiniones orta fuerit, præsertim in Gallijs, controuersia super quinque ex illis, Complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, vt easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de vnaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor verò præfatarum Propositionum est, prout sequitur.*

*Prima: Aliqua Dei præcepta Hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deest quoq; illis Gratia, qua possibilia fiant.*

*Secunda: Interiori Gratiæ in statu Naturæ lapsæ nunquam resistitur.*

*Tertia: Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non requiritur in Homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.*

*Quarta: Semipelagiani admittebant præuenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.*

*Quinta. Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò Hominibus mortuum esse, aut Sanguinem fudisse.*

*Nos quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assiduè pulsant, illa in primis cordi est, vt Ecclesia Dei nobis ex Alto commissa, purgatis prauarum Opinionum erroribus, tutiùs militare, & tanquam Nauis in tranquillo Mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, securè nauigare, & ad optatum salutis Portum peruenire possit, prærei grauitate coram aliquibus S. & R.*

Con-

*Cardinalibus ad id ſpecialiter ſæpius congregatis à pluribus in Sacra Theologia Magiſtris, eaſdem Quinque Propoſitiones, vti ſupra Nobis oblatas, fecimus ſingillatim diligenter examinari, eorumq; ſuffragia, tum voce tum ſcripto relata maturè conſideravimus, eoſdemq; Magiſtros, variis eorum nobis actis Congregationibus prolixè ſuper eiſdem, ac ſuper earum qualibet differentes audiuimus. Cum autem ab initio huiuſmodi diſcuſſionis ad Diuinum implorandum auxilium multorum Chriſti fidelium preces, tum priuatim, tùm publicè indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem feruentius, ac per nos ſollicitè implorata Sancti Spiritus aſſiſtentia, tandem Diuino Numine fauente, ad infraſcriptam deuenimus Declarationem, & Definitionem.*

*Primam prædictarum Propoſitionem: Aliqua Dei præcepta Hominibus Iuſtis volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent Vires, ſunt impoſſibilia, deeſt quoq; illis Gratia, qua poſſibilia fiant: Temerariam, Impiam, Blaſphemam, Anathemate damnatam, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

*Secundam: Interiori Gratiæ in ſtatu Naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

*Tertiam: Ad merendum, & demerendum in ſtatu Naturæ lapſæ non requiritur in Homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à Coactione: Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

*Quartam: Semipelagiani admittebant præuenientis Gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant Hæretici, quod vellent eam Gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare: Falſam, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

*Quintam: Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, Falſam, Temerariam, Scandaloſam; & intellectam eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat Prædeſtinatorum mortuus ſit: Impiam, Blaſphemam, Contumelioſam, Diuinæ Pietati Derogantem, & Hæreticam declaramus, & vti talem damnamus.*

*Mandamus igitur omnibus Chriſti fidelibus vtriuſq; ſexus, ne de dictis Propoſitionibus ſentire, docere, prædicare aliter præſumant, quam in hac preſenti noſtra Declaratione, & Definitione continetur ſub cenſuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in iure expreſſis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordinarijs, nec non Hæreticæ prauitatis Inquiſitoribus, vt Contradictores, & Rebelles quoſcumq; per cenſuras, & pœnas prædictas, cæteraq; iuris, & facti remedia opportuna, inuocato etiam ad hoc (ſi opus fuerit) Auxilio Brachij Secularis, omninò coerceant, & compeſcant. Non intendentes tamen per hanc Declarationem & Definitionem ſuper prædictis Quinque Propoſitionibus factam, approbare vllatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelij Ianſenij Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo tertio, pridie Kal. Iunij, Pontificatus Noſtri Anno Nono.*

Cum autem, ſicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij prædictas Quinque Propoſitiones vel in libro prædicto eiuſdem Cornelij Ianſenij non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento damnatas fuiſſe, aſſerere magno cum Chriſti fidelium ſcandalo non reformident; Nos, qui omnia, quæ hac in re geſta ſunt, ſufficienter, & attente, perſpeximus, vtpotè qui eiuſdem Innocentij Prædeceſſoris iuſſu, dum adhuc in minoribus conſtituti Cardinalis munere fungeremur, omnibus illi congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſtolica Auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt ea profectò diligentia qua maior deſiderari non poſſet; quamcumq; dubitationem ſuper præmiſſis imposterum auferre volentes, vt omnes Chriſti fideles in eiuſdem fidei vnitate ſeſe contineant, ex debito noſtri Paſtoralis Officij s matura deliberatione præinſertam Innocentij Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, Declarationem, & Definitionem harum ſerie Confirmamus, Approbamus, & Inuocamus, & Quinque illas propoſitiones ex libro præmemorati Cornelij Ianſenij Epiſcopi Iprenſis, cui titulus eſt Auguſtinus, excerptas ac in ſenſu ab eodem Cornelio Ianſenio intento damnatas fuiſſe Definimus, & Declaramus, & vti tales, inuſta ſcilicet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta Declaratione, & Definitione vnicuique illarum ſingillatim inuritur, iterum damnamu

ac eundem liberum sæpe dicti Cornelij Iansenij, cui titulus Augustinus, omnesque alios tam manuscriptos, quam typis editos, & si quos forsan impostorum edi contigerit, in quibus prædicta eiusdem Cornelij Iansenij doctrina, vt supra, damnata defenditur vel adstruitur, aut defendetur, & adstruetur, damnamus itidem atque prohibemus. Mandantes omnibus Christi fidelibus, ne prædictam doctrinam teneant, prædicent, docerant, verbo vel scripto exponant, vel interpretentur publicè vel priuatim, palam vel occultè, imprimantue sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in Iure expressis, ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæteriſque Locorum Ordinarijs ac Hæreticæ prauitatis Inquisitoribus ac Iudicibus Ecclesiasticis ad quos pertinet, vt præinsertam eiusdem Innocentij Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitionem iuxta præsentem nostram dererminationem ab omnibus obseruari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis aliisque iuris, & facti remedijs, inuocato etiam si opus fuerit brachij sæcularis auxilio, omninò coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo septimo Kal. Nouembris, Pontificatus nostri Anno secundo.

## NOTA.

Præter hanc doctrinæ damnationem, cum Innocentio X. Prædecessore communem, in hac Bulla Alexandri VII. insuper diserte definiri, easdem quinque Propositiones ex libro Iansenij exceptas, *ac in sensu ab eodem Cornelio Iansenio intento damnatas fuisse*. Quia nempe aliqui prætendebant, Propositiones illas fuisse damnatas in sensu ab Authore non intento, Quinimo addebant alij, hanc rem de sensu Authoris, tanquam ad quæstionem facti pertinentem, non potuisse à Pontifice infallibili authoritate definiri, quod refutatur supra *part. 1. quæst. 3. pag.* 38.

Sed vt de *sensu ab Authore intento* plene satisfiat Lectori inconcussæ veritati studioso, opportunum erit hic exprimi ipsam Constitutionem Alexandri VII editam ad instantiam Regis Christianissimi, qua præscribitur forma subscribendi Bullæ Pontificiæ supra recitatæ,

*Decretum Alexandri VII. de sensu ab Authore intento, Clero Gallicano, ad instantiam Regis Christianissimi.*

# ALEXANDER EPISCOPVS

Seruus Seruorum Dei.

*Ad perpetuam rei memoriam.*

REgiminis Apostolici diuina Prouidentia nobis quamuis immeritis commissi ratio postulat, vt ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & Fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse iudicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino applicemus. Quamobrem Cornelij Iansenij hæresim, in Gallijs præsertim serpentem, ab Innocentio X. felicis recordationis Prædecessore nostro ferè oppressam, adinstar colubri tortuosi, cuius caput attritum est in varios gyros, & canillationum defluxus euntem, singulari Constitutione ad hanc finem edita, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus. Sed vt multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, vt omnes errantes in viam salutis redirent; qui tamen vnicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sanè studio venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi Regni Galliæ, earundem Constitutionum Apostolicarum executioni præcipuè intenti contulerunt; & charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus, singulari pietate auxiliarem dextram strenuo ac constantissimo animo porrexit. Cum autem præfatus Rex Christianissimus eodem religionis zelo ductus, per suum in vrbe Oratorem nobis significari exponique curauerit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ huius contagionis reliquijs extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam formulam subscriberent nostra auctoritate firmatam, in qua quinque propositiones ex Cornelij Iansenij libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincerè damnarent, ac proinde illam à Nobis quantociùs expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque remorandos obtentus flagrauerit. Nos tam pijs dictis Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducen-

tes,

tes, Formulam infra ſcriptam ab omnibus Eccleſiaſticis etiam venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, nec non alijs quibuſcumque Eccleſiaſtici ordinis, tam Regularibus, quam Sęcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliiſque Collegiorum Rectoribus atque Magiſtris ſubſcribi diſtrictè mandamus, idque intra tres menſes à die publicationis ſeu notificationis Præſentium; alias contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint, irremiſſibiliter procedi volumus iuxta canonicas Conſtitutiones, & Conciliorum Decreta.

*Formula à ſupradictis ſubſcribenda.*

EGo N. Conſtitutioni Apoſtolicæ Innocentij X. datæ die 31. Maij 1653. & Conſtitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me ſubijcio, & quinque Propoſitiones ex Cornelij Ianſenij libro, cui noman *Auguſtinus*, excerptas, & in ſenſu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Conſtitutiones Sedes Apoſtolica damnauit, ſincero animo reijcio ac damno, & ita iuro. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Dei Euangelia.

*Decernentes* inſuper præſentes Litteras ſemper & perpetuò validas & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenos & integros effectus ſortiri, & obtinere, ſicque per quoſcumque Iudices ordinarios & delegatos, vbique iudicari, & definiri debere, ſublata aliis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum & inane eſſe, ſi ſecus ſuper his à quocumque quauis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis & Epiſcopis, aliiſque locorum ordinarijs committimus, & mandamus, vt ſinguli in ſuis Diœceſibus, ac locis ſuæ Iuriſdictioni ſubiectis præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequi ac obſeruari ab omnibus curent, & inobedientes quoſcumque per Sententias, & pœnas, aliaque iuris & facti remedia, appellatione poſtpoſita, Inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, brachij ſęcularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, vt præſentium tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem fides prorſus adhibeatur [illegible] ipſis Originalibus Litteris adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc noſtram Conſtitutionem & Ordinationem infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem, anno Incarnationis Domin. 1664. 15. Kal. Mart. Pontificatus noſtri ann. 10.

Anno à Natiuitate Domini Noſtri IESV Chriſti 1665. Litteræ illæ affixæ & publicatæ &c. *I. Cardinalis Predatarius S. Vgolinus, vſus de curia P. Ciampinus.*

## CONCLVSIO.

HÆc ſunt ſupremi Paſtoris placita, hæc oracula indubitata. Quid igitur hæſitamus, & hæſitando diuini iudicij interminationem incurrimus? Aſſumpti ſumus in Clerum tam Sæcularem quam Regularem, vt populum Chriſtianum verbo, & exemplo doceamus. At quomodo ſperandum vt Fideles vocibus noſtris obtemperent, ſi ipſi ſupremi Doctoris placitis obluctemur? Nulli ſanè noſtram promiſſa eſt à Chriſto authoritas in docendo falli neſcia. Erratunt etiam ex Patribus bona mente viri Sancti, & doctrina illuſtres: nec ideo minus aut Patres, aut Sancti, aut illuſtres fuere. Sed in hoc magis Sancti, magis illuſtres, quod doceri non recuſauerint. Vnus eſt à Deo nobis conſtitutus Doctor ſupremus Patri ſucceſſor, Pontifex Romanus, vti iubentes agnoſcimus vniuerſi. Erranerit hoc ſæculo aliquis ſine in Dogmatum ſiue in Morum doctrina: nihil fecit niſi quod humanum eſt, & cum viris ſummis, ac ſanctis commune. Aſt errorem tueri, aut auſcultandi Chriſti Vicario remoras innectere, hoc nos neque viri Sancti, neque Patres docuere, quorum vox vna cum D. Auguſt. ſemper fuit. *Roma reſcripta dederunt, cauſa finita eſt.* Stemus igitur dociles & erecti ad vocem Paſtoris ſupremi, ſiue noſtra, ſiue aliena corrigentis, & vtrumque pari alacritate ſuſcipiamus. Si tuta amamus, hoc tutiſſimum, ſi certa quærimus, hoc certiſſimum, ſi Sancta ſectamur, hoc omnino ſanctiſſimum. Hoc vnum ſi, vt debemus, vnanimes ampiectimur, erit demum multitudini credentium cor vnum & anima vna: quod vnum, & porro neceſſarium, vnicè vouemus vniuerſi.

# NOTITIA GENERALIS

Dogmatum ſingulorum ab Eccleſia omni tempore damnatorum, cum ſuis Auctoribus, ac Refutatione. Item Singulorum Hæreticorum, cum tempore quo emerſerunt: Singulorum Patrum ac Scriptorum à quibus confutantur: ad certos titulos ordine alphabetico ſtudiosè ac commodiſſimè ſingula hic redacta.

## ANNOTATIONES AD SEQVENTIA.

*NIhil exiſtimaui poſſe commodius accidere doctrinæ Theologicæ ſtudioſis, quam ſi hanc Dogmatum damnatorum, eorumque Authorum, & oppugnatorum, & Eccleſiæ definitionum, ac cæterorum quæ poſtea adduco Notitiam ac Seriem tam expedito ordine in promptu haberent. Nihil certè difficilius, quàm quid in ſingulis Materijs damnatum ſit, prolixo per Authores innumero ſtudio inueſtigare. Nihil tamen vtilius quam ea in ſingulis Materijs comperta habere. Nihil denique commodius quam eadem, eorumque impugnationem* alieno labore *ſub certis titulis in ſequentibus reperire.*

*Sic enim facili negotio diſcernimus inter Dogmata certò damnata, & alia quæ in diſputationem venire poſſint. Sic etiam eorum Authores, & Damnationem, & Tempora ſingulari eruditione adducimus. Sic ad Scriptores, à quibus ſingulę impugnantur, vbi opus eſt, facile recurrimus.*

*Sic denique ipſam temporum Chronologiam, & locorum Topographiam in quibus ea dogmata emerſerunt, & eorum Authores, & Impugnatores vixerunt, in promptu poſſidemus. Quamuis nolim hæc ad Temporum, Locorum &c. amuſsim omnem reuocari, nam in illis ipſi Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores multum variare ſolent.*

*Scribunt fuſiſſimè Authores varij, quid in ſingulis materiis probabiliter diſputetur, ſed quid diſertè in ſingulis Damnatum ſit rariſſimè attingunt, quod tamen maximum adferret ſcriptionis commodum, & in Theologia vniuerſa compendium, quod, hic ſpecialiter intendimus.*

*Nullo denique modo poſſunt emergentes recenter Errores ſolidius aut clarius refelli, quam ex aliis in eodem genere pridem, & certò damnatis, vti ex ſequentibus ſtudioſus Lector facile perſpiciet.*

*Porro in fine* Tomi II. *& locis hic in decurſu citandis, adducuntur Noua præſentium temporum Dogmata damnata, & noui contra illa Scriptores, vti & alii in omni genere & materia Theologi, Controuerſiſtæ, Interpretes, Hiſtorici, Concionatores &c. quod maximum cenſeo ſtudioſo Lectori per omnes muneris ſui partes compendium, ac ſubſidium expediſſimum.*

DOGMA-

# DOGMATA HÆRETICORVM,

*Ac Damnata in quauis Materia, studiosè collecta, refutata, & ad suos Auctores, & Materiæ titulos ordine Alphabetico commodissimè redacta.*

## A

### ABSTINENTIA.

*Abstinentia* siue ieiunium nullius est apud Deum meriti. Auctor fuit *Iouinianus*, postea *VValdenses*, & *VVicleffita*, ac demum *Lutherus*. Contra hunc errorem scripsit *S. Hieronymus* librum contra Iouinianum de laudibus ieiunij, & *D. Ambrosius* de Elia, & ieinnio, vti infra tradetur in Catalogo Scriptorum contra has, & singulas hæreses. Damnatur etiam in Conc. *Gangrensi* decretorum c. 19. ann. 324. apud Baron. aliosue Eccles. Scriptores.

*Non debent* institui ieiunia ab Ecclesia, sed hoc relinquendum voluntati hominum. Auctor fuit *Aerius*, de quo S. Augustl. lib. de hæresibus c. 53. Illi adhæsit *Eustachius* Ponti Episcopus apud Socratem lib. 2. hist. Eccles. c. 24. Hos pridem ab Ecclesia damnatos in eodem Conc. *Gangrensi*, *Bracarensi*, & *Toletano*, sequi non verentur *Hæretici moderni*.

*Homo perfectus*, siue qui peruenit ad statum perfectionis, non obligatur ad ieiuninm. Auctores fuerunt, *Begardi*, & *Beguinæ*, in hoc damnati in Conc. generali *Viennensi* an. 1311.

### ADORATIO.

*Crux Christi* non est adoranda, nec aliæ ad illius imitationem factæ. Auctor huius teste VVaidensi de Sacramentalibus tit. 2. cap 16. fuit quidam *Claudius* Oxoniæ in Anglia ortus, circa annum 825. cuius errorem multo post suscitauit *VVicleffus* anno 1380. & sequuntur hæretici *moderni*. Damnatur in Conc. *Romano*, an. 732. & *Nicæn.* II. an. 786. aliisque seq.

Adoranda non est Sacrosancta *Eucharistia*. Auctor fuit Oecolampadius Germanus, & Monachus, cum sequacibus, quorum error damnatur in *Trid.* sess. 4. c. 5. an. 1551.

### ABSOLVTIO.

Poenitens *sola fide* absoluitur à suis peccatis, credendo se à Deo esse absolutum. Auctor fuit *Martinus Lutherus*, & *Islebicensis* in Saxonia: Damnatus anno 1517. primum à Leone X. postea in Tridentino: quem secutus est Zuinglius, Brentius, Melanchton, Carolstadius, Osiander, Bucerus, &c. secutus etiam est hunc errorem *Caluinus*. Damnatur autem in *Trid.* sess. 4. can. 9. an. 1551.

*Mulier aut puer*, æquè ac Papa, absoluere potest à peccatis. Author, *idem Lutherus* supra. Damnatur in *Trid.* sess. 4 can. 10.

### ADAM, ET EVA.

Adam, & Eua ob suam inobedientiam sunt perpetuò detrusi in infernum. Auctor fuit *Tatianus* Syrus Antiochiæ ortus, floruit circa an. 174. Damnatur in Conc. generali *Nic.* I. sub Syluestro Papa, & Constant. Imp. an 325.

Adam post peccatum amisit Dei imaginem. Auctor fuit *Origenes* Ægyptius in Alexandria ortus, anno 205. Reprobatur in Conc. *Romano* incepto sub Fabiano I Papa, & Martyre, expleto anno 258.

Si primi parentes permansissent in statu innocentiæ, numquam fuissent coituri ob humanam speciem propagandam. Auctores fuerunt *Armeni*, quorum Dux fuit Iacobus Syrus circa annum 455. damnatur in Concil. IV. generali Calcedonensi. anno 452. & *Lateranensi* sub Innocentio III. anno 1215. vbi alij Almerici Galli errores proscribuntur.

Adam fuisset mortuus, etiamsi non peccasset, & est mortuus conditione naturæ, non ex culpæ merito. Auctor fuit *Pelagius*. Anno 405. Reprobatur in Conc. II. *Milleuitano* cui interfuit S. Augustl. an. 416. & in Conc. VII. *Cartagin.* an. 418. quæ etsi fuerint prouincialia confirmata tamen fuerunt ab Ecclesia in sexto Synodo quæ in *Trullo* habita fuit.

Primi parentes ante peccatum erant cæci, & post ligni vetiti comestionem videre cœperunt. Hæresis hæc sine authore recitatur à Philastrio & D. Augustino in libris suis de hæresibus. Reprobatur in Conc. *Milleuitano* II. præsente D. Augustino, an. 416.

Eua cunctorum mater, non est ex Costa Adami formata, sed simul cum Adamo de limo terræ. Auctor ab aliquibus notatur Thom. de Vio ex patria Caietæ, an. 1517. aut forte alius quispiam, propter locum Gen. 1. *Masculum, & fœminam creauit eos*, non ritè intellectum. Sed clarus est locus Gen. 2. vbi Eua vocatur virago, quia de viro sumpta est, vti vniuersa intelligit Ecclesia.

## ADVLTERIVM.

MAtrimonium legitimè contractum, & perfectè consummatum dissolvitur ob coniugis adulterium: Auctor notatur *Montanus*, de quo infra titulo *Nuptiæ*.

## ANGELVS.

ANgeli siue boni siue mali non sunt à Deo creati. Auctor fuit *Hermannus Rifuich*, Hollandus laicus, anno 1502. qui ob varios errores supplicio affectus dicitur apud Fr. Bernardum de Luxemburgo. Error hic satis damnatur in Concil. *Lateranensi* anno 1215. tradente vnum esse Principium omnium visibilium, & inuisibilium.

Non dantur singulis hominibus aliqui Angeli custodes: Error *Caluini*.

## ANIMA.

ANima *rationalis* (vt rationalis est) non est forma corporis humani. Auctor fuit quidam *Petrus Ioan.* Biranensis diœcesis anno 1199 &c. Damnatur in Conc. *Viennensi* sub Clemente V. anno 1311. cuius verba habentur in lib. Epistol. Clementinarum de summa Trinitate &c.

*Spiraculum*, quod Deus spirauit in faciem Adæ, minimè est anima. Auctor fuit *Priscillianus* natione Hispanus in regno Castiliæ ortus, qui floruit, & postea sanctè obijt Brixiæ circa annum 378 Contrarium declaratur in Conc. IV. *Calcedonensi* sub Leone Papa, anno 452.

Anima Adæ *prius* creata est, deinde corpus formatum. Auctor fuit *Ioannes Hierosolymitanus*, anno 392. Reprobatur etiam in Conc. IV. *Calcedonensi*, supra.

Anima hominis est aut *Dei substantia*, aut ex Dei substantia, Auctor fuit (vti refert Philaster libro suo de hæresibus) *Nicolaus Diaconus*. Hunc etiam errorem suscitauit quidam Manes anno 277. huic etiam hæresi adhæsit Amidæus Syrus ex Mesopotamia in ciuitate Edessenorũ ortus. Hanc etiam cum magna pertinacia tutati sunt *Felix*, & *Faustus* Manichæi Afri apud Carthaginem orti, anno 404. Huic errori anathema dicit Conc. *Bracarense* 1. cap 5. Decretorum, anno 563.

Animæ non creantur à Deo. In hac hæresi est diuisio licet ad omnes ad vnum finem tendant *Hermias*, & alij populi Galatæ, docent animas creari ab Angelis ex igne, & spiritu, anno 170. Hunc errorem tutatus *Apollinaris* Grammaticus ex Alexandria Ægypti ciuitate ortus, anno 350. Eundem secutus est, & *Lucifer Calaritanus*, & in Insula Sardiniæ Episcopus, anno 371. Damnatur in Conc. *Nicæno* I. anno 325. desiniente in Symbolo Deum factorem omnium visibilium, & inuisibilium, quod etiam sequitur in Symbolo Conc. II. *Constantinopolitani*, anno 381.

Animæ hominum malæ conuertuntur post mortem in dæmones, & bruta animalia. Auctor fuit *Tertullianus*, cui errori occasionem præbuisse videntur verba Christi malè intellecta ad Iudæos, Ioannis 8. *Vos ex patre Diabolo estis*: Et Ioan. Baptistæ Matth. 3. *Progenies viperarum &c.* de quibus S. Augustin. de hæresibus cap. 86.

Anima hominis in morte corrumpitur. Quæ opinio diuisa est, licet omnes ad vnum finem tendant. Primi auctores fuerunt *Arabici* docentes animam hominis simul interire cum corpore, & in resurrectione corporum resurgere, anno 249. *Hermannus* autem *Rifuich* docet animas ita interire, vt nunquam redeant. Damnatur in Conc. gen. *Lateranensi* sub Leone X. anno 1515.

Animæ post mortem transeunt de corpore in corpus. Auctores fuerunt *Albigenses* anno 1176. hunc etiam errorem secuti sunt *Albanenses*: & pridem *Pythagoræ* Philosopho attribuitur. Damnatur in Conc. *Lateranensi* sub Alex. III. cum cæteris Albigensium erroribus, anno 1179.

Animæ ante corporis infusionem, peccauerunt, ideo sunt inclusæ in pœnam in corporibus tanquam in carcere. Auctor fuit *Origenes*, &c. hanc etiam hæresim secutus est *Priscillianus* Hispanus Anilæ ortus, anno 381. Damnatur in Conc. I. *Bracarensi*, decretorum cap. 6. an. 563.

## APOSTOLI.

APostoli prædicauerunt Euangelium solam litteraliter, non mysticè. Auctor fuit Abbas *Ioachim* Calaber de Curiario, an. 1189. In eundem errorem cecidit *Petrus Ioannes*: Reprobatur in Concil. *Lateranensi* sub Innoc. III. in cap. 2. cum alijs dicti Ioachimi erroribus, anno 1215.

Apostoli nec habuerunt, nec recepetunt pecuniam, nec aliquid in crastinum seruauerunt. Auctor fuit *Gerardus de Parma* ex familia de Sagarelis anno 1300. Contra est Conc. *Viennense* sub Clemente V. damnans errores *Beguardorum*, ex quibus illi *Gerardi* prodit an. 1311.

## AQVA.

Aqua eſt Deo coæterna. Hæreſis hæc recitatur à *S. Auguſtino* de hæreſibus 76. ex eo vt videtur orta, quod gen. 1. non fiat mentio creationis aquæ, ſed tantum cœli & terræ. Damnatur in Conc. 1. *Nicæno* anno 325. & habetur in cap *Firmiter*, de S. Trin. viſibilium & inviſibilium omnium.

Aqua non benedicta eſt tanti valoris, quanti eſt benedicta: & eſt opus Negromantia ad res benedicendas; non enim poſſumus facere res meliores benedictionibus, quam Deus eas per naturam condidit. Auctores fuerunt quidam *Flagellantes* ſic ab operibus dicti: huic errori adhæſere aliqui populi Angli Lolardi dicti, in alijs Sectatores VViclephi, anno 1450. Hanc doctrinam etiam tntatus eſt quidam *Ioannes Germanus* de VVeſtphalia ſuperiore, anno 1470. Damnatur in Conc. *Agathenſi* in Gallia, anno 494. & in *Hiſpalenſi* 2. an. 624. & in *Toletano* 4. cap. 8. decretorum, anno 633.

## B.

## BAPTISMVS.

BAptiſmus fit in igne & ſpiritu, non in aqua. Auctores fuerunt *Galatæ*, abuſi illis verbis Matthæi 3. *Ipſe vos baptizabit in Spiritu Sancto & igne*, vt refert S. Auguſtinus de hæreſibus cap. 59. Damnatur in Conc. *Florentino* ſub Eugenio IV. anno 1438. & in *Tridentino* ſeſſ. 7. can. 2.

Forma Baptiſmi vſitata non eſt vera forma &c. Ita docuerunt *Marcus AEgyptius*, ex Alexandria, anno 155. *Montanus* apud Miſniam Phrygiæ ortus, anno 173. *Paulus Syrus* ex Samoſatena vrbe, anno 266. Damnatur in Conc. I. *Nicæno*, anno 325. & in Conc. I. *Antiocheno* recepto in prædicto Nicæno.

Mortui ſunt baptizandi. Auctores fuere *Marcioniſtæ*, ſic dicti à Marcione eorum duce, an. 158. Damnatur in *Carthaginenſi* III anno 397. recepto poſtea in Synodo generali in Trullo celebrata.

Baptiſmus nullam vim habet. Primi Auctores fuerunt *Meſſaliani*, *Manes*, *Albanenſes*, & Albigenſes, Armeni, *Petrus Ioannis*, de quibus Hiſtoria, ſive Annales Eccleſiaſtici. Damnatur in *Nicæno* I. & in *Florentino* ſub Eugenio IV. an. 1439.

Pueris vſum rationis non habentibus Baptiſ. nihil prodeſt. Auctor fuit quidam *Petrus de Bruis* Gallus ex Provincia Narbonenſi, anno 1126. poſt huius mortem docuit etiam Henricus quidam Gallus patria Toloſanus an. 1149. Item docuerunt *Anabaptiſtæ* illi qui ſurrexerunt anno 1302. Damnatur in *Lateranenſi* ſub Innocentio III. anno 1215. & alijs deinceps vſque ad *Tridentinum* ſeſſ. 7. can. 13.

Rebaptizandi ſunt illi, qui ſunt de Eccleſia Romana. Auctor primus fuit *Donatus Aphor* ex Caſſinigris in Numidia ortus, anno 306. ſecuti ſunt *Arriani*: etiam *Anabaptiſtæ* originem trahentes à Petro Bruſſiano anno. 1558. &c. Damnatur hæc hæreſis poſt alia in Conc. *Florentino*, ſub Eugenio IV. an. 1438. in decreto de vnione Armenorum.

Non poteſt alicui conferri baptiſma, niſi ei etiam conferatur Sacramentum Euchariſtiæ, & niſi baptizatus vngatur Sancto Chriſmate, non eſt baptizatus. Auctores ſunt *Armeni* de quibus ſupra & in Hiſtoria Eccleſiaſtica apud Baronium &c. vti & alij Hereſiarchæ quos in decurſu adducimus. Damnatur etiam in *Tridentino* ſeſſ. 7. can. 13.

Baptiſmus eſt recipiendus nulla intellecta olei mixtura. Auctor fuit *VValdo* Gallus ciuis Lugdunenſis, anno 1170. Secutus eſt etiam *VViclef*, de quo ſupra &c. Damnatur autem in Conc. Laodiceno, an. 364. & demum in Conc. *Lateranenſi* ſub Alexandro III. anno 1179. vbi ſecta VValdenſium damnata.

Pueri non egent Baptiſmo ad deletionem peccati originalis, quia ante Baptiſmum carent peccato originali. Auctor fuit *Pelagius*, ſecuti ſunt *VViclef*, & *Armeni*, de quibus ſupra &c. Tribunat aliqui quid ſimile Ioanni Gerſoni, anno 1410. & Thomæ de Vio, quod poſſint ſaluari ſine Baptiſmo in caſu neceſſitatis, quæ admitti nequeunt, vti patet iam inde ex Conc. II. *Milevitano*, & demum ex Conc. *Tridentino* ſeſſ. 5. in decreto de peccato originali.

Si quis non ex contemptu, ſed ex impoſſibilitate [etiam ſi toto corde ad Deum fuerit conuerſus] non poſſit baptizari, ſaluari minimè poteſt. Error hic apud D. *Bernardum* recenſetur Epiſt. 77. nullo nominato Auctore, Damnatur in *Tridentino* Seſſ. 6. cap. 4.

Nullum peccatum præter originale tollitur per baptiſmum. Auctor fuit Lutherus, de quo ſupra &c. damnatur diſertè in *Tridentino* ſeſſ. 5. an. 1546.

Baptiſmus aquæ ceſſauit, & eſt mutatus in baptiſmum Sanguinis. Auctores fuerunt *Flagellantes* de quibus ſupra &c. Damnatio huius reperitur in Conc. *Viennenſi* ſub Clemente V. prædictorum errores proſcribente anno 1311.

Ana-

*Anabaptiſtæ* contendunt baptiſmum ſolis adultis conferendum, damnati in *Trid. ſeſſ. 7. & alibi.*

### BEATITVDO.

Beati non vident eſſentiam Dei. Auctores ſunt *Armeni*, ſupradicti. Fuit ſecutus *Petrus Abailardus* Gallus Narbonenſis prouinciæ, anno 1140. etiam *Arnoldus* vel Arnulphus Brixiæ in Italia ortus, anno 1139. Concilium *Rhemenſe* anno 1148. Abailardum & Arnoldum cum ſuis erroribus reprobauit.

Beatitudo conſiſtit in delicijs carnis. Auctor fuit *Cerinthus* Aſiaticus in Græcia apud Epheſum ortus. anno. 41. Conc. *Apoſtolorum* Hieroſolymis congregatum, anno 41. ſatis hanc hæreſim damnauit cum erroribus alijs Simonis Magi, Nicolai Diaconi, Cerinthi, Carpocratis, &c.

Nec Beatitudo, nec miſeria erit perpetua. Auctor fuit *Origenes*, de quo S. Auguſtinus lib. de hæreſibus. Et cum alijs erroribus Origenis damnatur in Concilio *Romano* ſub Cornelio Papa & Martyre anno 253.

Homo in hac vita poteſt habere beatitudinem ſecundum omnem gradum perfectionis. Auctores fuerunt *Begardi & Beguinæ*, populi habitantes in Germania inferiori, anno 1300. Damnantur in Conc. *Viennenſi* ſub Clemente V. anno 1311.

Omnis natura intellectualis ſeipſa eſt beata. Auctores ſunt *Begardi & Beguinæ*. Damnantur in Conc. *Vienenſi*, ſupra.

Ante diem Iudicij nulla anima eſt beata. Auctores ſunt *Armeni*, quibus etiam conſenſerunt *Græci*. Damnatur in Conc *Florentino* anno 1439.

Omnes Beati pares ſunt in gloria, nec in cœlis eſt præmiorum differentia. Auctor fuit *Iouinianus* natione Romanus anno 382. præter alia, damnatur in *Florentino* ſub Eugenio IV. anno 1439.

Intellectum creatum nullo lumine gloriæ indigere ad eſſentiam diuinam intuitiuè videndam aſſerebant *Begardi hæretici damnati*.

### BELLVM.

Nullo pacto licet inferre bellum. Auctores ſunt *Manichæi*, etiam ſecutus eſt poſtea Oecolampadius &c. Damnatur in Con. IV. *Calcedonenſi* ann. 452. & poſtea in *Bracarenſi* 2. an. 563.

Non licet facere bellum etiam cum Turcis. Auctor fuit *Lutherus* &c. Reprobatur in Conc. *Claromontano* anno 1084. & in *Lateranenſi* anno 1120. iubente bellum contra Turcas proſequi.

### BENEDICTIO.

Omnes benedictiones Eccleſiæ nullius ſunt valoris. Auctores ſunt *VValdenſes*, poſtea fuerunt *Wiclephiſtæ*: de hoc infra tit. *Aqua* & infra tit. *Exorciſmus*.

### BESTIA.

Omnes beſtiæ ſunt capaces rationis. Auctor fuit *Manes*, de quo antea: damnatur in Conc. IV. gen. *Calcedonenſi*, cum alijs erroribus Manichæorum anno 452.

## C.

### CANTVS.

CAntus in Eccleſia nullius eſt virtutis. Auctor fuit Hilarius quidam *Arianus* AEgyptius Alexandriæ ortus, anno 334. ſecuti ſunt *VValdenſes* nec non *Wiclephiſtæ*. Damnatur in Conc. *Agathenſi* in Gallia, anno 494.

### CALCEAMENTVM.

Non licet Chriſtianis vti Calceamentis, Inter hæreſes à *S. Auguſtino* notatur, auctore non nominato. Patet falſitas ex Conc. *Eliberitano* cap. 17. ſuorum decretorum prohibente tantum veſtimenta & calceamenta ad pompam, anno 306.

### CAPVT.

In Eccleſia non eſt vnum Caput. Ita *Lutherus*, *Caluinus*, & ſequaces qui negant Pontificis primatum de quo tit. Papa, Pontifex &c.

### CHARACTER.

In nullo Sacramento imprimitur Character. Auctor fuit *Lutherus*. Damnatur error Conc. IV. *Chartaginenſi*, anno 214. & demum in Concil. gen. *Florentino*, in decreto de vnione Armenorum, anno 1439.

### CARO ET CORPVS HVMANVM.

Corpus ſua natura eſt malum, & à malo principio. Auctores ſunt *Manichæi*, quibus adhærent Priſcillianiſtæ. Damnantur in Conc.

Conc. I. *Bracarenſi*, à Ioanne III. confirmato, can. 13. anno 563.

## CERTITVDO.

Omnis homo iuſtus fidei certitudine ſcit ſe eſſe in gratia. Auctor *Lutherus* & ſequaces. De quo etiam in tit. *Abſolutio* & *Gratia*.

## CIBVS.

Non licet veſci carnibus. Auctor *Tatianus*: ſequuti ſunt *Manichæi*, ortum habentes ex Mane, anno 270. etiam *Priſcillianiſtæ*, nec non pridem Græci. Reprobatur in Conc. I. *Bracarenſi*, can. 14. an. 563.

Diebus ab Eccleſijs vetitis licet veſci carnibus &c. Auctor fuit *Iouinianus*, fueruntque *VValdenſes* & *Lutherus*. Damnatur in Concil. *Toletano* III. decretorum cap. 9. anno 653.

## CIRCVMCISIO.

In Lege noua admittitur Circumciſio. Quidam poſt tempora Chriſti, quos Apoſtolus ipſe reprobat, de quo etiam tit. *Lex*.

## CHRISTVS.

Chriſtus ſolam habuit naturam humanam. Auctor fuit *Carpocrates* anno 36. ſecutus fuit *Ebion* Simonis Magi diſcipulus anno 57. etiam *Theodotus Sutor* anno 173. etiam *Theodotus Argentarius*, ſiue Trapezetus dictus, anno 202. etiam *Artemon* ex Bizantina vrbe ortus, anno 196. etiam *Arrius* Ægyptius, Alexandriæ ortus anno 310. etiam *Photinus*, à quo Photiniani venerunt, anno 340. Damnatur in Conc. I. Nicæno in Simbolo, anno 325.

Chriſtus ſolam habuit naturam Diuinam. Primus Auctor fuit *Valentinus* natione Ægyptius, an. 132. ſecutus eſt *Cerdo* Pontius apud vrbem Synope natus, anno 146. *Apelles* verò docet Chriſtum carnem ſuam ſumpſiſſe ex elementis &c. anno 146. *Priſcillianus* & *Manes* docent, Chriſtum fuiſſe hominem Phantaſticum. Etiam Valentinum ſuit ſecutus *Apollinaris* filius, anno 371. Damnatur in eodem Symbolo *Nicæno* & in Concil. *Conſtantinopolitano* generali II. in Symbolo, *& homo factus eſt*, anno 381.

Chriſtus vti duas naturas, ita duas perſonas habuit. Auctor fuit *Neſtorius* ex Germanica vrbe Syriæ ortus, anno 428. ſecutus eſt Petrus Gnafæus, anno 471. Damnatur in Conc. gen. *Epheſino* can. 4. anno 431.

Chriſtus ſolam habuit naturam & perſonam Diuinam. Auctor fuit *Eutiches* Conſtantinopolitanus anno 448. deinde ſecutus eſt *Dioſcorus* Ægyptius Alexandriæ ortus anno 439. etiam *Acephali* anno 494. etiam *Severus* natione Antiochenus anno 513. Damnatur in eodem *Epheſino*, decretorum cap. 13. & in Concil. gen. *Calcedonenſi*, anno 452.

Chriſtus ſolum corpus non animam habuit. Auctor *Arius*, de quo antea, damnatur in Concil. *Romæ* habito ſub *Damaſo* anno 382. & in *Epheſino* gen. decret cap. 13. an. 431.

Vna ſolum in Chriſto fuit voluntas, nempe Diuina. Auctor *Macharius* Syrus anno 678. Damnatur in 6. Synodo gen. in *Trullo* ſeſſ. 17. in qua profertur Symbolum S. Athanaſij, anno 680.

Non Chriſtus ſed Simon Cyreneus fuit crucifixus. Auctor *Baſilides* Ægyptius ex Alexandria ortus anno 74. conſtat contrarium ex ipſo *Conc. Apoſtolorum* ſub D. Petro, anno 41.

Non poſſumus ſperare ſalutem in Chriſto. Auctor fuit quidam *Baſſus* Ægyptius & Alexandriæ ortus anno 120. ſecutus fuit *Petrus Abaelardus* de quo antea: Conſtat contrarium ex ipſis *quatuor primis Concilijs* generalibus, quæ *D. Gregorius* affirmat recipienda ſicut quatuor Euangelia.

In Chriſto non fuit Spiritus timoris Domini. Auctor idem *Abailardus*. Hic cum alijs Abailardi errorib. damnatur in Concil. *Rhemenſi ab Eugenio* II. confirmato, an. 1148.

Chriſtus adhuc viuens lanceatus fuit. Auctor *Petrus Ioannis*, contra Euangelij textum expreſſum: damnatur etiam à Con. *Viennenſi*, anno 1311.

Chriſtus non reſurrexit, ſed adhuc reſurget. Auctor fuit *Cerinthus*, de quo in hiſt. Eccleſiaſtica. Damnatur in *Niceno* I. in Symbolo, *& reſurrexit tertia die*.

Chriſtus aſcendit in Cœlum ſine carne. Auctor *Apelles*, de quo hiſt. Eccleſiaſt. Damnatur in Conc. gen. *Epheſino* III. cap. 13. anno 431. vide infra plura v. Deus.

## CONCILIVM.

Concilia ritè congregata nullius ſunt valoris. Hoc docent ab initio hæretici, *Arrius*, *Neſtorius*, *Eutyches*, *Ioannes Huſſ*, poſtea *Lutherus* &c. Damnantur in Conc. *Conſtantienſi* ſub Ioanne XXIV. ſeſſ. 4. & 5. anno 1415.

## COPVLA HVMANA.

Vſus ſeminarum eſt communis. Auctor fuit

fuit *Simon Magus* Samaritanus anno 35. secutus est *Nicolaus Diaconus* etiam *Menander* Samaritanus anno 74. etiam *Saturninus* Antiochiæ natus, anno 60. etiam *Carpocrates*, & *Ebion*, etiam *Corinthus*: etiam *Cerdo*: etiam *Marcion*: etiam quidam *Florinus* Romæ natus anno 165. etiam *Picardus*, ex Belgia Gallica ortus Adamitarum Dux anno 1428. etiam *VValdenſes*: etiam quidam hæretici *Fraticelli* dicti, quorum Magiſter fuit *Hermannus* Ferrarienſis anno 1294. Damnatur in ipſo Conc. *Hieroſolymitano* ſub D. Petro, cum alijs Simonis magi erroribus.

Copula carnalis in vniuerſum non eſt licita, de quo titulo, *nuptiæ* infra dicetur.

Coitus non eſt peccatum, ſed breue oſculum. Auctores *Begardi* & *Beguinæ*, Damnatur in Conc. *Viennenſi* cum alijs erroribus Begardorum anno 1311.

## CONFESSIO.

Confeſſio eſt humanum inuentum. Auctor primò fuit *Petrus* Hiſpanus Oxomenſis, 1474. ſecutus eſt *Lutherus*. Damnatur cum ſequentibus de confeſſione Sacramentali in Conc. *Conſtantienſi*, & in *Florentino*, ac poſtremò in *Tridentino*, ſeſſ. 14 in can. 3 in can. 6. & 7.

Non eſt neceſſarium confiteri peccata Sacerdoti, ſed ſoli Deo. Auctor primus fuit *Iacobus Syrus* apud Antiochiam ortus, anno 452. poſtea etiam *Lutherus*.

Non eſt neceſſaria examinatio ſuæ conſcientiæ ante Confeſſionem, Auctor idem *Lutherus*.

Confeſſio eſt nullius valoris. Auctor *Lutherus*. Damnatur in *Tridentino*, & alijs ſupra notatis.

Confitentes non niſi peracta prius pœnitentia debent abſolui. Damnatum in *Petro de Oſma*.

Vide infra *Pœnitentia*.

## CONFIRMATIO.

Confirmatio non eſt Sacramentum. Auctores ſunt *Græci*, anno 455. ſecuti ſunt *VValdenſes*, *Wiclephiſtæ*, nec non *Lutherus* & *Caluinus*. Damnatur pridem in Concil. II. *Hiſpalenſi*, cap. 7. anno 624. ac demum in *Tridentino* ſeſſ. 7. can. 1.

Non ſolus Epiſcopus eſt miniſter ordinarius confirmationis. Damnatur inter *VVicleſi* errores.

## CONSILIVM.

Nullum eſt diſcrimen inter Conſilium & Præceptum, de quo infra titulo, *Præceptum*.

## CONTRITIO.

Contritio eſt nullius valoris. Auctor *Lutherus*.

Attritio ex metu gehennæ facit homines deteriores. vide infra *Timor*.

## CORRECTIO.

Subditi poſſunt pro libitu corrigere ſuos ſuperiores delinquentes; vide infra *Subditus*.

## CREATVRA, CREATIO.

Creaturæ præſertim corporeæ à Deo non ſunt factæ. Docuit *Simon Magus*, etiam *Menander*, & *Saturninus*, etiam *Corinthus* & *Manichæi*, nec non *Priſcillianiſtæ*: quorum aliqui dicunt mundum corporeum factum à principio malo, alij à ſolis Angelis. Damnatur in Conc. I. *Nicæno* & in *Lateranenſi* ſub Innocentio III. anno 1215.

Creaturæ ex ſe malæ ſunt. Auctores fuere *Manichæi* & *Priſcillianiſtæ*, quia ſcilicet à malo principio. Damnatur tam in prædictis, quam in Concil. *Bracarenſi* I in Hiſpania, anno 563.

Materiam primam non eſſe creatam, ſed ex ſe, docuit *Marcion* hæreticus. Creatas animas diu ante corporum formationem, Origeni adſcribitur. Vide *Anima*, *Mundus* &c.

## CRVX.

Crux Saluatoris non eſt adoranda, de quo dictum titulo, *Adoratio*, *Chriſtus*, & alibi infra.

## D.

## DECIMÆ.

Decimæ non ſunt Sacerdotibus ſoluendæ. Auctor fuit *Gerardus Parmenſis*, huic adhæret *Ioannes VVicleph*, damnatus in Concil. *Conſtantienſi*.

## DEVS.

Plures ſunt Dij. Docuerunt *Cerdo*, *Marcion*, *Valentinus*, etiam *Secundus* Valentini diſcipulus, anno 175. & *Ptolemæus* eiuſdem diſcipulus, & cæ-

& concilia. Secuti hos fuerunt *Marcus*, *Apollos*, *Manichæi*, *Albanenſes*, & *Albigenſes*, de quibus ante: Patet manifeſtus error, ex ratione ipſa, ex ſcripturis, ex Concil. *Nic.* I. in Symbolo, *Credimus in vnum Deum*.

Deus eſt Corporeus. Auctor dicitur *Tertullianus* ſecuti *Audiani* qui etiam dicuntur Anthropomorphitæ. Patet hic error ex eodem Symbolo Nicæno, & cæteris.

Deus eſt mendax, Auctores *Armeni*, vt refert Guido lib. de hæreſibus. Damnatur diſertè ex Conc. IV. gen. *Calcedonenſi*, & *Lateranenſi* ſub Innocentio III.

Omnia de neceſſitate abſoluta eueniunt. Auctor fuit Petrus *Abailardus*, de qua hæreſi infra tit. *Futurum contingens*.

Sapientia, iuſtitia, & alia Dei attributa ſunt ab ipſa Dei eſſentia realiter diſtincta. *Gilbertus Porretanus*, vt refert D. Bernardus Serm. 3. in Cantica. Error ex oppoſito fuit *Eunomij* nullam etiam rationis ſiue conceptus diſtinctionem inter ea admitti poſſe, vt refert *Epiphanius*, hæreſi 26.

Non ſunt tres perſonæ in Diuinis. Auctor fuit *Nestius* in Epheſo ciuitate Græciæ ortus, anno 260 huic adhæſit *Sabellius* in Ptolemaida Lybiæ vrbe ortus anno 260. Damnatur in Concilio *Romano* ſub Syluestro I. anno 326.

Filius eſt Patre minor. Auctor fuit *Arrius*, ſecutus eſt *Astius*, anno 356 etiam *Aetharius* an. 309. etiam *Eunomius* Galata, &c. an. 381. etiam multò poſt *Petrus Abaelardus*. Damnatur in eodem Conc. *Nicæno* 1.

Filius Dei ignorat vltimum diem. Auctores dicuntur ab ignorantiæ *Ignoitæ* malè intelligentes dictum Chriſti Marci 13. *De die autem illo nemo ſcit, neque Filius, niſi Pater*, apud Iſidorum lib. 8. Etym. cap. 5. Damnatur in Conc. *Lateranenſi* ſub Martino 1. aliiſque.

Filius non videt Patrem, nec Spiritus ſanctus Filium: Auctor fuit *Origenes* vti ſcribit Epiphanius in Epiſt. ad Ioan. Hieroſolymitanum. Damnatur inter eius errores in *Concilio Romano* ſub Fabiano, anno 254.

Spiritus Sanctus eſt minor Patre & Filio, & eſt mera creatura. Auctor *Macedonius* Conſtantinopolitanus anno 341. Arrianis multum addictus, apud *S. Auguſtinum* lib. de hæreſibus c. 52. Damnatur in Concilio II. gen. *Conſtantinopolitano* ſub Damaſo, anno 381. vti & in *Epheſino* III. *Calcedonenſi* IV. & *Lateranenſi* ſub Innocentio III.

Spiritus Sanctus eſt Anima mundi. Auctor fuit *Abailardus*, de quo D. Bernardus Ep. 190. ad Innoc. II. Hic cum alijs Abailardi erroribus damnatur in Conc. *Rhemenſi* in Gallia an. 1148.

Spiritus Sanctus non procedit à Patre, & Filio. Quod docuere *Græci*, & etiam *Armeni*, Damnatur in *Lateranenſi*, anno 1215.

Perſonæ Diuinæ circa proprietates negligendæ ſunt. Auctor *Petrus Abailardus*, Damnatus in Conc. *Rhemenſi*, ſupra. vide *Creatura*.

## DIABOLVS.

Diabolus ſua natura eſt malus. Auctores *Manichæi*, quos ſecutus eſt *Priſcillianus*. Damnatur in Concilio I. *Bracarenſi*, & in *Lateranenſi* ſub Innocentio III.

Diabolus aliquando ab inferno eſt liberandus. Auctor fuit *Origenes*, vt refert S. Auguſt. de hæreſibus c. 33. Damnatur in *Quinto* Conc. gen. in *Trullo*, ſub Vigilio, anno 253.

Diaboli tentationes fiunt in nobis Contactu lapidum, & herbarum: de quo dicetur titulo *Tentatio*.

## E

## ECCLESIA.

SOli boni, non mali in Eccleſia continentur. Auctor fuit *Donatus*, ſecutus eſt *Ioannes Huſſ.* an. 1413. Eam hæreſim diu ſepultam demum reſuſcitauit *Lutherus*. Damnatur pridem in Concilio *Conſtantienſi* Seſs. 15. in articulis Ioannis Huſs. anno 1415.

Eccleſiam conſtare ex ſolis prædeſtinatis docuerunt *Caluiniſtæ*; ex ſolis Perfectis *Anabaptiſtæ*, vt ſupra damnati.

Eccleſia poteſt errare. Auctor fuit *Ioannes de VVeſphalia*, & damnatur in Conc. *Conſtantienſi* contra VVicleſum.

Epiſtolæ Decretales nullius ſunt valoris. Auctores ſunt *VValdenſes*, ſecuti ſunt *Gerardus*, *Begardi & Beguinæ*, etiam Ioannes *VVichleph*, Ioannes de *VVeſphalia & Lutherus*. Damnatur in Conc. *Viennenſi* ſub Clemente V. anno 1311. & in *Conſtantienſi* in articulis VVicleſi, anno 1415.

Eccleſia, & eccleſiaſtici homines non poſſunt diuitias poſſidere. Auctores *Audiani*, ſecuti ſunt *VValdenſes & VVicleſita*, etiam *Marſilius* Paduanus anno 1307 nec non *Lutherus*. Damnatur in Conc. gen. *Calcedonenſi* IV. c. 22. Decretorum ſub Leone I. & in *Conſtantienſi* Seſs. 8. inter articulos VVicleſi, anno 1414.

## ELEEMOSINA.

Non licet facere Eleemoſinam Fratribus mendicantibus. Auctor fuit *Ioann. VVichleph* qui

ſupra, docens eos qui iſtis faciunt eleemoſinam excommunicari, de quo etiam infra tit. *Mendicitas*.

Eleemoſinarij, licet magni peccatores, ſaluantur. Dogma hoc ſine *Auctore* recenſet S. Auguſtinus de Ciuitate Dei, cap 22. & damnatur in *Nicæno* 1. anno 325.

## EPISCOPVS.

Epiſcopi ſunt pares ſimplicibus Sacerdotibus. Auctor fuit *Aetius* Alexandriæ ortus anno 354. ſecuti ſunt infames Pauperes de *Lugduno*, *Marſilius* Paduanus, Ioannes *VVicleph*, & *Lutherus*. Damnatur in Concilio *Hiſpalenſi* I. Decretorum cap. 5. & 7. quod ſuit confirmatum ab Honorio I. & receptum in 6. Synodo in *Trullo* habita ſub Agathone.

Epiſcopus peccans amittit Epiſcopatum. Auctores *VValdenſes*, nec non *VVicleph.* de quo etiam errore infra tit. *Poteſtas*.

## EVANGELIVM.

Euangelium iam ceſſault. Auctores fuerunt *Flagellantes*, hæretici: & inter eorum errores damnatur in Concilio *Viennenſi* anno 1311.

Euangelium ſolum litteraliter ab Apoſtolis fuit prædicatum. Auctor fuit Abbas *Ioachim*: inter eius errores decretorum cap. 20. damnatur in *Lateranenſi* ſub Innocentio III.

Euangelium non eſt lex. Auctor *Martinus Lutherus*, ſecutus eſt *Philippus Melanchton* anno 1530. etiam Ioannes *Brentius* Germanus, anno 1540. Damnatur in *Tridentino* Seſſ. 6. can. 20.

## EVCHARISTIA.

Ex pane non poteſt conſici Sacramentum Euchariſtię. Auctores fuerũt *Cbatariſta* Manis Diſcipuli. Damnatur in *Florentino*, anno 1439.

Non in Azymo, ſed fermentato corpus ſuum Chriſtus confecit. Auctores ſunt *Graci*, ſecuti ſunt *Armeni* Repugnat definitioni Concilij *Florentini*, in decreto Vnionis Græcorum cum Eccleſia Latina.

Modus Conſecrandi Eccleſiæ Romanę non eſt verus modus. Auctores ſunt *VValdenſes*. Damnatur etiam in *Florentino*, anno 1439.

Corpus, & Sanguis Chriſti realiter non continentur ſub ſpeciebus panis, & vini. Docuerunt hoc pridem *Armeni*, etiam *Berengarius* Gallus Andegauenſis an. 1006. etiam Ioannes *VVicleph*, *Almaricus*, & Ioannes *Oecolampadius*, ac *Ioannes Calainus*. Poſt alia damnatur in Concilio *Tridentino* Seſſ. 3. cap. 1.

Poſt Conſecrationem, manet idem panis. Auctores *VVicleph* & *Lutherus*. Damnatur contra VVicleſum in Concilio *Conſtantienſi*, & contra Lutherum in *Tridentino* Seſſ. 3. cap. 4. can. 2.

Pro Calicis conſecratione non eſt apponendum vinum, ſed ſola aqua. Auctores *Aquarij* apud S. Auguſtinum, quorum quis fuerit magiſter, non legitur. Repugnat Concil. *Lateranenſi*, & demum *Tridentino* Seſſ. 3. cap. 4.

Nullo modo eſt aqua apponenda in calice. Auctores ſunt *Graci*, Armeni inſuper ſecuti ſunt. Repugnat Concilio III. *Carthaginenſi*, & *Florentino* in decreto de vnione Armenorum.

Sacramentum Euchariſtiæ nec prodeſt, nec ladit. Auctores ſunt *Meſſaliani*, quos ſecuti ſunt *Armeni*. Damnatur in *Tridentino* Seſſ. 3. cap. 2. can. 5.

Sacramentum Euchariſtiæ maiorem habet vim feria quinta maioris hebdomadæ. Auctores fuerunt *Graci*. Repugnat *Florentino*, in decreto de vnione Græcorum.

Sacramentum Euchariſtiæ ſumi poteſt à peccatore ſine confeſſione. Auctor *Lutherus*, aliique ſequaces. *Tridentino* Seſſ. 3. cap. 7. declarante ſolam fidem non eſſe ſufficientem præparationem ad hoc Sacramentum &c.

Peccator non recipit corpus Chriſti. Recitatur hic error à Petro Lombardo lib. 4. ſent. diſt. 9. Damnatur in *Tridentino* Seſſ. 3. cap. 7. can. 11.

Corpus Chriſti non eſt in Euchariſtia, niſi in ſolo vſu. Auctor præcipuè fuit *Martinus Bucerus* Germanus, & *Lutherus*, an 1530. Damnatur in eodem *Tridentino* ſupra cap. 6. can. 7.

Communio debet fieri ſub vtraque ſpecie. Auctores ſunt *Graci*, his adhæſit *Petrus Dreſenſis* Bohemus, anno 1428. etiam *Lutherus*. Damnatur pridem in Concilio *Conſtantienſi* Seſſ. 13.

Vide infra *Miſſa*.

## EVNVCHVS.

Ad bene Deo ſeruiendum oportet, vt quiſque ſit caſtratus. Auctor fuit quidam *Valeſius* Arabs anno 230. Reprobatur in Conc. *Nicæno* I. can. 1. & in Concilio *Romano* inter errores Origenis, anno 254.

## EXCOMMVNICATIO.

Cenſuræ nullius ſunt valoris. Auctor fuit Ioannes *VVicleph*, ſecuti ſunt Ioannes *Huſſ*, & *Lutherus*. Damnatur pridem inter errores VVicleſi in Conc. *Conſtantienſi*.

EXOR-

### EXORCISMVS.

Omnes Benedictiones, quas facit Ecclesia, sunt spernendæ. Auctores sunt *VValdenses*, & sequentes *VViclephysta*. Inter alia Concilia *Toletanum IV.* sub Honorio I. suorum decretorum cap. 8. Benedictionem Cerei Paschalis approbat, & mandat.

## F.

### FATVM.

Hominum actiones sunt fato adscribendæ. Auctor fuit *Bardesanis*, ann. 175. sequutus est *Priscillianus*. Damnatur in Concilio *Bracarensi* 1. suorum Decretorum cap. 9. ann. 563. Vide infra V. *Libertas*.

### FIDES.

Nil credendum est, quod excedat nostri intellectus virturem, Auctor fuit Petrus *Abailardus*: eum quo hic error damnatur in Concilio *Rhemensi* anno 1148.

Habenres solam fidem; licet peccatores maximi, saluantur. Auctor est *Eunomius*, sequutus est *Lutherus*. Damnatus in *Tridentino* Sess. 6. cap. 3. 4. &c. & can. 9.

Fides amittitur per quodlibet peccatum mortale. Auctor est *Lutherus* Damnatur ibidem in *Tridentino* cap. 15. ac can. 28.

Licitum est exterius fidem negare instante persecutione: & sufficit eam in animo suo interius retinere. Damnatur vt hæreticum in Concil. *Romano sub Cornelio Papa*, vti patet ex Baronio ad annum 254. contra Elisaitas.

### FIDVCIA.

Fiducia gratiæ nullo modo, vel gloriæ assequendæ, potest collocari in nostris operibus. Auctor est *Lutherus*. Damnarur in eodem *Tridentino* Sess. 6. cap. 16. & can. 26. ac 32.

### FORNICATIO.

Coitus inter solutos non est peccatum mortale. Auctores sunt *Graci*. Damnatur in *Florentino* inter Græcorum errores.

### FVRTVM CONTINGENS.

Omnia, quæ fiunt, fiunt necessitate absoluta. Auctor fuit *Petrus Abailardus*, sequuti sunt *VViclef*, & *Lutherus*. Damnatur in Conc. *Constantiensi* sess. 8 art. 27. inter *VViclephi errores*.

## G.

### GRATIA.

HOmo potest sine Christi gratia Dei præcepta adimplere, & suis meritis vitam æternam consequi. Auctor fuit *Pelagius*. Damnatur in Concilio *Milevitano* II. præsente S. Augustino sub Innocentio I. & in *Tridentino* sess. 6. can. 1. 2. 3.

Illi, qui plena fide Baptismum acceperunt, non possunt amplius peccare. Auctor fuit *Iouinianus*, sequuti sunt *Pelagius* & *Lutherus*. Damnarur in *Milevitano* II. supra. Et in *Tridentino* sess. 6. can. 23.

Homo iustus scit se esse in gratia; & ad hoc credendum est obligatus: Auctor fuit *Lutherus*. Sequurus est Huldricus Zuinglius, anno 1525. etiam *Ioannes Caluinus*, anno 1534. etiam *Andreas Osiander* anno 1530. Damnatur in *Tridentino* sess. 6. cap. 9. & can. 13. ac 14.

*Semipelagiani* hæretici insuper docuerunt Deum *primam gratiam* tribuere inruitu meritorum naturalium præcedentium. *Caluinus* docuit hominem in statu naturæ lapsæ gratiæ medicinali ex necessirate consentire. De Gratia vide plura damnata in hoc opere *to.* 1. *tract.* 2. *cap.* 2. § 1. 2. *& seq.*

## H.

### HÆRETICVS.

OMnes hæretici, bene sentiant. Auctores sunt quidam dicti Rhetorici, non nominato certo auctore. Est apertè contra Concilium *Nicænum* I. quod damnat Arium vtpotè hæreticum, & contra reliqua Concilia quæ hæreticos semper damnarunt.

Hæretici non sunt aliqua pœna corporali puniendi; sed iudicio diuino relinquendi. Auctores sunt *Luthers Discipuli*. Pater contrarium semper ex praxi Ecclesiæ, & Concilio *Constantiensi* cuius sententia Ioannes Huss vt hæreticus combustus.

Ille dicendus est hæreticus, qui quouis modo peccat lethaliter Hæresis hæc refertur apud *Limericum* in direct. inquis. *Concilijs Vniuersis* hæreticos præ alijs peccatoribus infectantibus.

### HORÆ CANONICÆ.

Frustra tempus teritur in decantandis horis diurnis & nocturnis. Auctores sunt *VVal-*

*denſes*, ſequuti ſunt *VViclephiſta*. Contrarium patet in Concilio *Agathenſi* peculiariter præſcribente modum quo Horæ decantentur, decretorum cap. 21. anno 506.

## L

### *INCARNATIO.*

REdemptoris hominum titulum Chriſto proprie competere negabat *Petrus Abaiſardus*. Cuius impium errorem demonſtrat ſusè S. Bernardus in *Epiſt.* 91. ad Innocentium Pont. Vide de his *Chriſtus*, *Maria Virgo*, &c. Vide etiam ſupra plures Errores de *Incarnatione verbi* pag. 186.

### *IMAGO.*

Imagines omnes ſiue Chriſti, ſiue Sanctorum ſunt ab Eccleſijs tollendæ. Auctor fuit *Felix* quidam Vrgelitanus, Anno 708. ſequuti fuerunt multi *Græci* Imperatores, etiam *VValdenſes* & *VViclephiſta*, etiam Andreas *Carolſtadius* anno 1520. etiam *Balthaſſar Hubmaier*. Anno 1534. & Hæretici moderni. Damnatur ab initio Eccleſiæ in Concilio generali *Nicæno* I. Anno 325. & in *Nicæno* II. ſub Adriano I. Anno 786.

Imago Dei, ad quam factus eſt homo, eſt in corpore non in anima. Hanc aſſertionem tanquam hæreticam damnauit Eccleſia in *Concilio* Romæ celebrato ſub *Syluſtro* Pontifice & Conſtantino Imp. ann. 320.

*Iniunium.* Vid. ſupra tit. *Alſtimentia.*

### *INDVLGENTIA.*

Indulgentiæ ſunt piæ fraudes fidelium, Auctores primi *VValdenſes*, ſequuti ſunt Ioannes *VViclef*, & *Lutherus*. Damnatur pridem in *Lateranenſi* ſub Innocentio III. an. 1215. & in *Conſtantienſi* Seſſ. 8. inter *VViclephi* errores. Vide infra *Purgatorium*.

### *INFERNVS.*

Non datur infernus. Auctor *Almaricus*, ſequuti ſunt *Albanenſes*, & Hermanus *Riſwichius*; & damnatus error, in Concilio *Florentino*, anno 1439.

Pœna inferni non eſt perpetua, Auctor *Origenes*, ſequuti ſunt *Armeni*, apud Guidonem in ſumma de hæreſibus. Damnatur in *Concilio Romæ* habito ſub *Fabiano*, & *Cornelio* Pontific. an. 254.

Chriſtus ad Infernum non deſcendit. Refertur à S. Auguſtino, Philaſtrio, Guidone in libris ſuis de hæreſibus; & damnatur in Concil. *Lateranenſi*, anno 1300.

### *INIMICVS.*

Inimicus poteſt bona Conſcientia decipi & illi damnum inferri. Ita *Græci*, & ſic inter eorum errores damnatur in Conc. *Calcedonenſi*, anno 456.

### *INIVRIA.*

Non licet Chriſtianis, petere coram Iudice Reparationem Iniuriæ, Auctor fuit *Lutherus*, & damnatur in *Trid.* Seſſ. 9. Vide infra, *Occiſio*, *Reſtitutio*.

### *IOANNES BAPTISTA.*

Ioannes Baptiſta fuit damnatus, quia non in Chriſtum credidit. Auctores fuere *Manichæi*, quia ſcil. miſit diſcipulos, qui interrogarent, *Tu quis?* Damnatur in Concilio *Calcedonenſi*, anno 452.

### *IVDAS.*

Peccatum Iudæ de Chriſti proditione, fuit Beneficium generis humani. Auctores fuerunt *Caiani*, qui referuntur à S. Auguſtino & Tertulliano, qui eos vocat *Cbaldæos* in lib. de hæreſibus. Hæc maligna hæreſis damnatur in ipſo Concilio *Hieroſolymitano* ſub D. Petro cuius acta Euangeliſta Lucas deſcribit in actis Apoſtolorum.

### *IVDICIVM.*

Nullum erit Iudicium extremum. Auctores *Onoſtici* Nicolai diſcipuli, vel Barberiani dicti: ſunt ſequuti *Floriani*, *Manichæi*, & *Proclianitæ*. Damnantur in Conc. I. Generali *Nicæno*: & damnatos reperies in Symbolo Concil. General. *Conſtantinopolitani*, anno 381.

Vniuerſale iudicium iam eſt factum. Auctores ſunt *Albanenſes*. Reprobatur in Concil. IV. Gen. *Calcedonenſi* ſub Leone I. anno 452.

### *IVDEX.*

Nullus Index poteſt aliquem damnare ad pœnam aliquam. Auctores *VValdenſes*: & damnantur in Concil. *Conſtantienſi* Seſſ. 8. inter alios VViclefi errores, ann. 1415.

IV-

### IVRAMENTVM.

Nullus Christianus potest iurare. Auctores *VValdenses*, sequuti sunt *Catharistæ*, & *Pseudo-Apostoli*. Damnatur in Concilio *Nicæno* I. an. 318. & in *Constantiensi* Sess. 8. inter errores VVicleſi, ordine art. 43.

Licitum est periurium. Auctor *Priscillianus*: sunt sequuti quidam Apostolici, seu *Apostatici* an. 260 etium *Flagellantes*. Damnatur in Concil. *Bracarensi I.* inter allos Priscilliani errores, anno 563.

### IVSTVS.

Semel per Baptismum iustificati non possunt amplius peccare: Auctor *Iouinianus*, adhæsit *Pelagius*, vti patet ex S. Augustino de hæresibus C. 87. Damnatur in Conc. *Mediolanensi* sub S. Ambrosio authoritate Syricij Pontific. an. 369.

Iustus in omni bono opere peccat, Auctor *Lutherus*, de quo etiam tit. *peccatum*.

Omnis homo iustus est certus de sua iustificatione. Auctor *Lutherus*, & damnatur in *Trid. Sess. 6 cap. 9.*

## L.

### LABOR.

NVllum opus manuum est monachis licitum, etiam victus causa. Auctores *Messaliani*, sequuti *VValdenses*, damnatur in Conc. *Carthaginensi* IV. an. 398.

Monachi debent sibi victum parare operibus manuum. Auctor fuit *Gulielmus de S. Amando*, anno 1216. sequuti sunt Ioannes *VViclephus* & *Lutherus*: & damnatur in Concilio *Constantiensi*, anno 1415.

### LEX.

Lex antiqua seruanda est cum noua. Auctor *Cerinthus*, sequutus est *Ebion*. Damnatur in Concilio *Apostolorum* sub D. Petro.

Lex antiqua est mala, quia est à malo principio. Auctor fuit *Cerdo*, sequuti sunt *Marcion*, *Caiani*, & *Manichæi*. Damnatur in Concil. IV. *Chalcedonensi*, an. 452.

Omnis homo in sua lege potest saluari. Recitatur sine Auctore hæc hæresis à Turrecremata lib. 1. da summa Ecclesiæ cap. 21. Damnatur in concilio *Lateranensi*, an. 1215.

*VViclephi* error fuit, superiores Ecclesiasticos, aut ciuiles, nullam habere authoritatem Leges condendi, inter alios ipsius errores damnatus.

### LIBERTAS.

Nulla inest libertas humano Arbitrio, Docuerunt id *Bardesanes*, *Manichæi*, *Priscillianus*, *Petrus Abailardus*, Ioannes *VViclephus*, *Caluinus* & *Lutherus* saltem ad opera gratiæ. Damnatur in *Tridentino* Sess. 6. can. 4. 5. 6.

Homo post gratiam deperditam, non potest non peccare. Auctor est *Lutherus*, contra *Trident.* supra can. 7.

Homo post gratiam Baptismi acceptam non potest amplius peccare. Auctor est *Iouinianus*, sequutus est *Pelagius*. De quo errore *S. Hieronymus* contra Iouinianum lib. 2. & *S. Augustinus* de hæresibus cap. 87.

### LINGVA.

Ante ædificationem Turris Babel fuerunt linguæ diuersæ. Auctor *Philaster*, de quo S. Augustinus lib. da mirabilibus S. Scripturæ, est contra illud Gen. 11. *Terra fuit Labij onius*.

## M.

### MALVM.

MAlum est à Deo, & Deus facit malum. Auctor fuit *Elerinus*, huic adhæsit *Blastus*, anno. 180. Romanus Presbyter, apud Eusebium lib. 5. hist. eccleſiast. cap. 2. Et damnatur in Conc. 4. *Calcedonensi*, an. 452.

Aliquæ creaturæ ex se sunt malæ, & sunt non à Deo, sed à malo principio: Auctor *Cerdo*, sequuti sunt *Manichæi*. De hoc *S. August.* de hæresibus cap. 21. & damnatur in *Calcedonensi* supra.

Dens non facit aliquod malum, qualecumque malum illud sit. Author fuit *Coluthus*, an. 315. Damnatur hic eiusque error in Concil. I. *Nicæno*, anno 325.

Mali Reges, ac mali Prophetæ procedunt à Iussione Dei. Auctor non nominatur, sed damnatur hic error in Concil. I. *Nicæno* an. 325. vt supra.

### MARIA VIRGO.

Beata Virgo Maria post Christi natiuitatem fuit à Ioſepho carnaliter cognita: Auctor *Eluidius* Capadox, anno 255. huic adhæret *Iouinianus*, apud S. Aug. l. de hæresib. Damnatur in Concilio *Mediolan.* præsente S. Ambrosio & Legatis Syricij Papæ, an. 390.

Beata Virgo Maria non est Dei Mater, sed alicuius, hominis Iusti. Damnatur in Concilio III. *Ephesino* anno 431.

Beatam Virginem purum hominem peperisse prædicabat hæreticus *Nestorius*; adeoque Dei Matrem dici non debere. In alterum extremum declinauit *Eutiches* docens post Incarnationem non modò vnam esse in Christo personam, sed etiam vnam Naturam siue per compositionem, siue per conuersionem in vnam vtriusque naturæ diuinæ ac humanæ. Vide *Christus*.

## MARTIRIVM.

Licet tempore persecutionis negare Christum. Auctor fuit *Basilides*, sequuti sunt *Elcesæi*. Damnatur in Con. I. *Nicæno*, an. 325.

Se interimentes ob aliquod peccatum per seipsos perpetratum, sunt verè martyres. Auctores *Donatistæ*: Et damnatur in Conc. *Romano* sub Melchiade Papa, anno 313.

Interimentes se siue per se, siue per alios sunt verè martyres. Auctores sunt *Circumcelliones* genus hominum agreste vt refert S. Augustin. de hæresib. cap. 69. Damnantus in Concil. 1. *Carthaginensi*, anno 348.

Matrimonium, Vide Nuptiæ.

## MELCHISEDECH.

Melchisedech fuit Christus. Auctor fuit *Hierax*, anno 278. in Ægypto, apud Epiphanium hæresi 67. & satis damnatur in ipso Symbolo Concil. *Nicæni* I. anno 325.

## MENDACIVM.

Licitum est mentiri pro saluanda vita, aut pro aliquo magno beneficio alicui impendendo, etiam causa humilitatis. Auctor *Ioannes Cassianus*, anno 404. vir in alijs admodum præstans. Reprobatur hic error in Concilio IV. *Calcedonensi*. ann. 452.

## MENDICITAS.

Mendicitas est ex lege illicita. Auctor fuit Ioannes *VVicleph*, adhæsit *Lutherus*, Monachorum mendicantium hostes implacabiles, Damnatur in Concil. *Viennensi*, anno 1311. Vide infra tit *Monachatus*, *Votum*, &c.

## MERITVM.

Nullum est hominis meritum ad gloriam aſ-

sequendam. Auctor *Lutherus*. Et damnatur in *Trident.* Sess. 6. cap. 16. & alibi.

Homo sua virtute, sine gratia Dei, vitam æternam promerunt. Auctor, *Pelagius*, contra quem pridem S. Augustinus, & postea *Trident.* Sess. 6. cap. 9. & can. 1.

Vide hic infra plures errores tit. *Opera*.

## MIRACVLVM.

Nulla verè Miracula in Ecclesia fiunt. Auctores *VValdenses*, & damnatur pridem in Conc. I. *Nicæno*, & sæpius postea.

## MISSA.

Missa non est fundata in Euangelio, nec est à Christo instituta, sed est merum inuentum humanum. Auctor Ioannes *VViclephus*, *Berengarius*, & alij recentius: damnati in Concil. *Constantiensi*, *Tridentino*, &c.

Missa non est sacrificium. Auctor est *Lutherus ac Caluinus*. Et damnatur à variis Concilijs *Ephesino* Generali III. *Lateranensi*, *Trident.* &c.

Missa non potest offerri pro peccatis, nec prodest viuis, nec defunctis. Auctor *Lutherus*. Damnatur in Conc. *Tridentino* sess. 6. & can. 3. anno 1562. Vide supra *Eucharistia*.

## MONACHATVS.

Monachi mendicantes sunt inuenti à malo dæmone. Auctores *VValdenses*: etiam *Guilielmus de S. Amando*, etiam Ioannes *VVicleph* & *Lutherus*. Vide infra tit. *Votum*.

## MVLIER.

Mulier potest promoueri ad Sacerdotium. Auctores sunt quidam dicti *Pepusiani*, apud S. Augustinum de hæresibus cap. 27. Errorem hunc post annos 1300. renouauit *Lutherus*; & damnatur in *Tridentino* sess. 7. can. 7.

Mulier potest esse caput Ecclesiæ. Error est Protestantium in Anglia, & à Catholicis omnibus reprobatus.

## MVNDVS.

Materia ex qua mundus est factus, est Deo coeterna. Auctores *Galatæ*, sequuti sunt *Albanenses* & Germanus *Risuich*. Damnatur in Concil. I. *Niceno*, & alijs, & postea in *Lateranensi* sub Innoc. III. an. 1215.

Mundus non finietur. Auctores *Albanenses*, contra illud Conc. Nicæni, *Qui venturus est iudi-*

*iudicare viuos, & mortuos, & ſæculum per ignem*, & magis determinatur in Conc. *Conſtantinopolitano* II. an. 381.

Mundus non eſt à Deo creatus, ſed ab Angelis. Auctor fuit *Simon Magus*, cui adhæſiſſe traditur *Saturninus*, & *Menander*, & *Cerinthus*. Contra *Nicænum* I. aſſerit, Deum eſſe creatorem viſibilium, & inuiſibilium omnium.

Mundus poſt mortuorum reſurrectionem eſt manſurus in eadem qua nunc eſt Statu. Qui error recitatur à *S. Auguſtino* de hæreſib. cap 67. & ſatis refellitur Matthæi 24. *Cælum, & terra tranſibunt*.

## N.

### *NVPTIAE.*

NVptiæ vt tales ſunt illicitæ. Auctor fuit *Tatianus*, apud S. Hieron. contra Iouin. ſecuti ſunt *Manichæi*, *Adamiani*, *Aeriani*, *Priſcillianus*. Et reprobatur in illis *Scripturis & Conciliis*, quæ prohibent virum ab vxore diſcedere, & contra.

Non ſunt concedendæ ſecundæ nuptiæ. Auctor fuit *Nouatus* Romanus, anno 254. ante Nouatum id docuit *Montanus*, poſtea ſequuti ſunt *Tertullianus*, & Græci. Sed damnatur in Concil. I. *Nicæno*, & in *Florentino*, an. 1439.

In nuptijs non eſt Sacramentum. Auctores ſunt *Armeni*, ſequitur *Lutherus*: Et damnatur pridem in Concil. *Conſtantienſi*, anno 1415.

Licitum eſt tenere duas vxores matrimonio copulatas. Auctores ſunt *Adamiani* apud Æneam Syluium de Origine Bohemorum: Et damnatur in *Tridentino* ſeſſ. 8. canon. 2. ann. 1563.

Fœdus nuptiarum poteſt poſt libito coniugum diſſolui. Auctor primus fuit *Montanus*, ſequuntur Græci, Priſcillianus, Gerardus, & *Lutherus*. Damnatur in *Tridentino* ſeſſ. 8. can. 5.

Nuptiæ æquantur Virginitati, vide infra tit. *Virginitas*.

## O.

### *OBEDIENTIA.*

NOn eſt præſtanda Obedientia ſuperioribus legitimis. Auctores *VValdenſes*, & *VViclephiſtæ*, docuerunt idem *Begardi*, & *Beguinæ*, & *Lutherus*. Contrarium ſatis colligitur ex *Tridentino* ſeſſ. vltima de delectu ciborum, præcipiente ſuperioribus obedientiam.

### *OCCISIO.*

Nullus homo iuſtè poteſt occidi etiamſi fiat præcepto Legitimi Iudicis. Auctores *VValdenſes*, ſequitur *Nicolaus Calenus* an. 1431. Damnatur in *Florentino*, anno 1439.

Licet occidere ſeipſos pro palma Martyrij aſſequenda. Auctores *Circumcelliones* ex Donatiſtis nati: & damnati in Conc. I. *Carthaginenſi*, anno 348. vt ſupra.

Licet occidere Tyrannum per inſidias, etiam cum fide data ſub iuramento, de qua infra tit. *Tyrannus*.

### *OPERA.*

Omnia Opera bona ab homine etiam iuſto facta ſunt peccata. Auctor eſt *Lutherus*: & damnatur in *Trident.* ſeſſ. 6. can. 25.

Nullum opus eſt bonum niſi fiat puro corde, & ſincero amore. Auctor fuit pridem *Bugarius* Italus, & reprobatur vide in *Tridens.* ſeſſ. 6. can. 31.

Hominis perfecti non eſt benè operari, ſed imperfecti. Auctores *Begardi*, & *Beguinæ*, poſtea *Lutherus*: damnatur pridem in Conc. *Viennenſi*, an. 1311.

Nullum opus bonum humanum eſt vitæ æternæ meritorium. Auctor *Lutherus*. Pridem reprobatur in Conc. *Lateranenſi* ſub Innoc. III. & in *Trident.* ſeſſ. 6. can. 32.

Vide ſupra plures errores de Operibus, & Meritis pag 184. ſeſſ. 6. can. 32.

### *ORATIO.*

Sola oratio ſufficit ad vitam æternam. Auctores *Meſſaliani*: quod ſatis damnat *Tridentin.* ſeſſ. 7. can. 5. contra aſſerentes, baptiſmum non eſſe neceſſarium ad ſalutem.

Nunquam ceſſandum eſt ab Oratione. Auctores *Meſſaliani*, quos, & reprobat S. Auguſt. de hæreſib. cap 57. & Conc. *Nicænum* I. damnans earum errores.

Oratio prorſus inutilis eſt. Docuerunt *Pelagius*, Petrus *Abailardus*, Ioannes *VViclef* & Ioannes *Huſſ.* Quod damnat Conc. IV. *Toletanum*, & Conc. I. *Mileuitanum*.

Orandum eſt in vniuerſali, non pro particulari perſona. Auctor Ioannes *VViclephus*: Damnatus in Conc. *Conſtantienſi*, an. 1415.

### *ORDINIS SACRAMENTVM.*

Ordo nec eſt Sacramentum, nec confert

gratiam. Anthor *Lutherus*: & dudum damnatur hic error in Concil. IV. *Carthaginensi*, anno 398.

*Catharbryga*, & Collyridiani hæret. docebant etiam mulieres posse sacris Ordinibus initiari. V. *Sacramentum*.

## P.

### *PAPA.*

PApæ potestas nulla est. Auctores sunt *Graeci*, sequuti sunt *Armeni*, *VValdenses*, *Marsilius* Paduanus, & *Lutherus*. Damnatur pridem in Conc. *Constantiensi* sess. 8. anno 1415.

Papa nullam extra suam Diœcesim habet potestatem. Auctor fuit *Marcus Antonius de Dominis*, anno 1552. qui tandem factus Archiepiscopus Spalacensis à Paulo V. postea in Ecclesiam errorum venena euomuit, retractauit, &c. Damnatus est pridem ille error in Concil. *Constantiensi* contra *VViclephum*, sess. 8. art. 41.

Papa nisi sit bonus, & sanctus, nullam omnino habet in Ecclesia Dei auctoritatem. Auctores *Pseudo-Apostoli*, secuti sunt. *VViclephista*, & *Ioannes Huss*. in *Constant.* damnati. De hoc etiam infra tit. Potestas.

### *PASCHA.*

Pascha semper celebrari debet decima quarta luna, quacumque die venerit. Auctor fuit *Blastus* &c. & damnatur in Conc. I. *Nicæno*, declarante debere die *Dominica* celebrari.

### *PAVPERTAS.*

Nullus potest peruenire ad regnum cœlorum nisi sit pauper. Auctores sunt *Apostolici*, de quibus S. Augustin. de Hæresib. cap. 40. & Conc. *Constantiense* cum erroribus VViclephi hunc etiam damnauit.

Sola paupertas est sufficiens ad omnia peccata delenda. Auctor fuit quidam *Guilielmus Cornelij* Brabantinus anno 1334. & error damnatus in Concil. *Constantiensi* in VViclephi artic. 44.

Paupertas omnino est inutilis. Auctor fuit *Desiderius*, Longobardorum Rex anno 756. & tutatus est *Guil de S. Amande*: damnauit Concilium *Viennense*, anno 1311.

Viri Ecclesiastici debent esse pauperes, & sola contenti Eleemosyna. Inter errores VViclefi damnatur in Conc. *Constantiensi* sess. 8. artic. 44.

### *PECCATVM.*

Non datur peccatum originale. Auctor fuit *Pelagius*, docuerunt etiam *Albanenses* & *Armeni*. Damnatur in Conc. I *Milevitano*, & in *Tridentino* sess. 5. in decreto de peccato originali.

Omnes homines ob peccatum originale ante Christi passionem fuerunt damnati. Auctores *Armeni*: & damnatur in Conc. *Florentino*, anno 1439.

Peccatum originale consistit in sola concupiscentia, siue inordinatione potentiarum &c. Damnatur in *Lutbero* & *Caluino*.

Peccatum non est à libero hominis arbitrio, sed à malo dæmone. Auctor *Valentius*, secuti sunt *Albanenses*, *Manichæi*, & *Armeni*, vti refert Guido Carmelita in summa de hæresibus: & damnatur in Conc. IV. *Calcedonensi*, anno 452.

Omne opus bonum, saltem reproborum aut infidelium, est peccatum. Auctor est *Lutherus*: & damnatur in *Tridentino* sess. 6. cap. 16. & can. 25.

Nullum peccatum licet grauissimum imputatur homini habenti fidem. Auctor est *Lutherus*: & damnatur in *Tridentino* sess 6. cap. 7. & 8. & Can. 9.

Aliqua sunt peccata irremissibilia; quæ à nullo Sacerdote prorsus absolui possunt. Auctores sunt *Armeni*, apud Guidonem supra: & damnatur in *Florentino*, an. 1439.

Nullum peccatum capitale est tolerandum, etiamsi toleretur gratia euitandi maius malum. Auctores *VValdenses*, apud Æneam Syluium, & damnatur in Concil. IV. *Toletano* suorum decret. cap. 2. an. 633.

Omnia peccata sunt paria. Auctor *Iouinianus*, & refert S. Augustin. lib. de hæresibus cap. 82. & damnatur in Concil. *Mediolanensi* an. 390.

Semel per gratiam iustificati, non possunt amplius peccare. Auctor *Iouinianus*, sequuntur *Pelagius*, *Begardi*, & *Beguinæ*: & damnatur in Conc. *Viennensi* an. 1311.

Nullum est peccatum mortale præter incredulitatem. Author fuit *Lutherus*: Damnatur in *Tridentino* sess. 6. cap. 15. & Can. 27.

Nulla est differentia inter peccatum mortale, & veniale. Auctor *Caluinus*, & *Lutherus* docens omne peccatum esse mortale. Damnatur in *Trident.* sess. 4. cap. 5. can. 7. de Sacrament. Pœnit.

Differentia peccati mortalis, & venialis est ignota. Auctor fuit Ioannes *VViclef*, contra est *Trident.* sess. 6. can. 17.

Deum

Deum esse authorem peccati asserunt *Calvinistæ, in Tridentin.* damnati &c.

Vide supra de *Peccatis* plures Errores pagina 184.

## PEREGRINVS.

Non est impendenda Peregrinis humanitas. Auctor fuit *Dietrephes* Ephesinus anno 75. & damnatur in Concil. *Antiocheno*, anno 266.

## POENITENTIA.

Non sunt tres partes pœnitentiæ, sed, est tantum noua vita. Auctor fuit *Lutherus*: damnatur in Concil. *Florentino* & in *Tridentino* sess. 6. cap. 4 Can. 30.

Non est Sacerdotibus tradita potestas remittendi peccata. Damnatur supra à *Trident.* in Luthero & Caluino.

Pœnitentia, quæ oritur ex timore gehennæ est noxia & inanis. Docuit *Lutherus*: repugnat illi *Tridentinum* sess. 6. can. 8.

Semel lapsi in peccatum, quantumlibet pœnituerint nunquam veniam sunt consecuturi. Auctor est *Montanus*, sequitur *Nouatus* Catharorum magister. Damnatur in Conc. *Romano*, anno 255. & *Nicæno* I. ann. 325. & *Tridentino* sess. 6 cap. 14. & can. 29.

Vide supra *Confessio*.

## POTESTAS.

Omnis potestas tam laicalis, quam Ecclesiastica per peccatum mortale amittitur. Auctores *Apostolici*, secuti *VValdenses* & *Wiclephistæ*. Damnatur in *Constantiensi* sess. 8. & Trident. sess. 7. can. 12.

Vide hic alios Titulos, *Pontifex*, *Ecclesia*, *Mulier*, &c.

## PRÆCEPTVM.

In lege Euangelica nullum est præceptum. Auctor *Lutherus*: contra est *Tridentinum* sess. 6. cap. 11. & can. 19. & 20.

Nullum est discrimen inter Præceptum & Consilium. Auctores sunt *Lutherani*, an hoc à suo Magistro Luthero acceperint, ignoratur. Damnatur in Conc. *Florentino*, ann. 1439.

Nihil est Deo gratum, nisi quod est ab eo præceptum. Auctores sunt *Lutherani*: secutus Ioan. *Spangebergus* Germanus anno 1536. in sua Margarita Theologica tit. de Consiliis. Damnatur in *Tridentino* sess. 6. cap. 16.

Deus nobis impossibilia præcepit, vt amare Deum & proximum &c. Auctor est *Lutherus*, & damnatur in *Tridentino* sess. 6. cap. 11. can. 18.

## PRÆDESTINATIO.

Piè viuentibus non prodest bonorum operum labor, nisi à Deo sunt ordinati ad vitam æternam. Creditur fuisse hunc errorem Iouiniani & Pelagij: renouauit postea *Ioannes Huss.* Damnatur cum huius erroribus in Conc. *Constantiensi* in articulo 5.

Homines prædestinantur intuitu bonorum operum quæ fiunt solis naturæ viribus. Ita *Pelagiani* à S. Augustino & Concilijs damnati.

Paruuli qui post Baptismum moriuntur, prædestinantur propter opera facienda si viuissent. *Semipelagiani* ibidem damnati.

Homo potest scire se esse in gratia, & prædestinatum sine speciali Dei auxilio. Auctor est *Lutherus*: & damnatur in *Tridentino* sess. 6. cap. 12. & 13. & can. 16.

Homines prædestinantur ab æterno Independenter ab operibus. *Caluinus* in hoc à *Tridentino* damnatus.

Reprobi gratijs ad salutem necessarijs priuantur. Idem.

## PRÆDICATIO.

Omnes homines possunt pro libitu sine superiorum suorum licentia prædicare. Auctores sunt *VValdenses*, sequuntur *Wiclephistæ*, & *Hussitæ*: qui in hoc damnantur in Conc. *Constantiensi* sess. 8. art. 13.

## PRÆSCIENTIA.

Deus ex se non præscit aliquod malum, sed per Aduersarium suum dæmonem. Auctores *Albanenses* apud Guidonem Carmelitam: Damnatur in Conc. *Lateranensi*, sub Alexandro III. anno 1179. Plura in tit. *Prædestinatio*, &c.

Præscita à Deo necessitate absoluta euenium: damnat Trident.

Diem iudicij Christus absolutè ignorauit: damnatum in *Ario* & alijs.

## PROPHETA.

Prophetæ contrario spiritu fuerunt inspirati, ideoque prophetiæ sunt falsæ. Auctor fuit Apelles. Hic error cum Apelle damnatur in Conc I *Nicæno*.

Prophetæ fuerunt arreptitij nec sua dicta intellexerunt. Auctor fuit *Montanus* huic adhæret *Priscillianus*, damnatur hic cum alijs Priscilliani erroribus in Concil. I. *Bracarensi* anno 563.

### PVRGATORIVM.

Non datur Purgetorium. Auctores sunt *Graci & Armeni*, sequuntur Pauperes de Lugduno, & *Lutherus*. Damnatur pridem hic error in Conc. *Florentino*, & postea in *Tridentino*.

Animæ in Purgetorio possunt *mereri* & demereri. Auctor fuit *Lutherus* sibi contrarius. Damnatur in *Tridentino* sess. 9. in decreto de Purgatorio.

Animæ in Purgatorio non sunt securæ de sua salute. Auctor *Lutherus*. Damnatur in *Florentino* & in *Tridentino* ioco iam citato.

Animæ in Purgatorio sine intermissione peccant. Auctor *Lutherus*. Damnatur in vtroque Concilio prædicto, vide supra *Indulgentia*.

## R.

### REGNVM DEI.

Regnum Dei post resurrectionem erit terrenum. Auctor fuit *Cerinthus*, damnatur cum Cerintho in *Concilio Apostolorum*, & in Symbolo Conc. I. *Nicani*.

### RELIQVIÆ SANCTORVM.

Sanctorum Reliquiæ non sunt venerandæ. Primus Auctor fuit *Eunomius*, successit *Vigilantius* Gallus anno 406. etiam *VViclephistæ*, & Lolardi VViciephi discipuli. Damnatur in Conc. *Lateranensi* maximo sub Innocentio III. anno 1215. & in *Tridentino* sess. 9.

### RESTITVTIO.

Non debet fieri restitutio de re facto ablata. Auctores sunt *Graci*, vt testatur Guido &c. & damnatur in *Florentino* cum alijs Græcorum erroribus anno 1439.

Vide errores alios de *Iure & Iniuria* supra part. 2. pag. 185.

### RESVRRECTIO.

Nulla erit Resurrectio. Auctor fuit *Simon Magus*, secuti sunt *Basilides*; & Alexander *Hymenæus*, & *Philatus*, ann. 43. & *Valentinus*, *Apelles*, & *Cerdon*, & *Marcion*, & Origenes, & *Seuerus*, & Hæretici aliqui posteriores, vt *Albanenses & Albigenses*. Manifestè aduersatur Scripturæ Matth. 22. & 1. ad Cotinth. 15. & Concil. I. *Nicano* in ipso Symbolo, & Ecclesiæ semper vniuersæ.

Corpus nostrum in illa resurrectionis gloria erit impelpabile, & inuisibile. Auctor fuit *Eutychius* anno 552. Damnatur in *quinta Synodo* generali, & in sexta in *Trullo* celebrata, ann. 680.

Corpore post resurrectionem, iterum erunt mortalia. Auctor fuit *Origenes*, apud Theophilum Alexandrinum, in lib. 2. paschali: & damnatur in 5. *generali* Synodo *Constantinopoli* habita, anno 553.

Christus hora sexta Sabbathi resurrexit. Auctores sunt *Armeni*, apud Guidonem de Hæres. Conc. *Florentinum* hunc Armenorum errorem cum alijs correxit, anno 1439.

Omnes in sexu virili resurrecturi sunt. Auctores *Armeni*, vt testatur idem Guido, qui inter errores Armenorum hūc ponit vigesimum. Errorem hunc correxit *Florentinum*, ann. 1439.

## S.

### SACERDOTIVM.

OMnes Christiani æqueliter sunt Sacerdotes dependenter a voluntate Communitatis. Auctor *Lutherus*, post plura Concil. *Laodicenum*, *Carthaginense IV. Lateranense* &c. damnat hunc errorem *Trident* sess. 7. can. 10.

Omnes Sacerdotes æqualem habent potestatem. Auctor fuit *Aerius*: suscitauerunt idem *VValdenses*, & *VViclephistæ*. Reprobatur in Concil. II. *Hispalensi*, quod in cap. 2. suorum decretorum inhibet presbyterie officium ordinandi anno 619.

Sacerdos per peccatum mortale amittit potestatem consecrandi. Auctores *VValdenses*: & damnatur etiam in *Trident.* sess. 7. can. 12.

Sacerdotes non debent esse cælibes. Auctor *Lutherus*: sequitur Ioannes *VVolfgangus* Germanus anno 1524. alijque moderni sequaces. Damnatur apertè in ipso Concilio I. *Nicano*, & pluribus sequentibus vsque ad *Tridentinum* inclusiuè.

Inferior quique Sacerdos potest exercere munus Episcopale in absentia Episcopi. Auctor fuit Richardus *Armacanus* anno 1360. & censentur huic errori adhæsisse *VViclephistæ*. Reprobatur ab vniuersa Ecclesia, & specialiter à Concil. *Hispalensi* II. cap. 5. suorum decretorum anno 619.

### SACRAMENTA.

Omnia Sacramenta nullius sunt valoris. Auctores *Catharistæ*, secuti sunt *Armeni*, & *Lutherus* ex parte. Contra est *Tridentinum* sess. 7. damnans omnes qui sic sentiunt,

In

In nullo Sacramento imprimitur character. Auctor *Lutherus:* Damnatur in Conc. IV. *Carthaginenſi* anno 398 & aliis ſequentibus, vti in 6. *Synodo* generali in Trullo can. 10. docente non licere bis vel ter confirmari, vel ordinari.

*Maſſiliani* hæretici vim ſanctificandi non Sacramentis, ſed Orationi tantum attribuebant.

*Caluiniani* gratiam quæ in Sacramentis recipitur, non eorum efficaciæ, ſed tantum ſuſcipientium *Fidei* adſcribunt: contra *Trident.*

Negant iidem ſeptem dari Sacramenta, ſed tantum duo Baptiſmum, & Euchariſtiam. Plures de his hæreticorum modernorum errores vide in hoc opere ſupra *Tom. I. Tract. II. cap. XI.* & ſequentibus: Atque alia reprobata de *Sacramentis* eorumque effectibus Part. II. pag. 136.

## SANCTI.

Sancti non ſunt orandi. Auctor *Euſtachius*, ſequuntur *Vigilantius*, *VValdenſes*, & *Lutherus*, contra hanc hæreſim eſt Concilium *Gangrenſe* ſub Syluestro, anno 319. *Nicænum*, *Aurelianenſe I. Toletanum*, anno 636. *Bracarenſe*, confirmatum in 6. Synodo generali in Trullo celebrata.

## SATISFACTIO.

Satisfactio non eſt neceſſaria peccatori. Auctor *Lutherus*: & damnatur *in Tridentino* Seſſ. 6. cap. 14. & ſeſſ. 4. cap. 8. & 9. ac denique can. 13. vide tit. *Pœnitentia*.

## SCRIPTVRA SACRA.

Teſtamentum vetus nihil valet. Auctores *Carpocratis*, poſtea fuerunt *Albanenſes*. Damnatur in Conc. *Laodiceno* decretorum cap. 59. anno 364. & in Conc. III. *Carthaginenſi*, & in *Florentino*, anno 1439.

Libri Machabæorum non ſunt legitimi. Auctor *Lutherus* &c. in hoc reprobatus à *Trid.* in Canone Scripturarum, vti, & de Epiſt. Canonica S. Iacobi &c.

Omnia Euangelia nihil valent, præter Lucæ Euangelium. Auctores *Cerdon*, & *Marcion*. damnatur ibidem ſupra.

Omnia Euangelia, præter Matthæi Euangelium nil valent. Auctor *Ebion* damnatur ibidem, & in anterioribus Concilijs.

Acta Apoſtolorum non ſunt Libri Canonici. Auctores ſunt *Cerinthus* & *Seuerus*: damnatur vt ſupra.

Epiſtolæ D. Pauli nullius ſunt valoris. Auctores ſunt *Ebion* & *Seuerus*, ſecuti ſunt *Eleeſuitæ* ſeu Eleeſei, damnatur vt ſupra.

Euangelium Ioannis ac eius Apocalypſis non ſunt Ioannis. Auctores *Alogiani*, præter prædicta damnatur hoc ſpecialiter in Conc. IV. *Toletano*, anno 633.

Scripturas eſſe cuilibet apertas, & claras, docent Caluiniſtæ, & refutatur fuſè ſupra *Tract. I. cap. 5.*

Canonicas Scripturas diſcerni à non Canonicis interno Spiritus teſtimonio, non authoritate infallibili Eccleſiæ, docent *Caluiniſtæ*, & refutatur ibidem, cap. 6.

## SEPVLTVRA.

Locus Sacer nihil præbet auxilij mortuis: Auctores fuerunt *VValdenſes*, vti refert Æneas Syluius, poſtea Pius II. Pontifex, de origine Bohemorum cap. 35. Damnatur autem in Conc. *Triburienſi* in Germania, an. 895.

## SILENTIVM.

Semper ſilendum eſt. Auctores dicuntur *Pataloraichitæ*, & recitatur à *S. Auguſtino* in lib. de hæreſibus: & memoratur in Conc. *Toletano XI.* anno 665.

## SIMONIA.

Dona Spiritualia pretio ſunt comparanda. Auctor *Simon Magus*, ſecuti ſunt *Græci* & *Armeni*: apud Guidonem. Damnatur in Conc. *Eliberitano* decretorum ſuorum cap. 48. vti & *Toletano XI. Latheranenſi* an. 1063. & *Bracarenſi* II. cap. 3. an. 572.

## SPES.

Spes non procedit ex meritis. Auctor eſt *Lutherus*: Damnatur in *Trident.* ſeſſ. 6. cap. 16. & Can. 26. & 32.

Spes nulla ſalutis aut iuſtitiæ collocanda eſt in bonis operibus, ſed in ſolis meritis Chriſti.

Damnatur inter Errores *Lutheri* in *Trident.* ſupra ſeſſ. 6. cap. 16. & can. 26.

## STVDIA GENERALIA.

Studia generalia ſunt vana gentilitate introducta in Eccleſiam. Auctor fuit *Ioannes VViclef*: & damnatur in Conc. *Conſtantienſi* ſeſſ. 8. art. 29. an. 1415.

### SVBDITVS.

Subditi possunt suos superiores delinquentes pro libitu corrigere. Auctor *Ioannes VVicleph.*: & inter eius errores hic 17. damnatur in Conc. *Constantiensi* sess. 8. an. 1415. Vide supra tit. Præceptum.

### SVFFRAGIA DEFVNCTORVM.

Suffragia nil prosunt defunctis. Auctor fuit *Ærius*, secuti sunt *Græci*, & *Lutherus*: damnatur in Concil. III. *Toletano*: anno 593. & in *Narbonensi* anno 506. & demum in *Tridentino*. Vide tit. *Purgatorium*.

## T

### TEMPLVM.

OMnia templa Consecrata in honorem Sanctorum sunt contemnenda. Auctor fuit *Eustachius*. secuti sunt *VValdenses*, *Pseudo-apostoli*, & *Zisska* Bohæmus anno 1450. & damnatur in Conc. *Gangrensi* cap. 5. anno 319.

### TENTATIO.

Tentationes factæ à Dæmone, in nobis sunt factæ contactu lapidum, vel herbarum. Auctor fuit Petrus *Abailardus*, & damnatur in Conc. *Rhemensi* in Gallia, anno 1148.

### TERRA.

Terra est Deo Coæterna. Auctor fuit *Felix* Manichæus: damnatur *in Conc. Romano* sub *Leone I.* anno 444.

### TIMOR DEI.

Timor Dei seruilis est omninò inutilis. Auctor fuit *Lutherus*: & damnatur in *Tridentino* sess. 6. can. 8.

Timor domini non est in futuro sæculo. Auctor fuit Petrus *Abailardus*, vti refert D. Bernardus in Epist. 109. quæ est ad Innocentium II. & damnatur in Conc. *Rhemensi*. anno 1148.

### TYRANNVS.

Tyrannus potest occidi etiam per clancularias insidias. Auctor ponitur *Ioannes Parvus* Clericus Parisiensis, anno 1400. damnatur illa doctrina in Concilio *Constantiensi* Sess. 15. in fine.

## V.

### VERECVNDIA.

DE quacunque re nobis à natura donata non est nobis erubescendum. Auctores sunt *Adamitæ*, qui quasi more Adami in Paradiso, nudi incedebant. Damnatur hæc hæresis cum Auctore *Carpocrate* in Concilio *Hierosolymitano* sub D. Petro, anno 41.

### VINVM.

Non licet bibere Vinum. Auctor fuit *Severus*, adhæsit huic *Tatianus*, quasi vitis esset germinata ex Satana, & terra damnatur in Concilio *Romano*, & in *Bracarensi I.* Can. 8. anno 563.

### VIRGINITAS.

Virginitas est æqualis siue non melior nuptijs, & quolibet humano coitu. Primus auctor fuit *Basilides*, sequuntur *Iouinianus*, & *Lutherus*: Damnatur in Concilio *Romano*, in epist. Syricij Papæ ad Episcopos Africanos, anno 386.

*Visio* beatifica, vide supra *Beatitudo*.

### VNCTIONIS EXTREMÆ SACRAMENTVM.

Vnctio extrema non est Sacramentum, nec infirmis prodest. Auctores fuernnt *Græci* cui errori adhæsere *VValdenses*, & Ioannes *VVicleph*, & *Lutherus*. Damnatur in *Tridentino* Sess. 4. cap. 1. & Can. 1. 2. 3. 4.

### VOTVM.

Vota omnia debent cum libertate fieri, scilicet ea seruandi, aut non seruandi. Auctores fuere *Pseudo-Apostoli*, sequuntur *VVicleph*, & *Lutherus*: Damnatur in Conc. *Carthaginensi* IV. anno 398. & in Concilio IV. *Toletano*, anno 633. & in 6. *Eliberitano* anno 306. aliisque.

Nulla vota debent fieri nisi ex Dei Præcepto. Auctores sunt *Lutherani* posteriores. Reprobatur pridem in Concil. II. *Carthaginensi* anno 397. & in *Carthaginensi* V. cap. 3. decretorum, anno 399.

VSV-

### VSVRA.

Vſuræ ſunt licitæ. Auctores ſunt *Græci*, quod damnatur in Concilio *Viennenſi* ſub Clemente V. anno 1311.

Licitum eſt etiam pro rebus ſacris pretium accipere. Damnatur ſupra in tit. *Simonia*.

### NOTA. *Primò.*

*Concilia* in præcedentibus memorata reperiri ordine temporum adducta, & fuſius explicata in hoc Tomo 1. ſupra de Concilijs generalibus &c. pag. 68.

### NOTA. *Secundò.*

Non annotari hic peculiariter varios Errores Scholaſticos damnatos Michaelis *Baij*, aut Cornelij *Janſenij*, quia habentur illi in hoc *Tome Primo* diſertè expreſſi cum ipſis Pontificum Diplomatibus ſupra à *pag.* 191. & ſequentibus.

Nec propoſitiones prohibitas anno 1665. ab *Alexandro VII.* & anno 1679. ab *Innocentio XI.* quia eorum Decreta in quibus illæ omnes continentur, reperiuntur hic infra in *Tom.* 2. *Tract.* 1. poſt principia practica.

*Ut facilior ſit operis in præcedentibus ſinguli Errores curſim ſub materia propria reperiantur: hic ſingularum Materiarum Titulos ſub unum aſpectum ſuo ordine ſubijcio.*

## INDEX TITVLORVM Præcedentis Notitiæ gen.


A Bſtinentia. pag. 201. *Adoratio Abſolutio. Adam, & Eua. Adulterium. Angelus. Anima. Apoſtoli. Aqua &c.*

B *Apoſtolus* pag. 203. *Bellum. Beatitudo. Benedictio Beſtia.*

C *Anus* pag. 194. *Calceamentum. Caput. Character. Caro & Corpus hominis. Certitudo. Cibus. Circumciſio. Chriſtus. Concilium. Copula humana. Confeſſio. Contritio. Conſilium. Correctio. Crux. Creatura.*

D *Eus* pag. 206. *Decima. Demon.*

E *Cclefiâ* pag. 207. *Eleemoſyna. Epiſcopus; Euangelium. Euchariſtia ſiue communio. Eunuchus. Exerciſmus, Excommunicatio.*

F *Atum.* pag. 209. *Fides Fiducia. Fornicatio. Futurorum neceſſitas. &c.*

G *Ratia. Operatio Gratiæ &c.*

H *AEreticus.* pag. 209. *Hæreſis. Hora Canonica.*

I *Ncarnatio. Imago, Indulgentia. Infernus. Inimicus. Iniuria. Ioannes Baptiſta. Iudas. Iudicium. Iudex. Iuſtus.* pag. 210.

L *Aber.* pag. 211. *Lex. Libertas. Lingua.*

M *Aria Virgo.* pag. 211. *Malum Martyrium. Matrimonium. Mendacium; Mendicitas. Meritum. Miraculum. Miſſa. Monachus. Mulier. Mundus.*

N *Vptiæ primæ, ſecundæ Bigamia. Virginitas.* pag. 213.

O *Bedientia Occiſio. Opera. Oratio. Ordinis Sacramentum.* pag. 213.

P *Apalis poteſtas.* pag. 214. *Paſcha. Paupertas. Peccatum. Pœnitentia. Poteſtas. Præceptum. Prædeſtinatio. Prædicatio. Præſcientia. Propheta. Purgatorium.*

R *Eliquiæ SS. Regnum Dei. Reſtitutio. Reſurrectio.* pag. 216.

S *Acramenta.* pag. 216. *Sacerdotium. Sancti. Satisfactio. Scriptura Sacra. Scientia. Sepultura. Silentium. Simonia. Spes. Studia generalia. Suffragia Sanctorum. Subditus.*

T *Entatio. Templum. Terra. Timor Dei Tyrannus.* pag. 218.

V *Erecundia. Vinum. Virginitas. Uotum. Vſura* Vnitas, *vide Deus. Vulneratio. Vido Occiſio.* pag. 218.

# HAERETICI PRAECIPVI
## ET ERRORVM AVTHORES,

### Cum Annotatione Temporum, ac Pontificum ſub quibus ſinguli emerſerunt, aut damnati ſunt, ordine alphabetico hìc commodiſſimè conſtituti.

A *Cephali*, qui nullum in Eccleſia Caput aut Epiſcopos admittebant, emerſerunt anno Chriſti 434. ſub Sixto III. *vt in Hiſtoria Eccleſiaſtica fuſius*.

Adamiani, qui Adami nuditatem in ſtatu innocentiæ ſectabantur, ſiue Adamitæ dicti, quorum dux Carpocrates: anno Chriſti 36. ſub D. Petro Apoſtolo.

Aerius anno 354. ſub Pontifice Liberio: *De hoc vti, & ſequentibus plura in Hiſt. Eccleſ. ſub Anno, & Pontifice hic in ſingulis notato. Et hic ſupra in Tituli quibus ad ſuos Errores citantur.*

Aetius anno 358. etiam ſub Liberio, *Ortus ex Celeſyria, & hæreſis Arianæ ſectator.*

Albanenſes anno 277. ſub Pontifice Eutichiano, *& multo poſterius vt alij, renouantes multos errores Manicheorum, vetus Teſtamentum reijcientes &c.*

Albigenſes anno 1178. ſub Alexandro III. *ſic dicti ſunt, eo quod orta ſit hæc hæreſis in agro Albigenſi prope Toloſam in Hiſpania, poſtea vlterius dilatata.*

Almericus, anno 1200. ſub Innocentio III. *Doctor Pariſijs, ob errorem Armenorum, alioſque igni traditus.*

Anabaptiſtæ anno 1302. ſub Clemente V. *Sic dicti quod Baptizatos in infantia, adultos iterum Baptizent.*

Andreas Oſſiander, anno 1530. ſub Clemente VII.

Andreas Caroliſtadius, eodem anno, & ſub eodem Clemente VII.

Apelles anno 146. ſub Teleſphoro. *Diſcipulus Marcionis, contra Corporis reſurrectionem &c.*

Apollinaris Laodicenus anno 371. ſub Damaſo I. *contra eius libros Patres eius temporis plurima ſcripſere.*

Apoſtolici anno 260. ſub Sixto II. *ſic dicti quia iactabant ſe eſſe Apoſtolorum ſucceſſores, omnia relinquentes, obedientiam Pontifici negantes.*

Arabici anno 249. ſub. Teleſphoro *ſic dicti, quia in Arabia primum orti.*

Armeni anno 455. ſub Leone I. *Hiſc dicti, quia orti in Armenia, qui cum Græcis viſi ſunt conſpiſcere in Concilio Florentino, ſed poſtea in errores ſuos relapſi.*

Arnoldus anno 1139. ſub Innocentio II.

Arrius anno 315. ſub Syluestro I.

Arthemon anno 196. ſub Victore I.

Audeus anno 341. ſub Iulio I.

B Althaſar Hiebmaier anno 1534. ſub Paulo III.

Bardeſanes anno 186. ſub Eleutherio.

Baſilides anno 74. ſub Lino.

Baſſus anno 120. ſub Euariſto.

Begardi, anno 1300. ſub Clemente V.

Beguinæ, anno prædicto, ſub eodem Clemente V. *Orti ſunt Begardi, & Beguinæ, viri & fœminæ, in Germania inferiori, libertatem ſub pietatis ſpecie pertinaciter ſectantes, varij ex illis publicè cremati.*

Berengarius anno 1028. ſub Ioanne XX.

Blaſtus anno 180. ſub Eleutherio.

Bugaurius anno 1006. ſub Ioanne XIX.

C *Arpocrates* anno 36. ſub Petro Apoſtolo.

Caſſianus, anno 430. ſub Cœleſtino I.

Catharistæ, anno 277. ſub Eutichiano.

Cataphryges, anno 173. ſub Aniceto.

Cerdon, anno 146. ſub Teleſphoro, & Higino. *Fuit Ponticus ex vrbe Sinope multarum Hæreſum Dux, & magiſter Marcionis hæretici.*

Circumcelliones anno 321. ſub Syluestro I. ſic dicti quia circuibant agreſti more ſui occiſionem vt martyrium prædicantes &c.

Claudius Taurinenſis Epiſcopus anno 825. ſub Eugenio II. apud VValdenſem de Sacramentalibus *tit. 2. cap. 16.* natione Oxonienſis in Anglia, oppugnauit Crucis adorationem &c.

Cerinthus anno 41. ſub Petro Apoſt.

Coluthus anno 319. ſub Syluestro I.

D *Eſiderius* Rex Longobardorum an. 756. ſub Stephano III.

Dioſcorus anno 449. ſub Leone I.

Diotrephes anno 75. ſub Lino.

Donatus anno 313. ſub Melchiade.

Ebion

EBion anno 74. ſub Lino.
Elnidius anno 355. ſub Liberio.
Ennomius 381. ſub Damaſo I.
Euſtachius anno 341. ſub Iulio I.
Eutiches anno 448. ſub Leone I.
Eutichius anno 564. ſub Ioanne III.

F*Auſtus*, anno 404. ſub Innocentio I.
Felix, eodem anno, ſub eodem Innoc. I.
Felix Orgelitanus, anno 708. ſub Syſinio.
Flagellantes anno 1272. ſub Benedicto XII. *ſic dicti, quia Flagellationem ſui aſſerebant Confeſſione ac Martyrio petiorem: ex Hetruria in Italia ortum habuerunt.*
Florinus anno 180 ſub Eleutherio.
Fraticelli anno 1294. ſub Bonifacio VIII.

GErardus anno 1300. ſub Clemente V.
Gnoſtici anno 68. ſub Petro Apoſt.
Græci ſchiſm. anno 455. ſub Leone I.
Gulielmus de S. Amando ſiue Amore anno 1259. ſub Alexandro IV. *alij Germanus; alijs Doctor Pariſienſis, Monachorum mendicantium ex profeſſo hoſtis ab Eccleſia damnatus, in erroribus mortuus dicitur.*

HEnricus anno 1149. ſub Eugenio III.
Hermanus Riſnich. an. 1512. ſub Iulio II.
Hermanus Ferrarienſis anno 1294. ſub Bonifacio VIII.
Hermias anno 170. ſub Aniceto.
Hilarius anno 334. ſub Syluestro I.
Hierax anno 278. ſub Caio.
Hymenæus anno 43. ſub Petro Apoſt.

I*Acobus Syrus*, anno 452. ſub Leone I.
Ioachim Abbas an. 1129. ſub Clemente III.
Ioannes Brentius anno 1540. ſub Paulo III.
Ioannes Caluinus 1534. ſub Clemente VII.
Ioannes Oecolampadius an. 1525. ſub Clemente VII.
Ioannes Hieroſolymitanus anno 392. ſub Syricio.
Ioannes Huſſ anno 1413. ſub Ioanne XXIV.
Ioannes Paruus anno 1400. ſub Gregorio XII. *Gallus Pariſienſis Clericus, Abailardi erroribus addictus ſcribitur.*
Ioannes de Rochceſana anno 1425. ſub Martino V.
Ioannes Spangebergus anno 1536. ſub Clemente VII.
Ioannes Volfangus an. 1524. ſub Martino V.
Ioannes de VVeſtphalia anno 1470. ſub Paulo II.
Ioannes VVicleph an. 1380. ſub Vrbano IV.
Iouinianus anno 380 ſub Damaſo.

LOlardi anno 1450 ſub Nicolao V. *Fuerunt in Anglia, Sectatores VViclephi.*
Lucifer anno 371. ſub Liberio.
Lutherus anno 1517. ſub Leone X.

M*Acedonius* anno 341. ſub Iulio I.
Macharius Sahno 680. ſub Agatone.
Manes anno 277. ſub Eutichiano.
Marcion anno 158. ſub Pio I.
Marcus anno 155. ſub Ignatio.
Marc. Anton. de Dominis anno 1616. ſub Paulo V.
Marſilius anno 1307. ſub Ioanne XXII.
Martinus Butzerus anno 1530. ſub Clemente VII.
Menander anno 74. ſub Lino Papa.
Meſſaliani anno 375. ſub Damaſo.
Montanus anno 373. ſub Aniceto.

NAzaræi anno 74. ſub Lino: ſecta Iudaica ab alijs diuerſa in Sacrificijs, cibis, libris canonicis, &c. Fuerunt, & alij Nazaræi, in Chriſtum credentes, ſed Circumciſionem retinentes.
Neſtorius anno 430. ſub Cæleſtino I.
Nicolaus Diaconus anno 68. ſub Petro Apoſt.
Nicol. Galecus anno 1431. ſub Eugenio IV.
Noetius anno 260. ſub Siſto II.
Nouatus anno 245. ſub Cornelio.

O*Rigenes* anno 231. ſub Vrbano I.

P*Apias* anno 118. ſub Euariſto.
Paulus Samoſatenus anno 266. ſub Dionyſio I.
Pelagius anno 405. ſub Innocentio I.
Petrus Abailardus anno 1140. ſub Innocentio II. *Gallus Narbonenſis origine, non ingenio tenuis, à S. Bernardo præclarè confutatus.*
Petrus de Bruis anno 1126. ſub Honorio II.
Petrus Dreſenſis anno 1428. ſub Eugenio IV.
Petrus Gnanſeus anno 471. ſub Simplicio.
Petrus Ioannes anno 1199. ſub Clemente V.
Petrus Aſmenſis anno 1474. ſub Siſto IV.
Phyletus anno 43. ſub Petro Apoſtolo.
Philippus Melanchton anno 1530. ſub Paulo III.
Photinus anno 357. ſub Liberio.
Phylaſtrius anno 384. ſub Syricio.
Piccardus anno 1428. ſub Eugenio IV.
Priſcillianus anno 381. ſub Damaſo I.
Proclianitæ anno 170. ſub Aniceto.
Ptolomeus anno 175. ſub Sothero.

R*Icardus* anno 1370. ſub Innocentio VI. *Vide ſupra in Notitia gen. tit. Epiſcopus.*

S*Abas* anno 170. ſub Aniceto.
Sabellinus anno 260. ſub Siſto II.
Saturninus anno 74. ſub Lino.
Secundus anno 175. ſub Sothero.
Seleucus anno 170. ſub Aniceto.
Sethiani anno 68. ſub Petro Apoſt.

Seuerus anno 91 9. sub Hormisda.
Simon Magus anno 36. sub Petro Apostolo.

*Tatianus* anno 174. sub Aniceto.
Tertullianus anno 215. sub Zepherino.
Theodotus Argentarius anno 173. sub Aniceto.
Theodotus Sutor sub eodem.

*Valentinus* anno 145. sub Telesphoro.
Valesius anno 230. sub Vrbano I.
Vigilantius anno 406. sub Innocentio I. Gallus origine, sed Barcinone in Catal. Archipresbyter, contra quam scripsit S. Hieronymus.
Vualdo anno 1170. sub Alexandro III.

*Zischa* Bohemus anno 1450. sub Calisto III. *Fuit monoculus, & perdito altero oculo adhuc fuit in prælijs Dux hæreticorum, & moriens iussit ex sua pelle fieri tympanum, quo pulsato ipsius Sectatores contra aduersarios ad prælia incitarentur, ita Spondanus alijque.*
Zuinglius anno 1525. sub Clemente VII. Fuit Heluetus, primò Parochus; postea sectator Berengarij, in prælio occisus.

## NOTA.

Si quando de his Hæreticis plura in particulari requirantur, facile ex hac Temporum, ac Pontificum Annotatione recurri potest ad quamlibet *Historiam* Ecclesiasticam, in qua sub titulo *Anni* aut *Pontificis* hic annotati, eorum ortus, patria, professio progressus, ac dogmata repetiuntur. Illos, & nos supra in ordine Dogmatum damnatorum suis erroribus specialiter adiunximus, & eorum Notitiam non modicam præbuimus.

## NOTITIA LIBRORVM PROHIBITORVM

*Ex his breuiter deducta.*

EX prædictis Nominibus Authorum, & Dogmatum Damnatorum magna colligitur Notitia Librorum Prohibitorum, vt ab alijs discernantur. Tales enim censeri possunt singuli Libri qui sub Nomine prædictorum Scriptorum de rebus Fidei, aut doctrina sacra quomodolibet in lucem prodierunt: aut etiam de alijs Materijs ab ijs scripti, errores aliquos obiter continent, nisi ab his fuerint expurgati.

Plures etiam istiusmodi Libri damnati reperiuntur expressi in calce Concilij Tridentini in tres Classes distributi.

Præter illos, plures alij Libri postea prohibiti, exponuntur in vno Tomo cui titulus, Index Librorum Prohibitorum, & Expurgatorum editus auctoritate, & iussu Illustrissimi D. Bernardi De Sandoual Archiepiscopi Toletani, Hispaniarum Primatis, &c. de Consilio supremi Senatus S. Gen. Inquisitionis Hispanicæ.

Regulæ etiam traditæ ad Tridentinum in fine, pro indicandis, imprimendis, legendis discernendis Libris in quouis genere Materiæ prohibitis, exprimuntur distinctè in hoc Opere nostro infra *Tomo* 2. *Tract.* 6. *Quæst.* 12. *de Libris Hæreticorum quomodo prohibiti*, &c.

# SCRIPTORES SACRI

## Contra prædictos Hæreticos, eorumque Errores, ordine Temporis siue Antiquitatis exhibiti.

APostoli, & Euangelistæ varia scripserunt contra errores Iudæorum, aliosque plurimos.

Ita, S. Dionysius Areopagita discipulus S. Pauli Apostoli, scripsit de Hierarchia Ecclesiastica, &c.

S. Clemens Romanus anno Christi 92. edidit Canones Apostolorum, & constitutiones Apostolicas contra varios errores, & Disputationem S. Petri cum Appione.

S. Ignatius martyr, contra Simonem Magum, Menandrum, Ebionem, & alios.

S. Ireneus, contra Valentinum, & alios plurimos qui vsque ad suum tempus Ecclesiam impugnarunt.

Tertullianus contra Mercionem, & alios sui temporis.

S. Cyprianus Carthaginensis, contra Nouatianos.

S. Athanasius Alexandrinus,
S. Gregorius Beticus,
S. Sebadius Agennesis,
S. Hilarius Pictauiensis,
Lucifer Calaritanus,
} Contra Arianos.

S. Pacianus Barchinensis, contra Nouatianos.
S. Optatus Meleuitanus, contra Donatistas.

Titus

Titus Boſtrenus, contra Manichæos.
S. Baſilius Magnus, contra Eunomium.
S. Gregorius Nazianzenus, contra Arianos, & Eunomianos.
S. Epiphanius Cyprius, contra omnes hæreſes priorum temporum.
S. Ambroſius Mediolanēſis, contra Arianos.
S. Philaſtrius, cōtra omnes hæreſes anteriores
S. Hieronymus, contra Origenem, Iouinianum, Heluidium, Vigilantium, Pelagium.
Theophilus Alexandrinus, contra Origenē.
S. Auguſtinus, contra Manichæos, Arianos, Donatiſtas, Pelagianos, Iouinianiſtas.
S. Innocentius Papa contra Pelagianos.
S. Cyrillus Alexandrinus contra Neſtorium
Theodoretus Cyriæ, contra omnes hæreticos iſtorum temporum.
Ioannes Caſſianus, contra Entichianos.
Vincentius Lirinenſis, contra omnes anteriores breuiſſimè.
S. Leo Papa, contra Neſtorium, Eutichem & Priſcillianum.
S. Proſper Aquitanus, contra Pelagianos, & Semipelagianos.
S. Fulgentius Ruſpenſis, contra Arianos, & Pelagianos.
Petrus Diaconus, contra eoſdem.
Ioannes Maxentius, cōtra Semi-pelagianos.
S. Sophronius Hieroſolymit. contra Monothelitas.
S. Maximus martyr, contra Monothelitas.
S. Ildephonſus Toletanus, contra negantes virginitatem B. Mariæ.
S. Ioannes Damaſcenus, contra Iconomachos.
S. Theodoretus Studites, contra eoſdem.
Theorianus Græcus, contra errores Armenorum.
Humbertus Cardinalis, contra errores Græcorum.
Lanfrancus Cantuarienſis, contra Berengarium.
Guitmundus Auerſanus, contra eundem.
Algerus Scholaſticus, contra eundem.
S. Anſelmus Cantuarienſis, contra errores Græcorum.
S. Bernardus Abbas, contra Petrum Abailardum, & Gilbertum, & Henricianos, & Petrobuſianos.
Petrus Cluniacenſis, contra eoſdem Petrobuſianos.
Hugo Etherianus, contra Græcos.
S. Thomas Aquinas, contra Græcos, & contra impugnantes Ordines Religioſos, &c.
S. Bonauentura, contra eoſdem.
Pelagius Aluarus, contra Marſilium de Padua, & alios impugnantes Pontificiā poteſtatē
Guido Carmelita, contra omnes hæreſes priores.
Thomas Valdenſis, contra Ioa. Vvicleph.
Beſſarion Cardinalis, contra Græcos.
Georgius, ſiue Gennadius Scholarius, contra Græcos.
Ioannes de Turrecremata, contra impugnantes Pontificis Poteſtatem.
AEneas Syluius, cōtra Ioan. Hus, & Huſſitas
Sylueſter Prieras, contra Lutheranos, *vti & omnes hic ſequentes contra eoſdem* Lutheranos.
Iannes EcKius.
Thomas Caietanus.
Thomas Morus.
Ioannes Roſſenſis.
Ioannes Faber.
Ioannes Cochlæus.
Dominicus Sotus.
Ambroſius Catharinus, contra eoſdem Lutheranos.
Robertus Bellarminus, Martinus Becanus, aliique contra modernorum errores, pro quo

## NOTA I.

Plurimos alios Scriptores Recentiores *Controuerſiarum* contra modernos Hæreticos, eorumque particulares Tractatus, accuratè annotatos hic reperies in fine *Tomi ſecundi*. Vti & *Interpretes* in S. Scripturam, *Concionatores* verbi diuini in omni genere, & per Dominicas, & Feſta, Scriptores *Hiſtoriæ Sacræ*, &c. ibidem.

## II.

*Theologiæ* Scriptores in omni parte ac materia, vti & *Iuris* vtriuſque, *Philoſophiæ*, ac *Matheſis*, eorumque Opera, Axiomata, Status, ac Notitia diſtincto ordine proferuntur in Idea ſcientifica infra *Tomo* 2 huius Operis *ante finem Tomi ſecundi*.

## III.

*Concilia* ſingula generalia, & particularia approbata, aut reprobata, & res in ijs geſtæ breuiter exponuntur in huius Operis *Tomo* 1. *part.* 1. *q.* 7. §. 3. Vti & *Pontificum* omnium ſeries, ordo ſucceſſionis, ac res præcipuæ reperiuntur ibidem. *Tom.* 1. *part.* 1. *Tract.* 1. *qu.* 7. *pag.* 43. Quinimo notitia breuis totius Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Sacræ ac ſecularis in ſequentibus exhibetur. Sic vt nihil notitiæ totius Theologiæ, ac ſaluris animarum Studioſo in hoc Opere deeſſe poſſit.

NOTI-

# NOTITIA BREVIS TOTIVS MONARCHIAE SACRAE AC SAECVLARIS

*Cum Rerum memorabilium, Perſonarum, ac Temporum ordine accurato à Mundi exordio ad annum præſentem 1685.*

CVM in huius Tomi primi decurſu exhibeamus in hoc genere non pauca, vt eſt, ſeries omnium Pontificum. Conciliorum generalium, Hæreſum, Patrum & Scriptorum contra illos præcipuorũ &c. Viſum eſt mihi, & aliis id magnopere deſiderantibus, ad perfectum rei complementum, his ſuperaddere hanc ideam vniuerſalem quam ſubijcio, non pauco ſane labore in eum finem à nobis concinnatã, & ad normam tam breuem, tamque commodam dilucidè redactam. Incredibile namque eſt cunctis (niſi expertis) quam copioſam hic Tralatui, viris præſertim Eccleſiaſtici, ſuppeditet omnigenæ litteraturæ ſcientiam. Quantam Scripturarum: quantam Hiſtoriæ Sacræ, & Profanæ: quantam Regnorum ac Gentiũ: quantam Rerum ac Temporum Orbis vniuerſi peritiam. Idque ſiue in ordine ad Controuerſiarũ reſolutiones, ſiue ad Diſcurſus eruditos, ſiue ad Materias omnis generis etiam præ Concione ſolidè, copioſeque proferendas.

Primò igitur, pro meliori rerum, ac temporum ordine, & memoria, totus Orbis vniuerſi decurſus redigitur hic ad Sex mundi ÆEtates; cum ſingularum rebus geſtis, perſonis, ac temporibus, certa annorum ſerie, & ordine definitis.

Secundò, Quatuor Orbis Monarchiæ celebriores ſibi inuicem, ſimili rerum, perſonarum, ac temporum ordine, ſuccedentes.

Tertiò, Deducitur ſpeciatim Monarchia Sacra, & varius Status Vrbis Romanæ, ac omnium Cæſarum, Pontificum, Conciliorum generalium &c.

Quartò Monarchia Sæcularis, ſiue, ſinguli Imperatores Chriſtiani, cum rebus eorum tempore præcipuè geſtis, per ſinguia ſæcula deducti anno 800.

Quintò, ſeries, & ſucceſſio Regum Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Hiberniæ, &c. cum 4. Mundi partibus, & alijs annexis.

Hæc cum Lector in ſequentibus diſtinctè perſpexeris, non parùm gratulabitur ſe tam commode ad manum habere, tantam, & tam ordinatam Rerum copiam, quam ex multis Voluminibus longo vix ſtudio ſibi compararet.

## ARTICVLVS I.

## SEX MVNDI ÆTATES

*Cum ſingularum annis, ordine, ac rebus ſcitu digniſſimis.*

### *Prima mundi Ætas ab* Adamo *ad finem* Diluuij, *per annos 1656.*

CReato mundi ex communi ſententia ſuppoſitur facta in vere vel autumno, cum hoc ſit tempus innouationi rerum maximè proprium. Abſoluta eſt mundi creatio diebus ſeptem. Die ſexto *Adam* creatus eſt ex limo terræ, & *Eua* ex illius coſta formata. Non multò poſt lapſus vtriuſque, & profligatio ex Paradiſo. Ante finem anni primi Adami natus eſt illi *Cain*, & ſoror eius Calmana.

Anno Adami 30. natus eſt ei *Abel*, cum ſorore nomine Delbora. Anno Adami 99. occiſus Abel à fratre Caino.

Anno Adami 115. ciuitas *Enochia* à Caino condita eſt: vti tradunt ipſi *Hebræi, Chriſtianus Maſſæus, & Sculletus*.

Inſuper ex Adamo genitus eſt *Seth*, poſtquã vixiſſet 130. annis, & poſtea genuit alios filios & filias. Ac vniuerſim vixit Adam nongentis triginta annis, & mortuus eſt.

*Seth* verò, poſt centum, & quinque ætatis ſuæ annos, genuit filium nomine *Enos*, qui fuit probus, & pius Dei cultor, vixitque Enos vniuerſim nongentis, & quinque annis.

*Ex Enos* natus eſt *Cainan* qui vixit 910. annis. Ex hoc proſeminatus *Malaleel* qui vixit 895. annis, & ex huius ſtirpe ſucceſſiuè *Sared*, 962. an. *Henoch* poſt 365. annos non mortuus, ſed à Deo raptus eſt. *Mathuſala*, qui vixit annis 969. omniumque longiſſimè. *Lamech* 677. annis vixit, & anno ſuo 182. natus eſt illi *Noe*.

Cum autem *Noe* eſſet 500. annorum genuit, *Sem, Cham, & Japhet*. Poſtea multiplicatis hominibus, aucta eſt plurimùm corruptio carnis, ac vitiorum, de qua queritur Deus, & præmonet centum annis ante *Diluuium*, propter hominum

minum ſcelera illud ſecuturum. Noè à Deo inſtructus parat Arcam ad conſeruationem generis humani: in ea egit Noe annum vitæ ſuæ ſexcenteſimum, vti colligitur ex Geneſis c. 7. v. 11. & c. 8. v. 13. Atque ita completur prima mundi ætas, 1656. *annorum*.

## *Secunda mundi Ætas.*

A Principio anni 601. *Noe* vſque ad greſſum Filiorum Iſrael *ex Ægypto* computatur, & durauit illa Secunda ætas per annos 887.

Diluuium itaque durauit menſibus duodecim & diebus decem: Quod autem Noe adhuc per bimeſtre manſerit in Arca, ideo factum eſt quod terræ ſuperficies adhuc limo humido ex præcedente aquarum diluuio oppleta, non potuerit tunc coli, incoli, & pedibus niſi incommode calcari.

Ex *Sem* primogenito Noe prognati ſunt poſteri ſucceſſiue, hoc eſt, alter ab altero, Arphaxad, Cainan, Saie, Heber, Phaleg, Ren, Saruch, Nachor, Tare, Abram, Iſaac, Iacob qui erat pater Ioſephi, qui ductus eſt in Ægyptum, à quo & ipſe Iacob vrgente fame euocatus eſt in Ægyptum ad Regem Pharaonem, cum eſſet annorum 130.

*Ioſeph* autem tunc erat annorum 39. Nam traditur nouennio antea, cum ſcilicet eſſet annorum 30. primum ſtetiſſe in conſpectu Regis Pharaonis, *Gen. c.* 41. *v.* 46.

Mortuus eſt Ioſeph cum eſſet 110. annorum vt patet *Geneſis cap.* 50. *v.* 22. Ergo poſtquam patrem ſuum Iacobum ſtitit in conſpectu Pharaonis, ſuperuixit Ioſeph annis 70. & vno.

*A morte Ioſephi* vſque ad natiuitatem *Moyſi*, communiori calculo ſtatuuntur anni 64. Erat autem Moyſes annorum 80. cum Hebræi ex Ægypto egrederentur, *Exodi* 7. *v.* 7.

Notant paſſim temporum Scriptores, anno mundi 1862. & Diluuij 206. Saturnum, qui & Chus dicitur, alterius *Chus* filius qui primogenitus *Cham* fuiſſe notatur, inchoaſſe Regnum Aſſyriorum. Sed filius eius *Nimrod* (qui & Belus & Iupiter nuncupatur) vltra regnum, Monarchiam Aſſyriacam ſiue dominatum ſupra alias vicinas Gentes inchoauit anno mundi 1932. & Diluuij anno 276. Huius autem *Monarchiæ Aſſyriorum* anno 43. inchoante, natus eſt *Abraham*, ex cuius ſemine *Chriſtus*; ita cum alijs *Euſebius in ſuo Cronic.* Per prædictũ *Nimrod*, ſiue iouem, incœpta eſt erigi turris *Babel* initio Regni illius, quod antea annis 14. fuit eiſdem Monarchia. In hac Turre conſtruenda occupatos fuiſſe opifices annis 43. vt ad altitudinem vnius leuæ illam extollerent, tradit *Cedrenus*. Itaque ædificantium diſſipatio, & linguarum diuiſio, contigit ante ortum *Abrahæ* annis 14.

His igitur ſecundæ ætatis annis 887. addendo primæ ætatis anno 1656. reperiuntur anni ab exordio mundi fluxiſſe 2543. & ante egreſſum Hebræorum ex Ægypto.

In hac mundi ætate ſecunda circa annum ab illius exordio 2530. cœperunt exiſtere varia etiam in Hiſtoria prophana cognitu digniſſima. *Triſmegiſtus* Mercurij nepos in Ægypto, hoc tempore doctrinæ gloria excellnit: *Ianus* in Latio imperitauit. *Cadmus* frater Europæ Litteras ex Phœnicia in *Græciam* induxit. Idem *Thebas*, in Bœotia condidit. *Acriſius* Rex Arginorum Apollinis Delphici templum, & oraculum excitauit. *Amphion*, electo *Cadmo*, arcem Thebanam extruxit per agreſtes homines, blanda oratione ad hoc delinitos; quo Poetis de illius muſica fabulandi materiam præbuit. *Bacchus* per muliebrem Baccharum exercitum *Indiam* ſubegit, *Perſeus* Ione natus, in *Aſia* Barbaros vicit, illoſque ſuo nomine *Perſas* appellauit.

*Græca littera* in *Italiam* innectæ multò tempore illic vernaculæ fuerunt: idem notat Eutropius, & Auguſt. de Ciu. l. 18.

*Fauni vxor*, eadem *Latini* Regis mater, Latinas litteras primò iam reperiſſe memoratur, rara ſexus fœminei gloria.

*Saturnus* Rex Iano in Latio ſucceſſit. Sub Saturno & agrorum, & ingeniorum culturam ex Græcia accepiſſe fertur Italia: & bona tunc communia, & homines liberos fuiſſe. Inde hoc ſæculum *Saturni*, & ſæculum mundi *Aureum* appellatur.

## *Tertia mundi Ætas.*

AB *Egreſſu* filiorum Iſrael ex Ægypto ad annum primum conditi *Templi*, à Salomone, durauit tertia mundi ætas per annos 480. quod colligitur ex 3. *Regum* 6. Quamuis in hoc nonnihil computum communem, excedat Ioſephus, Sabellicus, Cauus, & Serrarius.

*Moyſes* præfuit Iſraeli ab *egreſſu* ex Ægypto ad eius *mortem* annis 40. à mundo condito 2583. à diluuio 927.

*Ioſue* Iſraeli *præfuit* annis 17. *mortuus* ab egreſſu ex Ægypto anno 57.

*Othoniel*, in illius principatu includendo annos ſeruitutis ſub Rege Meſopotamiæ, & tempora Seniorum qui dicuntur poſt Ioſue vixiſſe; *præfuit* annis 44. *mortuus* ab egreſſu

Ægypti anno 97. *Aod*, computatis 18. annis ſeruitutis Moabiticæ & Iudicis Samgar, inuoluit annos 80.

*Barac & Debora*, includendo annos ſeruitutis Regi Chanaan, præfuit annis 40.

*Gedeon*, cum interregno 7. annorum ſub Madianitis, gubernauit Iſraelem annis 40. *Abimelech* tyrannus annis 3. *Thola* annis 23.

*Iair*, cuius annis Cedrenus includit 18 annos ſeruitutis ſub Philiſtæis & Ammonitis &c. præfuit annis 22.

*Iephte* præfuit annis 6. *Abeſan* annis 7. *Abialon*, vel Helon, annis 10. *Abdon* annis 8.

*Sampſon* iudicauit Iſraelem annis 20. additur *Iudicum* 15. v. *vlt.* id factum in diebus Philiſtijn, hoc eſt, dum hi dominabantur Iſraelitis, vnde 40. anni ſeruitutis ſub Philiſtæis includuntur annis tam Sampſonis, quam ipſius Heli, qui ſecutus eſt Sampſonem: vti tradit Maſius & alij, & inde forte factum, vt aliqui pauciores annos *Heli* attribuerint quam hic notamus, qui illi cum communi 40. annos aſſignamus.

*Samuel* Propheta & *Saul* Rex primus ſimul ſumpti, præfuerunt annis 40.

*Dauid* Rex ſecundus Iſraelis, poſt Saulum rexit etiam annis 40. Succedit *Salomon*, de quo infra. Ex his hactenus conficiuntur 480. anni tertiæ ætatis mundi.

In hac mundi Ætate tertia, circa annum ab exordio mundi 1000. aut nonnihil poſterius, *Troia* à Græcis euerſa eſt, ante Romam conditam annis 432. *Æneas* profugus in Italiam venit. *Homerus* floruit, Salomone aliquantum ſenior, vixitque poſt bellum Troianum anno 168. teſte Herodoto.

*Arbaces* hoc tempore imperium ab *Aſſyrijs*, tranſtulit in *Medos*, cum illud ſtetiſſet annis circiter 300. teſte Iuſtino. Poſtea *Dido* Tyro ſoluens vrbem condidit *Cartagho* dein dicta ante conditam Romam annis circiter 70. teſte Dione lib. 1.

## *Quarta mundi Ætas.*

A Principio *ædificationis Templi* Salomonis vſque ad illius *exuſtionem* per Chaldæos, ſiue vſque ad finem *Captiuitatis Babylonicæ*, & Monarchiæ Chaldaicæ durauit hæc quarta mundi ætas annis integris 452.

*Salomon* ædificationem Templi Salomonici incœpit quarto anno regni ſui, vixitque poſtea annis 36. & vniuerſim regnauit annis 40. mortuus eſt anno mundi 3060.

Tum in regno quod erat Salomonis demortui ortum eſt *Schiſma*, quo à domo Dauidis *decem Tribus* defecerunt, nimia & iuuenili ſeueritate *Roboami* qui Salomoni patri ſucceſſit. Et ſic diuiſum eſt regnum *Iudæ* ſiue Hieroſolymæ quod manſit ſub Roboamo, ſtirpis Dauid, à regno *Iſraelis* ſiue Samariæ ſub *Ieroboamo*, ſub quo populus ille ad idola traductus, ne illi religione templi Hieroſolymitani ad Regem Iudæ reuocarentur; & poſteà in illa impietate non parum pertinaces, diuerſarum ſtirpium Reges habuerunt, & plurimis bellis Reges Iudæ, qui in Dei cultu permanſerant, deinceps infeſtarunt.

Super illas igitur decem Tribus regnauit, primò *Ieroboam* filius Nabat per annos 22. ſed vltimus tantum inchoatus, vt patet 3. *Reg.* 14.

Succeſſit huic *Nadab* eius filius; regnauit ille tantum anno 1. altero tantum inchoato. Poſtea *Baaſa* qui regnauit annis 23. *Ela* filius eius regnauit tantum anno vno integro, occiſus à Zambri præfecto equitum. *Amri* qui fuit Princeps exercitus, ſuffragijs illius electus in Regem, regnauit, integros numerando, annis 12. quatuor annos in bello cum Zambri &c. ſeptem reliquos in pace in regia vrbe *Therſa*, ex qua ipſe ſedem Regiam tranſtulit in *Samariam*.

Succeſſit illi *Achab* filius, deinde *Ochozias*, *Ioram*, *Iehu*, *Ioachaz*, *Ioas*, alique numero ſedecim (de quibus lib. 4. Reg. c. 13.) vſque ad *Oſee* filium Ela, qui occiſo *Phaſee* prædeceſſore, ſceptrum tyrannicè vſurpauit per annos 9 quamuis & plures anni ob varios rerum incurſus illi attribuantur.

Initio *Oſee* anni ſeptimi obſedit *Salmanaſſer* Samariam, & non eam intercepit, tranſtulitque Iſraelitas in Aſſyrios, vbi perpetuam ſubierunt ſeruitutem, vti patet ex *lib* 4. *Reg c.* 17. *v.* 23.

Regnum igitur hoc *Iſraelitarum* ſtetit ab anno primo Ieroboami, ad annum vltimum *Oſee* nempe per annos 256. Ab huius Regni excidio vſque ad excidium vrbis Hieroſolymitanę, & Templi, quod euenit *Sedeciæ* anno 11. fluxerunt anni 130. vti Tirinus, aliique ſentiunt.

Sed vt nunc redeamus ad regnum Dauidis, & Salomonis, Succeſſit Salomoni filius eius *Roboam*, de quo ſupra, qui regnauit ſuper Iudæam annis 17. *Abias* annis 3. *Aſa* annis 41. *Ioſaphat* dicitur quidem regnaſſe annis 25. *Reg.* 3. *Reg.* 14. *v.* 21. ſed ſolus tantùm regnauit annis 22. nam tres vltimi filio adſcribuntur 4. *Reg.* 8. Itaque *Ioram* annis tribus cum parte 4. ſolus regnauit, vniuerſim annis 7. dicitur quidem alibi octauo regnaſſe ſed tantum inchoato

quod

quod hic, & alibi de annis imperfectis in numerando obſeruare non profitemur.

*Ochozias* regnauit anno 1. *Athalia* tyrannicè annis 6. *Ioas* filius Ochoziæ annis 40. *Amaſias* annis 29. *Azarias* ſine *Ozias* an. 52.

Anno huius *Oziæ* quinto, cum ſolſtitio æſtiuo cœpit initium *Olympiadum* quarum ſingulæ continent annos 4. à Indis Olympiacis qui ſingulis quadriennijs fiebant. Quibus ſequentia tempora per Olympiades apud varios numerantur. Eiſdem anno nono ſuperſtus eſt *Sardonpalus* per Babylonios, & Medos, atque its Monarchia *Aſſyrijs* erepta eſt.

Anno eiuſdem Oziæ 2. vel 3. *Prophetarum* primus *Oſeas*, prophetare cœpit. Anno 5. vel 6. Propheta *Ioel*, & *Ionas*, Anno 23. *Amos*. Anno 25 *Iſaias*.

Anno Oziæ 28. menſis Aprilis, 21. condi cœpit *Vrbs Romana*, de qua infra.

*Ioatham* filius Oziæ regnauit annis 26. Sub illo prophetauit *Abdias*, & Michæas.

*Achaz*, regnauit annis 16. *Ezechias* regnauit ſolus annis 27. Sub illo *Nahum* prophetare cœpit.

*Manaſſes* filius Ezechiæ, qui ob ſua ſlagitia vinctus catenis ductus eſt in Babyloniam, ſed breui reſtitutus, regnauit annis 55. *Amon* regnauit tantum annis 2. *Ioſias* annis 31. Sub hoc prophetare cœperunt *Sophonias*, *Habacuc*, & *Ieremias*.

*Ioachas* filius Ioſiæ tantum regnauit menſibus tribus, cum à Pharaone Necao ductus eſt vinctus in Ægyptum.

*Iechim*, qui etiam cum Daniele eiuſque ſocijs ductus eſt in captiuitatem, & poſtea infami morte extinctus, de quo 4. *Reg.* 24. regnauit annis 11. Eius filius etiam *Ioachim* cum matre & aula abductus eſt in Babyloniam cum regnaſſet tantum menſibus 3. diebus 10.

*Sedecias* patruus Iechoniæ regnauit annis 10. Anno illius 11. capta incenſa eſt cum Templo vrbs Ieroſolymitana. Fuit igitur ille annus primus captiuitatis Vrbis, & Templi incenſi, ac deſolationis iſtius ante tempora Chriſti: manſitque iſta Ieroſolymæ deſolatio per annos 30. de qua 2. *Paralip. cap. vlt.*

## *Quinta Mundi Ætas.*

### Et 3. *Monarchiæ.*

INcipit à principio *Monarchia Perſarum* cum ſequentibus, & à *relaxata* per Cyrum Regem captiuitate Iudæorum, vſque ad aduentum *Meſſiæ*, ſiue, *Chriſti Saluatoris*, & durauit per annos 525. vſque ad annum mundi 3675.

*Perſica* autem *Monarchia* duravit annis 200. quæ cœpit à *Cyro* filio Cambyſis Perſæ, & filiæ Regis Medorum, occiſo Balthaſara vltimo Chaldæorum Rege, Cyro ſucceſſit filius nomine ani ſui *Cambyſes* qui regnauit annis 6. poſtea *Smerdes* tantum menſibus 7. deinde *Darius Hyſtaſpis* regnauit annis 37. Et hic eſt qui anno 2. regni ſui Iudæis poteſtatem fecit Templi fabricam intermiſſam perficiendi. Succeſſit huic filius *Xerxes* potentiſſimus annis 20. poſtea *Artaxerxes*, ſiue Longimanus, annis 40. *Darius* filius nothus Longimani annis 19. deinde geminus *Artaxerxes*, alter annis 43. alter 23. poſtea *Arſames* annis 3.

Poſtremo *Darius*, filius Arſamis, regnauit annis 6. qui poſt multa prælia ſub Alexandro Macedone victus, & impetio ſpoliatus, Monarchiæ Perſicæ finem dedit, & Græcæ initium.

*Monarchia Græcorum* quæ dicitur tertia, principium habuit ab anno 7. *Alexandri Magni* Macedonis, deuicto *Dario* Perſarum vltimo Monarcha, duravit vſque ad annum primum Monarchiæ Auguſti Cæſaris, quæ extinctis *Antonio*, & *Cleopatra*, incepit menſe 11. poſt Actiacam victoriam, Conſulibus tunc Romæ Auguſto IV. & Marco Licinio Craſſo: ſtetitque annis 300. ab vrbis Romanæ conditæ anno 424. vſque ad eiuſdem annum 724 Obijt Alexander poſt annos 6. ſuæ Monarchiæ, anno ab vrbe condita 430. menſis Iunij die 28. vt plerique notant.

*Ptolemæus Lagi*, filius antea militis gregarij dictus Sotar, ſucceſſit Alexandro Magno, mira rerum humanarum viciſſitudine. Ab hoc deinceps omnes Ægypti Reges aſſumpſerunt nomen *Ptolemæi*, vti antea Pharaonis. De hoc, qui multa millia Iudæorum in Ægyptum captiua abduxit, intelligit Pererius prophetam Danielis *cap.* 11. *v.* 5. Imperauit Ptolem. Lagi, annis 40.

Huic ſucceſſerunt cæteri *Ptolemæi* numero *decem* vſque ad Cleopatram M. Antonij Triumuiri amoribus adeo implexam, vt cum illo extincto, ipſa etiam viua in poteſtatem *Caij Cæſaris* deueniret, aſpidis ſerpentis morſu ſibi admoto interierit. Atque ita Alexandria, totaque Ægyptus Auguſto victori ceſſit, qui ſuæ Monarchiæ Romanæ initium fecit die 1. Auguſti, Vrbis conditæ anno 724. vt ſupra notaui.

Poſt diuiſum ab Alexandro quibuſdam ſuis Ducibus imperium, alij cœperunt eſſe Reges *Syriæ*, vt *Seleucus*, *Nicanor*, *Antiochus*, *Soter*, eius filius, *Seleucus*, *Callinicus*, *Sol*, *Caraunius*, *Antiochus magnus* &c. vſque ad *Antiochum Aſiaticum* (quia enutritus in Aſia

minore) quo tempore *Pompeius* totam *Syriam* vna cum Iudæa in Prouinciam Romanorum redegit, vt testatur Iosephus, Appianus, alijque. Sic vt regnum *Græcorum* in Syria steterit ab initio Monarchiæ Alexandri Magni vsque ad Syriam in Prouinciam Romanorum redactam, annis 267.

Alij post dictam diuisionem cœperunt esse *Reges Macedoniæ*, vti primo *Philippus*, Alexandri Magni frater, qui tutor erat datus filio Alexandri ex Roxane puero, & pupillo, qui etiam Alexander vocabatur. Sed anno 6. à morte patris cum vxore Euridice occisus, regnauit annis 6. Successit Arideo *Cassander* filius Antipatri per annos 19. Huic *Antigonus & Alexander* eius filij annis 6. Deinde *Demetrius*, pulsus à Pyrrho post regni annos 6. Postea successerunt alij Reges *decem* vsque ad *Perseum* qui regno Macedonico finem fecit, quod tenuit annis 11. Tunc etiam à *Lucio AEmilio* Paulo victus est Perseus, & in triumphum ductus: atque ita *Macedonia* in Prouinciam redacta, non Regem deinceps, sed Præsidem à Romanis accepit.

Ad illud vsque tempus, ab initio Monarchiæ Alexandri Macedonis fluxerunt anni 161. Exinde verò ad initium Monarchiæ Augusti fuerunt anni 139. qui cum præcedentibus simul constituunt Græcæ Monarchiæ annos 300. vt supra notaui.

Altera orbis *Monarchia* est *Romana*, quæ fuit ab extincto Antonio, & Cleopatra, de qua mox infra, vbi de Monarchia sacra vrbis Romanæ &c.

### *Sexta mundi AEtas.*

STatuitur hæc ab *Aduentu Christi*, siue, Messiæ in mundum, vsque ad illius reditum ad *iudicium extremum* in consummatipne mundi, cuius anni sunt hominibus ignoti.

Aduentus autem, siue Natiuitas Christi, contigit à *Creatione mundi*, anno 5129. iuxta Romanum Martyrologium. *A Diluuio Noe*, anno 2957. Ab ortu *Abrahami*, anno 2015. Ab exitu *Moysis* cum Israelitis ex *AEgypto*, anno 1520 Ab vrbe *Roma* prima *condita*, anno 752. Imperij *Octauiani Augusti*, anno 42. Cum scilicet totus tunc Orbis in plena esset pace Princeps Pacis in mundum aduenit.

Anni Christi à Chronologis computari solent ferè à Kalendis Ianuarij, vel à fine Decembris, quo tempore Christus orbi natus est. Horum annorum numerus, ordo, decursus, res gestæ, constant satis ex Historia *Euangelica*, & ex serie sequentium huc vsque Pontificum, & Conciliorum, & Imperatorum, & præcipuis singulorum gestis, quæ partim hic infra, partim alibi de Pontificibus &c. in hoc Tomo exhibentur.

Tota Christi Genealogia in ipsis sacris Litteris ordine recensetur *in libro Generationis* Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham &c. *Matth. cap. 1.*

## ARTICVLVS II.

# MONARCHIA SACRA

### *Vrbis Romanæ, Pontificum, Conciliorum, & varius Vrbis Status.*

DE *anno* conditæ Vrbis *Romanæ* discrepat Varro, & Cato, qui fastos Vrbis conscripserunt. Sed Cato non nisi anno vnico Varrone serius conditam tradit. Itaque cum Varrone cui plerique adhærent dicamus, iacta fuisse Vrbis *Romanæ* fundamenta anno Iphiti 23. siue anno 3. sextæ Olympiadis post bimestre finitum, die 11. Kalendas Maias, id est, 21. Aprilis, ipso nempe festo *Palis*, quæ apud illum populum fuit Dea Pastorum: censetur ille esse annus circiter 3233. ab orbe condito.

Vrbis Romanæ fundamenta iecit *Romulus*, ætatis suæ anno 18. cum tunc eclypsis esset solis in Tauro existentis, vti tradit Plutarchus, & Mathematici quidam veteres.

Reipublicæ deinceps Romanæ varij *Status* fuere. *Primus* ab Vrbis conditæ anno 3. Olympiadis sextæ, vsque ad annum 3. Olympiadis 67. per annos scilic. 244. sub Regibus fuit:

Horum Rex primus fuit ipse Romulus per annos 37. cum vnius anni interegno.

Successere *Numa Pompilius* per annos 43. *Tullius Hostilius*, per annos 32. *Ancus Martius*, per annos 24. *Lucius Tarquinius Priscus* per annos 38. *Seruius Tullius* per an. 44. *Lucius Tarquinius Superbus*, per annos 25. Septem igitur primi Reges per annos 244. Romæ damnati sunt.

*Secundus* Vrbis Status fuit à *Tarquinio*, & Regibus deinceps fugatis per *L Iunium* Brutum, & *Lucium Tarquinium Collatinum*, qui fuerunt *primi Romani Consules*, alijque deinceps ab anno 3. Olympiadis 67. vsque ad annum 4. Olympiadis 182. quo damum *Iulius Cæsar* Dictaturam sibi perpetuam vindicauit. Et sic stetit regimen Romanum per annos 461. Quo tempore extincto Antonio, & Cleopatra,

*Au-*

*Augustus Cæsar* liberam integramque Monarchiam adeptus fuit: atque ita deinceps ab expulsis Regibus per annos 480.

*Tertius* itaque Vrbis status fuit sub *Imperatoribus*, ab anno primo Monarchiæ Augusti Cæsaris, vsque ad Augustulum Imperatorem, quando Imperium Romanum Occidentale incidit in manus *Odoacris* Regis Erulorum, anno Vrbis conditæ 1228. & à Christo nato 476. Floruit igitur Roma sub Imperatoribus per annos 504. Exinde fuit partim sub Regibus, partim sub Exarchis Græcorum Imperatorum per annos ferè 324. Nempe vsque ad Imperium *Caroli Magni*, qui anno Christi 800. die ipso Natalis Domini creatus est Romæ nouus Romanorum in Occidente Imperator: mansitq; in posteris Francis Imperium ad annum Christi 920. Tunc enim transijt Imperium à Francis ad *Saxones*, aliosque *Germanos*.

Ac tandem anno Christi 1273. per *Rodulphum* Hasburgensem Comitem, pietate singularem, ad Domum *Austriacam* delatum est Imperium, in qua per continuatam penè Imperatorum successionem hodieque perseuerat.

Singulare exemplum mutabilitatis potentiæ humanæ est, quod hæc ipsa Roma, orbis & Imperij caput successu temporum, semel fuerit à Gallis incensa, semel ab Alarico capta, iterum capta à Genserico, iterum à Belisario, iterum leporis tantum occasione intercepta, vti in ipsa Vrbis Romanæ historia distinctè traditum reperitur.

*Orientale* autem Græcorum Imperium (à morte Constantini Magni ab Occidentali separatum anno Christi 341.) tandem potentia Turcarum inualescente sublatum, extinctumque fuit, anno Christi 1452.

Turcarum autem Reges, & Imperatores ab initio hi fuerunt.

Primus fuit *Othomanus* filius Regis Artoguli, qui per occasionem discordiarum inter auum & nepotem Augustos, exulso *Andronico* Paleologi filio, magnam *Asiæ* partem subegit circa annum Christi 1300. mansitque deincepa omnibus Turcarum Regibus nomen Othomani.

*Orchanus* Othomano genitus anno 1328. qui occupauit Nicæam, ipsamque Nicomediam Bithiniæ caput.

Successit his *Amuratbes I.* anno 1359. *Baiazethus* anno 1383. *Isubegus* anno 1398. *Emir Suliman* anno 1398. *Moses Gibbi* anno 1414. *Mahomes* anno 1414. *Amuratbes II.* anno 1421.

*Maometbes II.* qui dicitur Turcarum Imperator primus, anno 1451. *Baiazethus II.* anno 1481. *Selimus I.* ann. 1514. *Solimannus* an. 1520. *Selimus II.* ann. 1566. *Amuratbes III.* ann. 1575. *Mahometes III.* anno 1595. *Achmat*, siue *Amath* anno 1604. *Mustapha* anno 1617. *Osman* anno 1618. *Mustapha* iterum, anno 1622. *Amuratbes IV.* anno 1623.

Successio autem ac series omnium Imperatorum Romanorum à principio ante Christum in hodiernum diem hæc fuit.

*C. Iulius Cæsar* proclamatus dictator perpetuus anno Vrbis conditæ 705. imperauit annis pene 5.

*Caius Cæsar Octauianus Augustus*, cæso Iulio Cæsare, successit, Vrbis conditæ anno 709. ac diutissimè imperauit, annis 57. mensibus 5.

*Tiberius* Cæsar, à die 19. Augusti qua obijt Augustus anno Vrbis conditæ inchoante 767.

*Caius Caligula* 16. Martij, qua Tiberius obijt anno Vrbis 789. *Claudius* à die 1. Februarij qua obijt Caligula, anno Vrbis 793. *Nero* à morte Claudij, Vrbis conditæ anno 807.

*Galba*, à die qua se occidit Nero 13. Aprilis Vrbis anno 820. *Otho*, à die qua obijt Galba, Vrbis anno 821. *Vitellius*, à die obitus Ottonis quæ fuit 25. Ianuarij, Vrbis anno 821.

*Vespasianus*, à die vlt. Septembris qua sublatus Vitel Vrbis anno 822. *Titus* filius successit, Vrbis anno 830. inchoante.

Anno autem *Vespasiani* secundo 8. Septembris, Vrbis conditæ anno 823. *Ierosolyma* per *Titum* expugnata est, & simul Iudæorum *synagoga* sepulta, Regno Christi in perpetuum succubuit, iuxta Prophetarum vaticinia.

Post Vespasianum, & Titum secutus est *Domitianus*, *Nerua*, *Traianus*, alijque Imperatores varij generis, & fidei, maximè Græci, numero circiter *Quinquaginta*, vsque ad *Constantinum Magnum*, susceptæ primum, & defensæ, & propagatæ deinceps Religione verè maximum.

Secuti sunt in imperio & in fide non pauci *Crispus*, *Constantius*, *Constantinus II.* *Constans* aliique Imperatores numero circiter *Triginta quinque*: vsque ad *Carolum Magnum*; de quo, eiusque in Imperio successoribus in hunc vsque diem, nos iam infra ordine agemus.

De omnibus quoque *Pontificibus* Romanis à *D. Petro* ad hunc *Innocentium XI.* tractatur supra in hoc *Tomo* 1. *Tract.* 1. *qu.* 7.

De omnibus etiam *Concilijs Generalibus* Ecclesiæ, & rebus in singulis præcipuè tractatis, *ibidem* expositum reperies.

ARTICVLVS III.

# MONARCHIA SAECVLARIS

*Imperatorum ac Regum Christianorum, cum Euentibus ac gestis aliquot præcipuis.*

Ordine Successionis ad nostra vsque tempora breuiter expositæ.

*Monarchiam siue Hierarchiam Ecclesiasticam singulorum* Pontificum *ac* Conciliorum, *cum rebus præcipuè gestis, expositam habes in hoc* Tomo 1. tractatus 1. quæst. 7. in fine, *vt supra indicaui. Hic ad perfectam in eo genere scientiam, Monarchiam etiam* Secularis *ordinem, successionem, res, & tempora, ad commodissimum compendium studiosè redacta, apponimus: cuius notitia vsus solet esse frequentissimus, & Doctrina tam Theologica, quàm Historica necessarius. Quod si quis aliqua hic notata latius nosse cupiat, facilis est hinc ad Annales recursus: Neque nos ordinem omnem rerum, ac temporum hic ad amussim notatum esse profitemur, cum in variis ipsi Cronologi non conueniant, & accedant aliquando Typographici errores, vt antea monui.*

## IMPERATORES OCCIDENTIS.

*A Seculo post Christum VIII. initio ad Seculum IX.*

*Carolus Magnus* Imperator, anno Christi circiter 800. filius fuit Pipini Regis Francorum, & ipse Rex celebratissimus: *Imperauit annis 14.* Sub eo restitutum Imperium Occidentis. Imperio Orientis, siue Græciæ, Leo armenus tunc imperitauit.

Ludouicus Pius, Caroli frater, imperauit annis 27. à filijs suis captiuus, post 6. menses restitutus.

Lotharius Pij frater, annis 15. Ludouicus II. Lotharij Filius annis 20.

Carolus Caluus, Ludouici patruus, annis 2. Ludouicus III. annis 20.

Carolus Crassus, Ludouici germ. Regis frater, annis 7. Arnulphus, nothus Carolomanni annis 12.

Hoc seculo facta traditur translatio *Saxonum* factiosorum, per Carolum Magnum, in Belgium, Brabantiam, ac Heluetios. *Sicilia* per Saracenos occupata, anno 820. Comitatus *Flandriæ* Institutio, anno 866. Exordium regni *Burgundici* & *Arelatensis* anno 890. Ab Arnulpho *Imperatore* Christiano cæsa in prælio *Danorum* Ethnicorum centum millia, ex Christianis vix vnus alterue desideratus. *Lunæ* defectio ter contigit intra vnum annum. *Solis* semel, anno 808. In Gallia cecidit *Grando* stupendæ magnitudinis, & *Gelu* ex aere 15. pedes longum, & sex latum, anno 829. *Ingens terræ motus*, & mugitus, anno 862. In agro Brixiano *pluuia sanguinea* per triduum, anno 869. Gallia per *Locustas* horrendè depopulata, & secuta *pestis* quæ ibi tertiam hominum partem extinxit anno 876. *Pons* supra Rhenum per decem annos constructus, & longus ad passus quingentos, intra 3. horas conflagrauit.

*Propagatio Fidei* in Dania, in Dalmatia, ad Selauos, in Saxonia, Hungaria, Bulgaria, Russia, Normannia, Morauia. *Canonizationis* solemnitas inducta. Vsus *Campanarum* apud Græcos. Tituli *Cardinalium*. *Festum* omnium Sanctorum sub Gregorio IV. Adisulphus Rex *Angliam* Ecclesiæ vectigalem fecit argenteo nummo in singulas familias dictas D. Petri. *Academiæ* Parisiensi erecta sub Carolo Magno, consilio Alcuini, quatuor ibi præcipui Doctores, Rabanus, Alcuinus, Claudius, Io. Scotus, omnes fuisse *Bedæ* discipulos tradit Vincentius in speculo.

*A Seculo Christi IX. ad X.*

Ludouicus IV. Arnulphi Frater, Imperauit annis 6. in quo desijt stirps Carolina. In Græcia tunc imperauit Constantinus VIII. annis 49. postea alij.

Conradus, imperauit annis 7. dux erat Franconiæ.

Henricus, Ottonis Saxonis Frater annis 20. Otho I. Henrici Frater, annis 37.

Otho II. annis 10. Otho III. annis 18. fuit Ottonis II. frater, puer 10. annorum.

In hoc Seculo, datum initium Regni *Nauarræ*, anno 912. Regni Aragonici anno 915 *Castellæ* Legionensi iugo se subdueit. *Burgundiæ* Imperio adiecta an. 945. *Lotharingici*. Principatus initium anno 981. Ducatus *Saxonici* anno 970. Comitatus *Sabaudiæ* in Beraldo Saxone, anno 998. *Normanni* per Britonea omnes cæsi.

Gennæ *fons sanguinis* largissimè fluens anno 955. Et *Sol* per multos dies visus est sanguineus anno 940. Soles gemini per biduum visi, & acies in cœlo confligentes, anno 979. *Incendium*

cele-

celebre, & horrendum montis Vesuuij Christi anno 993.

*Imperium Romanum* ad Germanos deuolutum anno 960. *Electoribus* Imperij datum ius suffragij à Gregorio V. Pont. *Moratio* nominis in electis ad Pontificatum traditur primum vsurpata in Ioanne XII. qui antea Octauianus dictus.

*Propagatio Fidei* singularis facta in *Polonia* cum Miecesiao Principe, vti & in *Moscouia*, *Prussia*, *Bohemia*, *Norwegia*, & *Dania iterum*. Ac rursus *Hungari* per Stephanum I. Regem, eiusque patrem Geisam nomine.

## A Seculo Christi X. ad XI.

HEnricus II. Dux Saxoniæ imperauit annis 11.

Conradus II. Dux Franconiæ imperauit annis 15.

Henricus III. Conradi frater, & gener Canuti Regis Daniæ, & Angliæ, imperauit annis 6.

Henricus IV. filius Henrici III. imperauit annis 50.

In hoc Sæculo, *Persis* dominatum Turcæ inuadunt, & occupant *Babyloniam*, & totum ferè orientem. Initium ponitur regni *Scotiæ*, & regni *Siciliæ* anno 1098 Et *Hierosolyma* Saracenis adempta, anno 1099 Floruit Godefridus *Bullonius*, merito dictus, Hercules Christianus. *Sexcenta Scytharum* millia profligata diuinitus precibus Constantini Ducis, ac populi, anno 1065. *Nubes* ingens supra *Belgium* soluta multos mortales immersit anno 1014. *Cometes* in trabis specie per quadrimestre visus anno 1016. *Terræ motus* per biennium in Bithinia. *Nix* eadem tam copiosa vt arbores rumperet anno 1047. Per *Angliam* ex condicto *Dani* vno impetu cæsi anno 1011. *Locustæ* in Oriente solem obumbrant copia immensa, anno 1095.

*Propagata* vlterius fides in *Pannonia*, & in regno *Toletano*, anno 1088. Reparata fides apud *Hungaros* per Andræam Regem: vti, & in *Pomerania* Boleslao III. adigente.

## A Seculo Christi XI. ad XII.

HEnricus V. filius Henrici IV. quem ab Imperio remotum impiè tractauit: & cum Pontifice circa bona Ecclesiastica lites habuit, ab hoc excommunicatus, sed Pontifici postea reconciliatus; Spiræ sepultus: imperauit annis 20.

Lotharius, Saxo, Coronatus Aquisgrani 13. Septembris, Innocentium Papam electum restituit, & vrbes imperiales occupauit: imperauit annis 14.

Conradus III. Sueuiæ Dux, electioni ipsius contradicente Henrico Bauaro, qui ab Imperatore proscriptus: imperauit annis 3.

Fridericus Barbarossa siue Anobarbus, Conradi Sueui ex fratre nepos. In Italia magna bella confecit, & Mediolanum euertit. Ab eo Roma capta, & Papa Alexander fugatus. Obijt in expeditione Saracenica: imperauit annis 37

Henricus VI. frater Friderici, dictus Asper ob seueritatem. Siciliæ regnum recuperauit. In Palestinam exercitum misit, absque successu, imperauit annis 8.

In hoc Sæculo *Portugallia* cœpit fieri regnum an. 1179. *Dani* & *Silani* à Lothario Imp subacti anno 1133. Per *Tartarorum* eruptionem variæ Septentrionis Prouinciæ occupatæ, anno 1188. *Creta insula* Venetis vendita, anno 1195. *Soles gemini* conspecti, anno 1105. & acies cœlestes in aere, anno 1109. *Terræ motus* in Italia villam vnam aliò transtulit, anno 1117. Rauennæ cecidit *pluuia sanguinea* anno 1113. In *Belgio* effusio oceani per 12. milliaria cum ingenti hominum clade, anno 1164. *Theologia Scholastica* per Petrum Lombardum in nouam & meliorem formam redacta. *Hierosolyma* à Soldano recepta: Crux Christi ab eo male tractata. In *Palestinam* pro iuuandis Christianis expeditionem suscepit Fridericus Imperator, Philippus Rex Galliæ, & Henricus Rex Angliæ cum filio Richardo, Cruce susceptâ. Hoc tempore prodijt Opus celebre dictum Decretum Gratiani. Varij *Ordines Religiosi* initium sumpserunt, Præmonstratenses anno 1110. Guilielmitæ 1124 Templarij milites, 1118. Hospitalarij S Ioannis Hierosolymitani, qui nunc Melitenses 1119. Equites S. Lazari, & Calatranæ 1158. S. Iacobi 1190. Alcantaræ 1176. Teutonici Mariani 1190.

*Propagatio Fidei* in Gothia cum suo Rege, in Linonia cum Cota Rege per S. Menardum: Rursus in Pomerania: in Finlandia per S. Henricum Episcopum, & martyrem. Hoc seculo floruit *S. Bruno* Carthusianus, anno 1115. *S. Norbertus* anno 1130. *S. Hildegardis* anno 1148. *S. Benedictus*, pontium constructor Auenione, & Lugduni anno 1177. *S. Thomas* in Anglia Archiepiscopus Cantuariensis, qui pro iure Ecclesiæ Romanæ gladijs impiorum occubuit, anno 1170.

*A Seculo Christi XII. ad XIII.*

OTto IV. Ducis Saxonis Henrici Leonis filius, coronatus Imperator Aquisgrani, imperauit annis 4.

Philippus, Henrici IV frater, Anti-Cæsar Mogunti coronatus, imperauit annis 9.

Fridericus II. Dux Sueuiæ, contra Ottonem, nepos fuit Friderici primi, imperauit annis 33. Otto derelictus ab omnibus, moritur Brunsuigæ.

Conradus IV. hic ab aliqnibus notatur. His temporibus 7. Imper. Electores constituti.

Richardus frater Regis Angliæ Henrici in Imperatorem ab aliqnibus: ab alijs Principibus eligitur Alphonsus Rex Hispaniæ, qui sponte abdicauit. Ricardus ferè omne tempus in Anglia ab electione consumit, detentus seditionibus, & intestinis bellis, ibique moritur. Interea status imperij hoc tempore multum turbatus fuit.

Rodulphus I. Habsburgensis Comes, Pater Alberti I Austriaci, imperauit annis 17 mensibus 9. Ottocarum Boemiæ Regem rebellem vincit: Papæ Rauennam, & Romandiolam concedit.

Adolphus Nassoulus, imperauit annis 6. obnitente Alberto Austriaco, à quo in prælio occisus, *ita Cuspinianus*.

Albertus Austriacus, Rodulphi filius, per coniugium Elisabethæ acquirit Exarchatum Austriæ, Comitatum Tyrolis ex Gorieiæ, imperauit annis 10.

Hoc sęculo Imperium *Orientale* Latinis obtingit, Imperij *Trapezuntini* initia. Ducatus *Brabantiæ* ex Louanij comitatu. *Latini Orientis* imperio deiecti post 55. annos. Austria, Stiria, Tirolis, & Carinthia Rodulphi Imperatoris *Austriaci* familiæ cedunt, moxque Burgundia, atque Boemia. Conflictus *Tornacensis* Gallis admodum cruentus. Mons in Burgundia à montibus *debiscens* multa rusticorum mil. lia opprimit.

Ioannes Papa ante dictus Petrus Hispanus, Religiosorum habitus Hostis, post octimestrem Pontificatum obteritur ruina domus quam inhabitabat. In Sicilia interfectio mira Gallorum, dicta, *Vesperæ Siculæ*.

Tartaria, cum Cassalia institutionem de Fide accipit. Pulsatio *campanæ* in consecratione, & salutatione Angelica. *Magisterium*, sacri Palatij institutum. Carmelitæ Europæ peculiariter innotescunt: & emergunt *Ordines variij*, Dominicani, Trinitarij, Franciscani, Moniales Sanctæ Claræ, Sylvestrini, Eremitæ S. Augustini in vnum coacti, Seruitæ, Cælestini.

*Concordantiæ* Bibliorum confectæ, & editæ. Pileus rubeus *Cardinalibus* in concilio Lugdunensi attributus primum. *Bella sacra* varia per S. Ludouicum, & alios. *Iudæorum* ex Gallia expulsio primum. Domus Deiparæ *Lauretum* asportata. *S. Bonauentura* hac ætate floret, Guilielmus de S. Amore scribit contra Mendicantes, & à Papa Hæreseos damnatur. Circa annum 1270. *S. Thomas Aquinas* florere cœpit in Italia, discipulus Alberti Magni.

*A Seculo Christi XIII. ad XIV.*

HEnricus VII. Luxelburgius, dotibus animi excellens; veneno enecatur: imperauit annis 5.

Ludouicus Bauarus, ex dissentiente Cæsarum electione bellum ciuile ortum, quod grauissimè Germaniam afflixit: imperauit annis 33.

Carolus IV. Ioannis Regis Boemiæ filius, Henrici Luxenburgij Imperatoris nepos: quamuis tres alij successiuè contra eum electi fuerint, tandem tamen imperium solus obtinuit, imperauit annis 32.

VVenceslaus Caroli IV. filius, Rex Boemiæ, imperauit annis 22.

Hoc Sęculo *Academia Senensis* à *Senatu* Midend. Academia *Colonensis* confirmata à Pontifice Vrbano VI. etsi antea Gymnasium diu fuit. Academia *Erfordiensis* à Dagoberto Rege, & Bonifacio IX confirmata.

Othomanici imperij initia anno 1300. Alphonsus XI. Hispanus 450 millia *Saracenorum* cecidit, viginti dumtaxat Christianis desideratis. *Tamberlanes* Tartarus ductis duodecies centenis millibus, Baiazetem Turcam profligat, ceus 140. hominum millibus. *Terræ motus* quadragenarius vrbe 26. prostrauit in *Pannonia*. *Mare Flandricum* ruptis aggeribus multa oppida mergit. *Pestis triennis*, & vniuersalis, mediam hominum partem destruit. *Amurathes* trigesies ac septies hostium suorum victor, à seruo demum confoditur.

*Propagatio* Fidei. Lithuania, & Iagello eius Princeps, Samogitij, Cumani, Botzenses, Lippenses, Patrini, & Vicini, annitente Ludouico Hungaro, fidē amplexi sunt *Christianissimo Regi* data facultas sub vtraque specie communicandi. *Iubilæi* mutata celebratio in singulos 50. annos per Clementem VI. Reductio alia Iubilæi ad annum 30 per Vrbanum VI.

an-

anno 1344. Inſtituitur militia *Periſcelidis* in Anglia. Clemens V. ſedem Pontificiam *Auenionem* transfert. Templarij extincti ſub Clemente V.

## *A Sęculo Chriſti XIV. ad XV.*

RVpertus ſiue Rnbertus Palatinus, imperauit annis 10. His temporibus Italia paſſim cępit iugum Germanici imperij excutere.

Sigiſmundus Caroli *IV.* filius Rex Vngariæ: inducit Concilium Conſtantiæ, imperauit annis 27.

Albertus Auſtriacus Sigiſmundi gener, Rex Bohemiæ, & Vngariæ, imperauit annis 2.

Fridericus *III.* Archidux Auſtriæ, imperauit annis 54.

Maximilianus Friderici III. filius, imperauit annis 12.

Hoc Sęculo *Imperium Orientis* tranſit ad Turcas. *Conſtantinopoli* capitur à Mahumete *II. Sabaudiæ Dux* ex Comite. Neapolis tranſit ad Arragonios *Theſſalonica* erepta Venetis. *Saraceni* Granata. & *Hiſpania vniuerſa* anno 1474. depulſi. In Hiſpania *Terra motus* multa oppida euertit. *Mare* ad *Dordracum* hominum ſupra centum millia, & pecorum greges infinitos perdit ruptis aggeribus. *Iubilei* ad 25. annum reducti in per Paulum III. Hoc tempore propagantur Canonici B. Laurentii Iuſtiniani vulgò Apoſtolici: Fratres mendicantes S Hieronymi. Congr. Saluatoris, ſen Florentini: Ambroſiani, Minimi, Ordn S. Mauritij in Sabaudia. Ordo S. Michaelis in Gallia, Equites Velleris Aurei ſub auſpicijs B Virginis, & S. Andreæ. Familiarum *Iuuaicarum* 24. millia pulſa ex Hiſpanijs. *Inquiſitio Hiſpanica* inſtituta. *Academia* Herbipolenſis, *Salmantica* in regno Caſtellæ confirmata dicitur, cum ante hac quoque floreret, erecta ab Alfonſo VIII. Academia *Lipſienſis* è Pragenſi ob diſſidium Germanorum cum Bohemis, confirmatur à Pontifice Alexandro *VI.* Academia *Louanienſis* in Brabantia à Papa Martino V. enatmata. *Ars Typographica* excogitata à Ioanne Gutenbergio Argentinenſi, publicatur Moguntiæ primum, deinde Argentinæ, inde traducitur Neapolim, ac Romam anno 1442.

## *A Sęculo Chriſti XV. ad XVI.*

CArolus V. eligitur Imperator 28. Iunij circa annum 1520. Prælio vincit, & captit Franciſcum primum Galliæ Regem, poſtea dimittit. Obſidio Viennæ à Solymanno Turca. Tralecit in Africam Carolus, ſed ſine ſucceſſu: feliciter in Germania pugnat cum proteſtantibus. Sophi Turcarum 400. millia cædit. Carolus imperauit annis 38.

Ferdinandus *I.* Caroli V. frater, imperauit annis 6.

Maximilianus II. Ferdinandi frater, imperauit annis 12.

Rudulphus II. Maximiliani II. frater parenti defuncto 12. Octobris anno 1576. in imperio ſuccedit: imperauit annis 35.

Hoc ſęculo *Hungaria* & *Bosnia* tranſit ad *Auſtriacos*: *Arabia felix* à Solymanno occupatur, & Cyprus. Defectio in Batauica ineepta anno 1572. *Maris* in *Anglia* retroceſſio magna, & mons loco motus euulſis arboribus. *Caſſiopæa ſtella* nona apparet: quinque ſimul ſoles: ſol obſcuratus. *Locuſtæ* ſolem inumbrant in maxima Europæ parte. Maria Scotiæ Regina barbarè ſeeuri pereuſſa ſub Elizabetha Angliæ Regina.

Hoc etiam Sęculo vixit S. Franciſcus *Xauerius* Indiarum Apoſtolus. S. Ignatius de *Loiola* Fundator Societatis Ieſu. S. Carolus *Boromæus* Cardinalis. *S. Thereſia*. S. Philippus *Nerius* Fundator Oratorij. *India* Orientales, & Occidentales per varios Ordines Regulares, Hiſpaniæ regnum per S. Franciſcum Xauerium fidei lumine illuſtrata. Hæreditarius *Catholici Regis* Titulus Ferdinando Hiſpano conceſſus à Iulio II. vel potius reſtitutus. Titulus *Defenſoris fidei* datus Henrico VII. Anglo à Leone X. Emerſerunt Theatini, Capucini, Clerici Regulares S. Pauli, Societas Ieſu, Congregatio Oratorij S. Phil. Nerij. *Rodus* inſula amiſſa. *Humiliati* extincti à Pio V. *Melita* grauiter & diu à Solymanno fruſtra tentata. *Cyprus* Turcæ cedit.

Legatio *AEthiopica* ad Pontificem, anno 1524. item *Iaponica* anno 1585. In *Indijs orient. & occidentali* obiere pro Chriſti fide ex Dominicanis, Franciſcanis, & Societatis Ieſu hominibus pluriml. In *Anglia* ſæuitur in Catholicos ſub Henrico, & Eduardo Regibus, & Eliſabetha Regina. *Prodierunt Hæretici*, Martinus Lutherus, Petrus martyr, Carolſtadius, Decolampadius, Libertini, Zuinglius, Ioannes Brentius, Martinus Bucerus, Iosuas Caluinus, Vbiquietarii, Theodorus Beza, Deiſtæ ſiue Trinitarii, Infernales, Inuiſibiles. Cœpit, & ſchiſma Anglicanum, tandem Hæreſi enncluſum, ob negatam à Romano Pontifice diſſolutionem matrimonii, anno 1535. Concilium Tridentinum Generale ſub Paulo III. Iulio III. & Pio IV.

A Sc-

MAtthias, Vngariæ & Bohemiæ Rex, eligitur Imperator Francofurti 13. Iunij, coronatur ibi cum Anna coniuge: imperat annis 6 mensibus 9. Agit cum Vngaris de successione Ferdinandi Austriaci in eo regno. Ferdinandus coronatur in Regem Vngariæ. Consiliarij Cæsarei Pragæ è fenestra præcipitantur. ordines se excusant: moritur Matthias Imperator.

Ferdinandus II. Francofurti electus coronatur 30. Augusti, imperat ann. 17. mensibus 9. Instituitur noua liga Catholicorum. Cæsar Ferdinandus electionem Palatini irritam pronunciat.

Spinola Magnis copijs ingreditur Palatinatum, & miros in eo facit progressus. Prælium Pragense in quo vincuntur Bohemi à Bauaro. Palatinus cum coniuge & familia è Bohemia profugus, primo Vratislauiam venit, postea in Batauiam: postea Palatinus elector, & aliqui viri principes à Ferdinando proscribuntur. Proceres Bohemi magno numero capitalibus supplicijs afficiuntur Pragæ. Ferdinandus Imperator ius electorale Friderico Palatino ademptum, in Maximilianum Bauarum transfert Ratisbonæ. Ferdinandus II. fidem Catholicam iste per Germaniam restituit.

Ferdinandus III. succedit Patri ann. 1637. 14 Februarij: imperat annis 20. mense vno, moritur 2. Aprilis anno 1657.

Leopoldus, nunc Cæsar, Ferdinando Patri in Imperij throno successit, qui dum an. 1684. hæc scribo, à morte Patris annis 31. feliciter imperault.

## ELECTORES IMPERII.

SEptem lege ordinaria sunt Electores Imperij, sed accessit octauus per hoc quod summoto Palatino successerit Bauarus, ac postea etiam Palatinus in gratiam & Electoris munus receptus fuerit.

Sunt autem hi octo Electores partim Ecclesiastici, partim Seculares, Moguntinus, Coloniensis, Treuirensis, Rex Bohemiæ, Bauarus, Palatinus, Saxo, Brandenburgicus.

Ex his, tres primò hic nominati sunt Ecclesiastici, tres postremi sunt heterodoxi: reliqui omnes sunt orthodoxi. Hi omnes simul ex plurialitate suffragiorum ius habent eligendi Imperatorem.

INscripti sunt albo Sanctorum S. Isidorus, S. Ignatius de Loyola, S. Franciscus Xauerius, S. Theresia, S. Philippus Nerius ann 1621. S. Andreas Corsinus anno 1629. S. Elizabetha Regina Lusitaniæ anno 1625. Penetrat fides ad *Sinas* per Patres Societatis Iesu, perruptis obstaculis immensis, anno 1637. inde hoc anno 1684 adest P. Phil. Couplet Mechlinensis Procurator vt Socios quam plurimos, in Sinas adducat. Florent anno 1600. Pœnitentes tertij Ordinis S. Francisci. *Mauri* plenè pulsi ex Hispania. *Turcarum* vis ingens fusa ac cæsa ab exercitu Polono. *Miraculosa insorruptio* 24. sacrarum Hostiarum in Collegio Complutensi Societatis Iesu *Offenda* subigitur quadrima obsidione, cum intra eam mortalium supra 72. millia cecidissent. *Adena* post cæsa Turcarum 30. millia *Persis* cedit anno 1605. *Rupella* domita 1628. Adolphus *Gustauus* Sueciæ Rex pugnans perit anno 1632. Albertus Dux *Friedlandiæ*, Egræ casus an. 1633. Celebris pugna *Northugana*. In *Anglia pestis* horrenda Londini maximè anno 1605. Nascitur in Hispania Carolus II. anno 1661. 4. Nouembris, qui nunc feliciter regnat. Nuptiæ illius cum filia Ducis Aurelianensis anno 1678. die 26. Iulij, Imperatori Leopoldo nascitur Princeps 4. Augustus 1678. Pax inter Hispanum & Gallum Aquitgrani an. 1668. 2. Iunij.

In Angiia in Regem Carolum I. cum Parlamento insurgit Oliuerius Cromuuellus, Regem curat publicè lictoris manu obtruncari an. circiter 1653. die S. Apollonie: postea Cromuuellus Regni protector Hiberniam inuadit, ac miserè lacerat. Moritur ille 3. Septemb. anno 1658. succedit modico tempore filius eius Richardus, Generalis Munck potentiam nactus erat ex Belgio ad regnum paternum euocari Carolum II. qui anno 1661. 8. Iulij Londini coronatur.

Anno 1683. cum Tecklio in Hungaria rebelli, Turcarum ducenta millia Viennam arctè obsident die 8. Iulij. Sed post duorum mensium obsidionem, virtute & gloria perpetua Gubernatoris Sterrembergij, Principis Lotharingici, & Regis Poloniæ, cum Dei ope singulari obsidio soluta est, pleriſque Turcarum cæsis, fugatis, &c. captis, vti numerantur, quingentis Tormentis bellicis, Tentoriis vltra sexaginta millia, Camelis sexcentis, Equis & curribus vltra decem millia. In decursu victoriæ occupantur à Cæsarianis vrbes præstantes Barcam, & Strigonium: faueat por-

rò hiſce rei Chriſtianæ progreſſibus Potens, & Clemens Deus.

## ARTICVLVS IV.

# REGES HISPANIAE

*Ordine ſucceſſionis per 12. poſtrema ſæcula.*

*Ab anno Chriſti 400. inito, ad 500.*

1. ADolphus, ex gente Viſigothica, regnauit annis 6.
2. Sigericus, anni 7. 3. Vallia, annis 13.
4. Theodoricus, annis 23. 5. Theoriſmundus annis 23.
6. Theodoricus II. annis 33. 7. Alaricus, annis 43.

*Ab anno Chriſti 500.*

8. Amalaricus, annis 5. 9. Thenda annis 17.
10. Thaudegeſilius, annis 3. 11. Agila, annis 4. 12. Athanagildus, annis 15.
13. Limba, ſiue Lieba, annis 2. 14. Leuigildus, annis 13. 15. Recharedus annis 17.

*Ab anno Chriſti 600.*

16. Limba II. annis 2. 17. Vittericus, an. 6.
18. Gondemarus, annis 3. 19. Siſebutus, annis 10.
20. Recharedus II. menſibus 3. 21. Suintilla, annis 9.
22. Rachemerus, anno 1. 23. Siſenandus, annis 5.
24. Videſuiadus, annis 10. 25. Receſuindus, annis 19.
26. Gamba, annis 8. 27. Eringlus, annis 8.

*Ab anno Chriſti 700.*

28. Egicanes, annis 10. 29. Vitiua, an. 12.
30. Rodericus, cæſus à Mauris, annis 7.

Reliquiæ Gotthorum à Mauris euerſorum Legione & in Aragonia regnant, donec ſenſim reſtituantur.

1. Pelagius, annis 15. 2. Fauilla, annis 2.
3. Alphonſus, annis 19. 4. Froila annis 14.
5. Aurelius, annis 6. 6. Sillo, annis 8.
7. Alphonſus II. caſtus, annis 31.

*Ab anno Chriſti 800.*

8. Ramirus, annis 7. 9. Ordonius, an. 9.
10. Alphonſus III. annis 46. 11. Garſias annis 4.
12. Ordonius II. annis 8. 13. Froia annis 2.
14. Alphonſus IV. annis 17.

*Ab anno Chriſti 900.*

15. Ramirus II. annis 18. 16. Ordonius III. annis 6.
17. Sanctius Craſſus, annis 12.
18. Raimirus III. annis 24. 19. Veremundus, annis 17.
20. Alphonſus V. annis 27.

*Ab anno Chriſti 1000.*

21. Veremundus II. annis 12.
22. Ferdinandus, annis 40. 23. Sanctius II. annis 8. Alphonſus VI. annis 40.

*Ab anno Chriſti 1100.*

25. Alphonſus VII. annis 2.
26. Alphonſus VIII. annis 51.
27. Sanctius III. ann. incerti. 28. Ferdinandus II. annis 31.
29. Alphonſus IX. annis 23.

*Ab anno Chriſti 1200.*

30. Henricus, annis 2. 31. Ferdinandus III. annis 36.
32. Alphonſus X poſtea Imperator, ann. 32.
33. Sanctius IV. annis 11. 34. Ferdinandus IV. annis 15.

*Ab anno Chriſti 1300.*

35. Alphonſus XI. annis 40. 36. Petrus Crudelis, annis 17 37. Henricus II. annis 3.
38. Ioannis I. an. 21. 39. Henricus III. annis 16.

*Ab anno Chriſti 1400.*

40. Ioannes II. annis 47. 41. Henricus IV. annis 25.
42. Ferdinandus V. Catholicus annis 25.

*Ab anno Chriſti 1500.*

43. Philippus Primus, dictus Pulcher, Archidux Auſtriæ, Dux Brabantiæ &c. Filius fuit Maximiliani I. Imperatoris, & Mariæ Burgundæ: natus Brugis 22. Iunij, anno 1488. Et anno 1496. in vxorem feliciter duxit Ioannam Reginam Hiſpaniæ, quæ fuit filia ſecun-

da

da & hæres principalis Ferdinandi V. Regis Aragoniæ, & Iſabellæ Reginæ Caſtellæ. Atque ita per Maximiliani, & huius Philippi Connubia Belgium, & Hiſpania ad Auſtriacos peruenerunt.

Hic Philippus Pater fuit Caroli V. & Ferdinandi Imperatoris, & quatuor filiarum quarum ſingulæ fuerunt Regibus conlugatæ, ſcil. Eleonora primò Emanueli Regi Portugalliæ, poſtea Franciſco primo Regi Galliæ: Elizabetha Chriſtierno II. Regi Daniæ. Maria Henrico II. Reg. Hungariæ & Bohemiæ. Catharina Ioanni III. Portugalliæ. Mortuus eſt anno 1506.

44. Succeſſit illi prædictus Carolus V. illius nominis poſtea Imperator. Hic in vxorem duxit primò Iſabellam filiam Emanuelis Regis Portugalliæ, ex qua Philippus II. qui in regno ſucceſſit: duxit deinde Mariam quæ nupſit Maximiliano II. Imperatori & Ioannam quæ nupſit Principi Portugalliæ, & peperit filium poſthumum Sebaſtianum poſtea Regem Portugalliæ. Ita hæc *Morerus*, cum varijs.

45. Philippus II. illius nominis Rex Hiſpaniæ, Primam vxorem habuit Mariam Ioannis Portugalliæ Regis filiam quæ ipſi Carolum genuit, & quatriduo poſt partum deceſſit. Secundam itidem Mariam Henrici VIII. Angliæ Regis filiam, ex qua nullos liberos ſuſcepit. Tertiam Elizabetham Henrici II. Galliæ Regis filiam, ex qua duas filias ſuſcepit Iſabellam Claram Eugeniam, quæ Alberto Archiduci Auſtriæ nupſit, & Catharinam quæ Carolo Emanueli Duci Sabaudiæ. Quartam Annam Auſtriæ neptem ſuam ex Maximiliano II. Imperatore patruele ſuo, & Maria ſorore ſua, quæ ipſi genuit Ferdinandum & Didacum maturè defunctos: & denique Philippum III. qui illi ſucceſſit. Obijt autem Philippus II. anno 1598. 13. Septembris, ætatis ſuæ ſeptuageſimo ſecundo, Regni autem 42.

46. Philippus III. Hiſpaniarum Rex duxit in vxorem Margaritam Auſtriacam ann. 1598. quæ ipſi anno 1601. peperit Annam Mariam Ludouici XIII. Galliarum Regis poſtea coniugem: & anno 1605. Philippum Dominicum: & poſtea Carolum, atque Ferdinandum Cardinalem, & denique Mariam. Obijt autem Philippus II. anno CIↃ IↃC XXI. menſe Martio.

47. Philippus IV. patri ſucceſſit, duxitque in vxorem Eliſabetham Henrici V. Magni, Regis Galliæ filiam &c.

48. Succeſſit illi Carolus II. nunc regnans, cui benedicat Dominus.

De ipſa *Hiſpania* vide quædam Notabilia infra in Diuiſione Europæ pag. 243.

## ARTICVLVS V.

# REGES GALLIAE

*Ordine ſucceſſionis, & annorum Regiminis per 12. Sæcula.*

*Ab anno Chriſti 400. inito, ad 500.*

PRimæ ſtirpis *Merouingiorum* 1. Pharamundus, rexit Rex Galliæ annis 8.
2. Clodomirus, an. 20. 3. Meronæus an. 8.
4. Childericus, an. 23. 5. Clodouæus, an. 30.

*Ab anno Chriſti 500.*

6. Childebertus, an. 47. 7. Clotharius, an. 5.
8. Caribertus, an. 9. 9. Chilpericus, an. 14.
10. Clotharius I. annis 44.

*Ab anno Chriſti 600.*

11. Dagobertus, annis 16. 12. Clodonæus II. annis 18.
13. Clotharius III. annis 4. 14. Childericus II. annis 8.
15. Theodoricus, annis 11. 16. Clodouæus III. annis 4.
17. Childebertus II. annis 17.

*Ab anno Chriſti 700.*

18. Dagobertus II. an. 5. 19. Chilpericus II. an. 3. 20. Clotharius IV. an. 2. 21. Theodoricus II. an. 21. 22. Childericus III. an. 11.

*Series ſtirpis Secundæ, quæ eſt Carolinorum.*

1. Pipinus, annis 16.
2. Carolus Magnus Imperator primus ex Francis, imperauit annis 14. Rexit an. 46.

*Ab anno Chriſti 800.*

3. Ludouicus Pius Imperator, annis 26. aut 27.
4. Carolus Caluus Imperator, anno 2. rexit annis 38.
5. Ludouicus Balbus, an. 1.
6. Ludouicus III. an. 5. 7. Carolus Craſſus, an. 4. 8. Odo (Eudes) nomine tutoris, an. 10.
9. Carolus, Simplex dictus, annis 25.

Ab

*Ab anno Christi 900.*

10. Rodulphus, annis 13. 11. Ludouicus Transmarinus IV. an. 18.

12. Lotharius, annis 32. 13. Ludouicus V. anno vno.

*Series stirpis Tertiæ, Capetorum.*

1. Hugo Capetus filius Hugonis Magni qui moriens illum reliquit sub protectione Richardi I. Ducis Normanniæ. Fuit primò Comes, & Dux, postea rebus summa fortitudine ac prudentia gestis toti regno amabilis: ideoq; mortuo Henrico V. dicto Faineant, aliquot mensibus à morte sui patris, Hugo Rex proclamatus est, & Rhemis coronatus anno 987. derelicto ex sanguine regio Carolo I. Duce Lothzringiæ Ludouici I V. filio. Mortuus est anno 997. ætatis anno 57. regni 10. & 3. mensibus

2. Robertus Capeti filius assumptus est a patre viuente in Societatem regni, & regnauit vniuersim annis 40 quorum 33. fuerunt post mortem patris: vixitque annis 60. dictus Rex Sanctus, & Sapiens.

*Ab anno Christi 1000.*

3. Henricus Primus, filius Roberti, coronatus Rhemis anno 1027. quadriennio ante mortem parentis, & solus cœpit regnare anno 1031. Vixit annis 55. & regnauit post mortem parentis annis 29.

4. Philippus I. filius Henrici Primi natus anno 1033. Sub illo maxime cœpta tempore Guilielmi Conquestoris bella non sat fortunata cum Anglis: mortuus est anno 1108. postquam regnauit ad minus annis 49.

*Ab anno Christi 1100.*

5. Ludouicus VI. Crassus, annis 25.

6. Ludouicus Iunior VII. an. 41.

7. Philippus Augustus Adeodatus II. an. 44.

*Ab anno Christi 1200.*

8. Ludouicus VIII. annis 3. 9. S. Ludouicus IX. an. 44.

10. Philippus Audax I I I. an. 15. 11. Philippus Pulcher. IV. an. 29.

*Ab anno Christi 1300.*

12. Ludouicus X. dictus Hutinus an. circiter 2. 13. Ioannes I. 4. dierum.

14. Philippus V. Longus, annis 5. 15. Carolus IV. Pulcher, an. 7. 16. Philippus VI. Valesius, dictus Fortunatus, annis 22.

17. Ioannes II. dictus Bonus, anno 14.

18. Carolus V. Sapiens, annis 16.

19. Carolus VI. an. 42. 20. Carolus V II. dictus Victoriosus an. 39.

*Ab anno Christi 1400.*

21. Ludouicus XI. an. 22. 22. Carolus VIII. an. 15. 23. Ludouicus XII. 24. Franciscus I. an. 32.

25. Henricus II. filius Francisci I. primo Dux Aurelianensis, postea Delphinus à morte fratris, natus anno 1518. successit in regno anno 1547. Illius tempore fuit prælium non fastum ad S. Quintinum, & aliud ad Graueliingam in Flandria: regnasse scribitur ann. 32.

26. Francisceus II. anno 1.

27. Carolus IX. ann. 14.

28. Henricus III. filius Henrici I I. tertius, natus anno 1551. Victorias tulit de Hugonottis tempore Ducis Guisij scribitur etiam coronatus fuisse Rex Poloniæ. Mortuus est anno 1589. proditorie, & lethaliter vulneratus à quodam Iacobo Clemente dum litteras ab eo traditas perlegeret: regnauit 15. annis, 10. mensibus.

29. Henricus IV. dictus Magnus, restaurator regni, & pacis per plurima prælia felicister gesta, postquam regnum esset per Ligistas & plures Principes misere disceptum, & ruinæ proximum: accepitque per sanguinis successionem titulum Regis Franciæ, & Nauarræ. Natus autem fuit anno 1553. ex Antonio *Borbonio* Duce de Vendome filio Caroli, & Franciscæ Alenson qui fuit Rex Nauarræ per suam vxorem Ioannam de Albret filiam Henrici Regis Nauarræ, & Margaretæ sororis Francisci I. Regis: additq; *Morerus*, illum descendisse linea directa mascula ex S. Ludouico Rege. Hæresim quam antea profitebatur, tandem abiurauit in Ecclesia S. Dionysij in manibus Archiepiscopi de Bourges 25. Iulij anni 1593. consecratus Rex in Chartes non Rhemis, quod vrbs hæc esset adhuc in Ligistarum potestate. Demum cum sub illo per decennium regnum pace gauderet, infamis ille Sicarius Franciscus Rauaillac, cultro in corpus Regis dum rheda per vrbem Parisiensem veheretur adacto, mortem illi intulit toto regno deploratissimam. Vixit 56. ann. & 5. mensibus, Regni sui Nauarrici an. 38. & Francici an. 12. Ex secundo suo coniugio cū Maria de Medicis filia Francisci Ducis de Toscane habuit tres filios, & totidem filias, ex quibus Ludouicus XIII. ex alijs autem

autem octo proles naturales, multum per varias suas familias postea celebres vti hæc tradit, & declarat Morerus, & plures alij historici.

*Ab anno Christi 1600.*

Ludouicus XIII. dictus Iustus successit suo Patri Henrico Magno anno 1610. Desponsatus est Annæ Austriacæ Infanti Hispaniæ, & vicissim Elisabetha soror Regis Franciæ coniuncta est infanti Hispaniæ qui postea Philippus IV. Ministrum regni habuit Cardinalem de Richelieu mortuum Parisij anno 1642. ac varia etiam cum Rege Hispaniæ bella gessit: Mortuus est in ætatis flore 14. Maij, an. 1643. eodem mensis die quo cœpit regnare. Vixit annos 41. mensibus 4. rexit annis 32. completis. Post 23 annos connubij cum Austriaca genuit Ludouicum XIV. eiusque Fratrem Ducem Aurelianensem, vti tradit idem Morerus, aliique ab eo fusè citati.

Ludouicus XIV. dictus le Grand, nunc prospere regnat.

Hæc postrema familia dicitur per 700. ferè annos, per ramos sui varios, habuisse iam triginta Monarchas, vt tradit Ludouicus Morerus agens de familia Valesia, & Bourbonica.

## ARTICVLVS VI.

# REGES ANGLIAE

*Præcipuè posteriores ex Stuartica familia.*

REgnum in Anglia primò constitutum est à Rege *Egberto*, ex Saxonia, subacta tota pęnè insula præter Scotiam, ac lege lata vt eam deinceps inhabitantes tam Britanni, quam Saxones Angli discerentur, Scotia excepta, vti tradit Genebrardus in Chronico ad Christi sæculum nonum.

Ante Egbertum prioribus sæculis varij Reguli variarum Prouinciarum siue Comitatuum in Anglia imperitabant. Horum successiuè fuerunt Reguli Kantiæ 18. Sussexiæ 5. Estangliæ 17. Essexiæ 15. Northumbtiæ 9 Merciæ 24. VVestsexiæ 17. quorum postremus Hechbertus fuit.

*Egbertus* igitur totum regnum adeptus est, anno circiter Christi 801. quod tenuit ad annum 816. Ethelulfus successit anno 836. ad annum 837. Ethelbaldus an. 857. Ethelbertus an. 850. ad annum 866. Ethelredus ab an. 866. item Alfredus anno 900. Edoardus I. Adelstanus ab anno 923. ad an. 941. Edmundus I. anno 941. ad 946. Etuuinus anno 955. ad annum 959. Edgarus anno 959 ad 975.

Anno 975. *Sanctus* Edoardus II. ad annum 979. Ethelredus ab anno 979 ad annum 1016. Edmundus II. ab anno 1016. ad 1017. Canutus I. ab anno 1017. ad annum 135. Haroldus I. ab anno 1036. ad annum 1040. Canutus II. ab anno 1040. ad annum 1042. Alfredus ab anno 1042. annum vix expleuit. *Sanctus Edoardus* III. ab anno 1043. ad ann. 1066. deinde *Haroldus* breui tempore.

*Guil. Conquestor.*

Anno Christi 1067. Rex fuit *Guilielmus* I. dictus *Conquestor*, qui fuit dux Normanniæ, & Londinum aduenies) inquit Mat. Parisiensis in Hist. Anglorum) in magna exultatione à Clero, & populo susceptus, & ab omnibus Rex acclamatus, die Natiuitatis Domini ab Arch. Eboracensi diadema suscepit, non à Canturiensi. Varias *Scotorum* incursiones sustinuit. Initio regni barbarico more Angliam tractauit, sed postea Christi fide suscepta, viris sanctis, & religiosis, Regibus etiam Sanctis Anglia abundauit.

Anno 1067. successit patri *Guilielmus* II. cognomento *Rufus*, cui pater moriens Angliam, filio autem *Roberto* Normanniam legauit. Varias postea suorum subditorum seditiones sustinuit, de quo *Parisius* ait. Erat ille suis nequam, alienis nequior, sibi nequissimus. Obijt occisus à VValtero Tirello, dum in venatu ceruæ sagittam intenderet, regni sui anno 13.

Anno 1100. *Henricus* I. fratrum vltimus, sed sapientissimus, in Regem eligitur, cum callidè subditos sibi deuinxisset promissa correctione seueritatis legum paternarum. Demum mortuus est in Normannia, sed corpus in Angliam translatum, postquam rexisset annis 35. mensibus tribus.

Anno 1135. *Stephanus* nepos Henrici ex sorore Adala vxore Theobaldi Comitis Bononiæ Rex coronatus. Hoc tempore Nicolaus Episcopus Albanensis in Anglia, creatus est *Pontifex Romanus* dictus *Adrianus* IV. Obijt Stephanus anno 1154.

Anno igitur 1154. *Henricus* II. Dux Normannorum audita Regis morte in Angliam venit, & Rex coronatur. Cœpit ille alienigenas, & maximè *Flandrenses* ex Anglia expellere, vt scribit Parisiensis: bellum habuit in Gallia, & pacem sibi iniquam facere coactus est. Non multo post mortuus, postquam regnasset annis 34. mensibus 7.

Anno

Anno 1189. *Ricardus I.* Henrico patri ſucceſſit, & contra quem antea Gallis aſſociatus, tunc Comes Pictauorum bellum geſſit. Sub eo facta eſt ſtrages magna Iudæorum in Anglia. In terram Sanctam cum exercitu profectus contra infideles præclara geſſit: ipſe cum paucis ſexaginta duo millia paganorum ſuperauit. Demum in Aquitania caſtrum aliquod obſidens, telo venenato à quodam Petro Baſilio percuſſus, percuſſorem ſuum captum liberauit, ac piiſſimè obiit.

Anno 1199. *Ioannes* Dux Normanniæ Richardo ſucceſſit, qui inter tempora multum turbulenta Vigorniæ ſepultus, regnauit annis 18. menſibus 5.

Anno 1216. *Henricus* III. Ioannis filius in Regem Angliæ coronatus fecit homagium Innocentio Pontifici de regno Hiberniæ, teſte eodem Pariſio. Hoc tempore Lodouicus Rex Galliæ *Rupellam* cum reſiduo Pictauiæ ab Anglis recuperauit. Sepultus eſt Henricus Londini apud VVeſtmonaſterium, poſtquam regnauit integris annis 56. diebus 20. Singulari deuotione venerabili Sacramento affectus, aſſiduo tres miſſas piè audiebat, ac pluribus priuatim inſeruiens, manum Sacerdotis Hoſtiam ſacram eleuantis oſculari ſolebat: quanta hæc eius ſucceſſoribus poſtremis confuſio.

Succeſſit illi *Eduardus* eius filius, alijque vſque ad Henricum VIII.

Seculo poſt Chriſtum decimo quinto, Henricus VII. fuit Angliæ Rex: Iacobus IV. Rex Scotiæ.

Henricus VIII. Schiſmatis Anglicani inductor, an. 1522. Iacobus V. Rex Scotiæ, anno 1528.

Eduardus VIII. dictus V. deinde Maria eius ſoror nupta Philippo II. Regi Hiſpaniarum. Et Maria Stuarta Scotiæ Regina, an. 1555.

Eliſabeta Regina Hæretica, Henrici VIII. filia, regnare cæpit circa an. 1555. & 40. ad minus annis regnum tenuit, & in hæreſi firmauit.

Iacobus VI. filius Stuartæ, & Rex Scotiæ, factus eſt iure ſucceſſionis Rex Angliæ, & iſtius nominis inter Reges Angliæ Iacobus primus, qui à matre Catholicè educatus, poſtea Rex factus hæreſi ſuccubuit. Henricus iſtius primogenitus Princeps VValliæ moritur an. 1614.

Carolus I. alter Iacobi filius ſuccedit in coronam Angliæ, & Scotiæ: Sponſam Regiam ex Gallia accepit: de Caroli I. funeſto exitu vide ſupra ad finem ſæculi vltimi.

Carolus II. qui poſt diuturnum exilium, Cromuuello mortuo, demum ex Belgio ad regnum reuocatur, & Londini coronatur: de quo ſupra ibidem.

Iacobus II. fratri Carolo feliciter ſucceſſit, coronatus Londini, dum hæc ſcribo, die 3. Maij, anno 1685. ſtylo nouo. Cum in cultu veræ Religionis generoſè incæpto Deus porrò præbeat coronam gloriæ.

## ARTICVLVS VII.

## REGES HIBERNIAE

### *Anteaquam Angliæ ſubiecta.*

HIbernia ante aduentum Chriſti, longa ſerie Reges habuit plurimos. Primus nominatus eſt *Slanius*, à fluuio eiuſdem nominis quo primum appulſus ſcribitur. Ab eo facta eſt Hiberniæ in quatuor Partes diuiſio, poſt quam fratrum vni Vltonia, alteri Conacia, duobus reliquis Momonia, ipſi verò *Slanio* Lagenia ceſſit. Poſt illius obitum cœperunt reliqui fratres inter ſe de regno digladiari, ea pertinacia, vt acquiſitum ſceptrum ferè ſingulis fuerit vitæ amittendæ occaſio, quod, & in poſteris deinceps frequenter euenit. Secuti ſunt alij nomine *Rodericus I Gannias*, *Iohannus*, *Stranganus I. Fiachus I. Rionalius*, *Feberanus*, *Eochadius I.* & alij longa ſerie ab anno mundi 2481. ad tempora Chriſti.

Poſt Chriſtum anno 4. regnauit *Feradachus* cognomento *Iuſtus* à ſingulari cura iuſtitiæ vbique adminiſtrandæ, per annos 20. *Fiatachus* rexit tantum annis 3 occiſus à ſucceſſore, qui fuit *Fiachus VII.* & rexit annis 27. dicitur hic à plebe trucidatus aſtu filij Regis Daniæ, quem in Hibernia populus Regem acclamauit.

Secutus eſt in regno *Carbræus II.* poſt 5. annos morte repentina extinctus. Poſtea *Thuathalius* I. *Maſius*, *Fedlimius*, *Catherius Magnus*, *Connus*, *Connarius* II. *Artburus* III. *Lugodius* VI. quo regnante nata traditur in Hibernia S. Vrſula. *Fergeſius* II. & 16. Rex ex familia Aenguſſij. *Corbmacus* cognomento Vishada, à barba prolixa, qui præ cæteris Regibus ſummæ ſapientiæ, condidit documenta Regum, & leges in Codices relatas, qui tandem in Chriſtum credere meruit. *Eochodius* II. *Carbræus* III. *Futadius* vterque, qui vna regnarunt: *Fiachus* VIII. *Colla*, coactus à ſucceſſore in Scotiam exulare, *Muredachus* II. *Colbadius*. *Eochodius* XIV. cum Rege Lageniæ bellum perpetuum geſſit.

*Crimthanus* III. bella geſſit in Scotia, Britannia,

tannia, & Gallia, semper victor, veneno dicitur extinctus propinato à propria sorore spe adipiscendi regnum suo filio, qua propinatione & ipsa extincta est. *Niellus* Eothodij filius, Scotiam & Angliam cum exercitu peragrauit, classem immisit in Britanniam Armoricam, vnde inter alios captiuos deductus est feliciter *S. Patritius* tunc 16. annos natus, & duæ illius sorores: tunc etiam celebris ille scriptor Sedulius dicitur in Hibernia floruisse. *Dathius* Nielli ex fratre Fiacrio nepos: scribitur exercitium duxisse ad Alpium radices, ibique fulmine percussum interijsse, quod passus sit à suis destrui Cellam celebris Eremitæ illic degentis.

Anno Christi 430. *Leodegarius* Nielli filius regnauit; eo regnante in Hiberniam peruenit *Palladius* à Pont. Cœlestino primò ad Gentis conuersionem missus, sed vno post anno regressus.

Tandem sub eodem Leodegario (qui 30. annis regnauit) *S. PATRITIVS* ex Gallia redijt futurus totius Hiberniæ Apostolus: ab eo Regina, & filij, non Leodegarius ipse fidem suscaperunt à suis Magis dementatus. *S. Patricius* hoc tempore in 4. Hiberniæ prouincijs Archiepiscopatus 4. constituit, ac Armacanum in Vltonia Primatem Pontificia authoritate constituit: dictisque Archiepiscopis varios suffraganeos assignauit.

Reges qui deinceps longa serie secuti sunt post fidem à S. Patritio propagatam Catholici fuerunt, & sub singulis Sanctorum agmina floruerunt.

Anno demum 1162. *Roderico* III. regnante *Dermitius* Lageniæ Rex, rapuit Regis Midiæ filiam, Principis Bresniæ coniugem. Hinc *Rodericus* cum exercitu Lageniam ingressus tantum facinus vlturus, pro ea qua cæteris auctoritate suprema poliebat. Dermitium eo redegit, vt necesse illi fuerit tam enormis facti defensionem detrectare, & confugere ad *Henricum* II. illius nominis Angliæ Regem. Cum autem eo tempore Rex ipse *Henricus* esset Gallico bello implicatus, *Dermitium* iuuandi copiam fecit illis ex suis quibus id luberet, vnde in eam rem inter *Dermitium*, & Richardum Comitem *Strangbo*, & alios proceres conuentum fuit. Quorum copiæ ex Anglia appulsæ, cum ijs quos *Dermitius* regere potuit militibus, in Lageniam penetrarunt. Sed *Roderici* Regijs copijs his obuiantibus, temperatum est à prælio, cum *Dermitius* paciscereturAnglicas copias remittere. Verum is noui subsidij per Comitem *Strangbo* adducti fiducia, pactum violauit, & Dublinum versus ac Midiam hostiliter ab eo progressum est.

Interea *Dermitio* Lageniæ Rege è viuis excedente, cum nouis copijs VVatersordiam, appulsus est ipse *Henricus* Rex Angliæ, qui mox duos *Momoniæ* Reges ad nutũ obsequentes habuit, quorum exemplum aliqui postea Reges secuti: quo rerum articulo Lageniæ ac Midiæ partes præcipuas sibi Angli desumpserunt.

Ab illo demum tempore *Domini Hiberniæ* titulum Regis Angliæ retinuerunt. Titulus ille primùm Henrico collatus fertur ab Adriano IV. Pontifice natione Anglo, ea lege vt Sedi Apostolicæ singulos asses pro singuli Hiberniæ domibus quotannis persolueret, ac Catholicam Religionem ad pristinum decorem, & populum ad laudabilem vitæ normam redigeret, quæ certè traditur etiam tunc cum magno Sanctorum numero in Hibernia floruisse. Hoc modo *Reges Angliæ* Dominatum *Hiberniæ* primum adepti, antiqua illius instituta, ac Regium in ea nomen exauctorarunt. Infelici sane euentu, non tam ab externo Angliæ dominatu, quam ab inducta postea in Angliam Hæresi, cuius sæuitia in hodiernum diem grauissimè laceratur Hibernia, Deo, Regique semper fidelissima.

## ARTICVLVS VIII.

# NOTITIA BREVIS

## ac Diuisio Partium Orbis vniuersi.

TOtus Terræ globus diuiditur potissimum in quatuor partes, Europam, Asiam, Africam, & Americam, quarum singulæ sunt quasi totidem terræ Continentes, vel quasi magnæ Insulæ, quas Oceanus circumfluit, & diuidit. Ambitum autem Terræ totius statuunt communius Cosmographi complecti, viginti duo leucatum millia: *Roboult* pauciora, alij plura. Gradus in quos diuiditur totus circuitus Terræ sunt trecenti & sexaginta. Vnus autem gradus meridiani terrestris complectitur viginti quinque leucas. Superficies Terræ in qua nos consistimus distat à Centro Terræ circiter mille quadringentis & triginta leucis: Globus autem Terræ totius maior est corpore Lunari circiter quadragesies quinies: Sed Solari corpore est plusquam centies, & vt aliqui computant plusquam centenis aliquot vicibus minor.

Agemus hic breuiter prius de alijs Terræ par-

partibus, vt postea pluſculum de noſtra Europa annotemus.

## ASIA.

AB initio Aſia fuit pars Terræ nobiliſſima, vtpotè, quæ prima genus hominum intra ſe conſpexit, & in aliis mundi partes, tamquam aliquod orbis ſeminarium tranſmiſit.

Alia quippe prima Gentium ritus ſacros, mores, rationemque rectè viuendi aliis Gentibus communicauit: & ipſum *Deum incarnatum*, ſcilicet Chriſtum, in Iudæa orbi exhibuit.

Sita eſt Aſia in parte orbis Orientali reſpectu continentis noſtræ regionis. *Aſia minor* pars eſt Aſiæ maioris; eſtque ea in mari Mediterraneo vbi eſt inſula Cyprus & Rhodus, hodieque nominatur Anatolia.

Aſiæ fines ſunt à Septentrione Oceanus Schyticus, ab Oriente mare Eoum: à Meridie mare Indicum, ſiue Rubrum: ab Occidente ſinus Arabicus, & Iſthmus, qui eſt inter ſinum Arabicum, & mare internum: atque inde Maria Phœnicium, & Aegeum, Propontis, Pontus, Mæotis lacus, Tanais amnis, & Obium flumen.

Longitudo Aſiæ ſumma eſt inter Helleſpontum & Malacam extremum Indiæ Emporium, milliarium germ. CIↃCCC. id eſt 1300. Latitudo inter fauces Arabici ſinus, & Tabin promontorium, quod eſt ad fretum Anian, eſt mill. CIↃCCXX.

Hodie tota Aſia in quinque potiſſimum diuiditur partes, quarum I. eſt Tartaria: II. China: III. India, ſub quibus Inſulæ adiacentes: IV. Perſarum ſiue Sophorum Imperium, ſub quo comprehenditur Armuziæ peculiare Regnum: V. Turcicum imperium, in Aſia maximè ſitum.

De aliquibus Aſiæ partibus mira refert Ioannes Boemus lib. 2. In parte Indiæ naſci homines monoculos, alios monopedes, id eſt, vnius pedis, ſed latiſſimi: Apud Cleſium legitur quaſdam fœminas ibi tantum parere, natoſque illico canos fieri. Eſſe quoque gentem aiteram quæ in iuuentute ſit cana, ſed in ſeneſtute nigreſcat. Eſſe aliam in qua fœminæ quinquennes pariunt, ſed vitra octauum annum viuendi ſpatium non protrahere. Moris eſſe apud Scythas, vt cum Rege Defuncto quinquaginta ex eius Famulis intimis ſepeliantur, & totidem ex equis præſtantiſſimi: Item apud Cathæos Indos, qui plurea habent vxores, vt earum chariſſima, cum marito mortuo in eodem rogo concremetur, quod illæ plurimum ambiunt. Qui Gangis fontem accolunt vinere ſolo odore pomorum Sylueſtrium, & longius pergentes illa in eum finem ſecum conferre.

Inter Turcas ſaltem Aſiæ, Campanarum vſus non permittitur. Templa non niſi Diſcalceati ingrediuntur. Ad ſedendum nullis ſcamnis, aut ſedilibus vtuntur: ſed decenti membrorum compoſitione ſupra terram puerorum more recumbunt. Menſa ad quam veſcuntur vt plurimum eſt corium bubulum & hirſutum ſupra terram ſtratum: & cum circulis & corrigijs inſertis ita accommodatum vt poſſit inſtar burſæ complicari, & facilè quocumque deferri. Hæc tantum pauca delibo ex pluribus apud Boemium ſupra citatum, aliiſque.

De cetero, In Aſia Loca maxima quæ ſunt à ſinu Arabico vſque ad promontorium vulgò Cabo de Lampo dictum (quod eſt ad 30. gradum latitudinis borealis) omnia ferè poſſidet Regnum Luſitaniæ, aut ſibi tributaria fecit, vt tradit Carolus Stephanus, & latius alij.

Ex quibus etiam patet, in *Africa* multis locis Religionem Chriſtianam, & Romanam etiamnum coli, & agnoſci.

## AFRICA.

IVngitur Aſiæ exiguo freto *Africa*, quæ eſt maxima terrarum Peninſula in forma pyramidali, in Ambitu complectens tria millia, & triginta circiter miliiaria Germanica. Para magna Africæ eſt incuita, & aut arenis ſterilibus obducta, aut ob ſitim cœli terrarumque deſerta, aut infeſtatur multo ac maleſico genere animalium, in vniuerſum vaſta eſt magis, quam frequens. Quædam tamen partes illius ſunt eximiè fertiles. Græcis *Lybia* dicitur, à Lybia Epaphi filij Iouis filia: *Africam* autem ab Afro Herculis filio dictam volunt.

Maria eam cingunt, qua ſol oritur Rubrum, qua medius dies Aetiopicum, qua occidit ſol, Atlanticum, à Septentrionibus Internum, Africum ſeu Lybicum dictum, qua eam alluit.

Longitudo eius ſumma computatur ab Herculis freto ad Promontorium bonæ ſpei mill. IↃCC.

Latitudo inter duo promontoria, Heſperium, vulgò C. Verde, & Aromata, quod eſt iuxta fauces Arabici Sinus, vulgò nunc Coarda Fui, mill. 191. Terra ipſa, niſi qua interno

mari accedit, obſcurè veteribus nota. Vltra autem Nil fontes ac montes Lunæ prorſus incognita.

Regiones ac Gentes, in quas Africa diuiſa fuit quondam, ſunt, Aegyptus, Cyrenaica, Africa minor, ſeu propriè dicta, Troglodytæ, Garamantes, Numidia, Mauritania, Gætulia, Lybia interior, Arabia Troglodytica, & Aethiopia. Partem Africæ maximè meridianam Europæis incognitam, detexerunt Portugalli à centum 20. circiter annis.

Inter celebratiſsimas Africæ Vrbes eſt *Carthago*, vbi conſtat celebrata fuiſſe varia *Eccleſiæ Romanæ* Concilia. Vnde viterius patet olim, hodieque in illa Orbis parte Religionis Romanæ cultum, & Epiſcopatus plurimos præſertim ſub Hiſpanis & Portugallis reperiri. Certè olim ex ea prodierunt ſummi Eccleſiæ Romanæ Doctores, S. Cyprianus, S. Auguſtinus, S. Fulgentius, Tertullianus, Arnobius, ac Victor Vticenſis. Præter antiquos plurimos, Africæ totius mores, & inſtituta *Ioannes Leo* magno volumine deſcripſit.

De moribus ſaltem antiquis in quibuſdam Africæ partibus tradit qui ſupra *Bornius* lib. 1. Mulieres Aegyptias virorum obire munia, & contra viros mulierum. In Lybia Amazones fœminas ſolitas ad bella proficiſci, & in Republica principatum exercere, viris ad Domeſtica officia mancipatis: ideoque illas conſueuiſſe ſuis infantibus maſculis brachium dexterum confringere vt eſſent ad bellandum inepti. Moris eſſe apud Aegyptios defunctorum parentum corpora tradere in debitorum pignus ſuis creditoribus, ſic vt ſumma filij afficerentur infamia, & ſepultura carerent, ſi tradita corpora poſtea non redimerent. Popnios eſſe in Aethiopia qui vocantur Rizophagi, qui viuunt ex ſolis radicibus arundinum ſaxo contuſis, ex quibus & placentas conficiunt, & ad ſolem tantùm excoctas placidè & ſecurè tota vita in cibum ſumunt, adeò natura ſimplicibus contenta. Alij ſunt populi qui dicuntur Ilophagi, qui cum vxoribus & liberis per campeſtria vagantes, Arborum ramis teneribus ac ſupremis, dentibus tamen contritis, victitant: & hinc auium more adeò ſunt agiles, vt facilè de arbore in arborem profiliant: quod ſi quando deciderint ob corporis leuitatem nihil lædantur.

(?)

## AMERICA.

EST America Europæ quam Aſiæ propinquior, milliarium ducentorum inter *Hiberniam* & *Canadam*, proximiorem Africæ partem, intercedente nauigatione.

Americam ab antiquiſsimis temporibus cognitam fuiſſe Europæis, ex Platone ſimul atque Diodoro Siculo probari poteſt. Apud Platonem in Timæo, Sacerdotes Aegypti narrant Solonj Athenienſi, qui 100. circiter annis ante Chriſtum natum vixit, Inſulam fuiſſe quondam contra fretum Herculeum Africæ ſimul & Aſiæ maiorem, nomine Atlantidem: Poſtmodum verò immani terræ motu, ingentique vnius diei ac noctis illuuione, ſub vaſto gurgite merſam fuiſſe: Ac inde mare, quod eam inſulam, ac fretum Gaditanum inter iacebat, immeabile, & inſcrutabile redditum, limo paulatim impediente, quem illa inſulæ ſubſidens præbuiſſet.

Dicta nunc eſt tota hæc continens America, ab Americo Veſputio Florentino, qui Emanuelis Portugalliæ Regis auſpicijs à Gadibus anno MCCCCXCVII. profectus, primus ex Europæis (quantum memoria proditum) eam ingreſſus eſt. Quamquam hoc prior Chriſtophorus Columbus Genuenſis anno MCCCCXCII. hoc eſt, ann. 1492. Inſulas Americæ Hiſpaniolam, Cunæam, & Iamaicam adierit. Poſt hos frequentes in eam nauigarunt, Hiſpani, Galli, Angli, quorum alij alijs inibi Regionibus detectis, nomina ſua quique lingua impoſuerunt. Mediterraneorum cognitio parum certa eſt: maximè quæ ſunt verſus Septentrionem. Maritimæ autem oræ Hiſpanorum armis maxima ex parte ſubactæ.

Longitudo eius ſumma inter duo freta, Aniam, & Magellanicum mill. Germ. CCCCC. Latitudo maxima inter promontorium vulgo Cabo de Fortuna, iuxta fretum Aniam, & promontorium vulgò C. de Beeton in nona Francia, mill. CCCC. vt habet Cluuerius.

Diuiditur vniuerſa in Septentrionalem, quæ & Mexicana, & Meridionalem, quæ & Peruuiana; exiguo iſthmo alteram ab altera diſcernentes. Americæ partes & mores, & quod ſequi ſolent Religionem ſui Principis, pluribus deſcripſit Ortelius, Gemma Friſius, Franc. Lopes Gomara, Morerus, aliique.

Ex dictis etiam patet tam olim, quam hodie per Europæorum nauigationes, Colonias, aut commercia in America quoque fidem Catholi-

ſieam pluribus locis coli, & agnoſci. Immo illic per Europæos ſex Archiepiſcopatus, cum pluribus Epiſcopatibus florere, tradit Morerus in ſuo dictionario hiſtorico, V. *America*.

## EVROPA.

HOdie Europa, quam incolimus, eſt ab Occidente reſpectu Aſiæ, & à Septentrione reſpectu Africæ. Eſt illa terrarum omnium celebratiſſima tam à virtute armorum, quam à litterarum, & artium gloria, quibus omni æuo reliquas orbis partes præcelluiſſe traditur. *Formam* illius tradit Strabo, aliique, eſſe extenſam inſtar figuræ Draconis, de qua infra.

*Longitudo* Europæ ſumma inter Hiſpaniæ promontorium ſacrum, ad fluminis Obij oſtium milliarium Germanicorum circiter 12cccc. id eſt 900.

*Latitudo* maxima à Tænaro Peloponneſi promontorio ad Scritofinniæ promontorium Rutubas, vulgò nunc Noortkyn dictum, milliaria 10L. id eſt 550.

Diuiſa olim fuit Europa in varias Gentes Regioneſque, quarum nomina, etiam nunc clara, ſunt iſta: Hiſpania, Gallia, Germania, Vindelicia Rhætia, Italia, Noricum, Pannonia, Illyricum, Epirus, Græcia, Macedonia, Thracia, Mæſia, Tacia, & Sarmatia. In Inſulis verò Oceani maximis, Britannia, Hibernia, Thule: Maris interni, Baleares duæ, Sicilia, Sardinia, Corſica, Creta, Eubœa, cum alijs minoribus ſine numero.

Hodie diuiditur aliter in complura Regna, atque Principatus. Regnorum præcipua ſunt, Hiſpania, Gallia, Anglia, Hibernia, Scotia, Noruegia, Suecia, Dania, Germania, quod nunc Romanum vocatur Imperium: Deiu Polonia, Bohemia, Vngaria, Slauonia, Croatia, Dalmatia, Boſnia, Serula, Buigaria, Tartaria minor, ſiue Præcopenſis: Item Regnum Neapolitanum, & Sicilia. Archiducatus vnus eſt Auſtriæ. Magni Ducatus tres; Moſcouia, Lituania, & Tuſcia. Ducatus & Principatus innumeri. Figuram vniuerſæ Europæ Strabo dedit Draconis: cuius caput Hiſpania, Collum Gallia, Corpus Germania, alæ dextra læuaque Italia, ac Cimbrica peninſula.

Interea varia etiam in Europa prodigioſa, hæc referunt fidi Scriptores.

1. In Gallæcia in portu Mongiæ, Nauem grandem perflare integrè lapideam ſic vt ipſa vela ſint ſaxea, & tamen molem tanti ponderis vnius pueri digito tactam moueri.

2. In eadem Gallæcia Antrum ſpectari tam immenſę longitudinis vt nemo vnquam etiam plurium dierum itinere vllum in eo finem inuenerit.

3. Vilillæ oppido Hiſpaniæ, Campanam eſſe mirabilem, quæ quando immiuet Reipublicæ Catholicæ euentus ſummoperè infortunatus, aut etiam fortunatus, nemine impellente, ex ſeipſa pulſari aliquos antea menſibus, quod ſæpius, & certò factum teſtantur varij apud Marianam de rebus Hiſpaniæ l. 21. c. 20.

4. Piſces ex terra foſſiles reperiuntur varijs locis quod nominatim de Gallia teſtatus eſt Liuius, etiam per atatrum effoſios.

5. Mons eſt in Luſitania nomine Stella in cuius ſupremo cacumine inuenluntur in Lacu fragmenta nauium ex aliquo in mari naufragio, cum tamen à mari diſtet pluſquam 12. leucis. Alia in hoc genere mira fatis indicant mundum ſubterraneum eſſe, meatibus innumeris peruium.

6. Hiſpali puteus eſt, qui creſcente maris æſtu minuitur, & deſcreſcente augetur, vt refert Plinius l. 2. cap. 97.

7. Idem tradit Viiſſipone Equas fuiſſe aliquas quæ ad certum ventum obuerſæ fœtum concipiebant velociſſimum, ſed vitæ breuiſſimæ.

8. Compluti Saxum ſeruari quod oleum ſalutare exſudat, teſtatur Nierembergius, & ſe illud vidiſſe.

9. In Groenlandia ſine Europæ ad Occidentem, Nox durare traditur per medium circiter annum: Mare illi adiaceus Balenis abundat monſtroſæ magnitudinis: Frigoris ibi tanta inclemẽtia, vt homines vix poſſint illic modico rempore durare: pars aliqua illius terræ Regi Daniæ ſubiecta eſt.

Nunc in particulari de Regionibus Europæ præcipuis.

Hiſpania [vt tradit *Carolus Stephanus* in ſuo dictionario hiſtorico, verbo *Europa*] regio eſt vltra modum fertilis: Frugum omnigenum, vini, & arborum copia nolli poſthabenda, ſed optimis orbis partibus comparanda. De reliqua Hiſpaniæ præſtantia ſcripſit *Strabo* lib. 3. & ſeptem ſequentibus. Et recentius *Volaterranus*, *Munſterus*, *Andreas*, *Syluius*, aliique, de qua infra. De Gallia ſcripſit *Poſtellus Carolus Stephanus* aliique. De *Germania*, *Italia*, *Anglia*, ſcribunt prædicti, *Ortelius*, aliique in particulari.

## HISPANIA.

POrrò de Hiſpania tradit Morerus in dictionario hiſt. illam eſſe Europæ partem ma-

maximè occidentalem: & olim diuisam fuisse in 14. Regna, quæ sunt ad Septentrionem Nauarra, Biscaia, & Asturis. Ad occidentem Galicia, Portugallia, & Algarbia. Ad meridiem Andalousia, Granada, & Mureia. Ad orientem Aragonia, Catalonia, & Valentia. Et in patriæ medio Leon, & Castilia noua, & vetus. Vrbs Regni Capitalis modo est Madritum, olim Toletum, & Hispalis.

Habet Hispania 8. Archiepiscopatus, & Episcopatus 45. Metropolitanæ illius Ciuitates sunt, Toledo, Burgos, Compostelas, Hispalis, Granada, Valentia, Saragossa & Terragona.

Hispaniæ Rex dominatum habet omnium ampliſſimum. Et in quatuor Orbis partibus varias possidet Ditiones latè extensas. Præter alias alibi, in Italia Regnum Neapolitanum, & Siciliam, Ducatum Mediolanensem, Orbitello, Final, Insulas Baleares, Maioream, Minorcam & Sardiniam. In *Africa* ad Barbariam possidet loca, quæ dicuntur, Oran, Arach, Mahamor, Peunon, Marsa quinir, Messille &c. In *America* Insulas Cauariæ cum reliquis, præter Brasiliam & alia, quæ illic à Francis, & Anglis possidentur. In *Asia* illius sunt Insulæ Philippinæ, & plura alia ibidem loca.

Huius amplitudinis extensionem per 4. Orbis partes sic computant aliqui, vt asseratur, in terris Regis Hispaniæ Solem numquam occumbere, quia earum aliqua pars vbique soli subest. Vnde extat ad illum Epistola Regis Persarum cum hac inscriptione, *Regi qui sedem habet pro galero.*

Computant etiam alij cum prædicto Morero, diuitias quæ solis Iudijs Hispano proueuerunt ab earum occupatione ad annum 1618. ascendisse ad quinies centum, trigiuta sex milliones auri. Duo reseruntur in Hispania Pontes omnibus admirandi.

Vnus Pons supra quem aquæ transeunt, qui est aquæ ductus Hispalensis. Pons alius ditissimus orbis, & vbi possit instrui exercitus ad prælium, qui est de la Gaudiane.

*Archiepiscopatus* habet Hispania quatuor Potentissimos. Primus in hac est, Archiepiscopus *Toletanus*, qui & Hispaniæ Primas, & Castellæ maximus Cancellarius: & in raddibus annuis habet octoginta millia ducatorum. Secundus Archiepiscopus *Hispalensis*, habens annuè 24000. ducat. Tertius Archiepiscopus *Compostellanus*, habens 24000 ducat. Quartus Archiepiscopus *Granatensis*, habens 10000. ducat.

*Episcopi* cum his iunt vniuersim Quinquaginta quinque, Burgensis, cuius reditus 20000. ducat. Seguntinus, 66 minus. Cocheusis, Placentinus, Palentinus, Mentesanus, Segouiensis, &c.

*Ordines* etiam *Militares* in Regno Castellæ Tres potentissimi recensentur, S. Iacobi, Alcantaræ, & Calatrauæ. Ordo ille *S. Iacobi*, habet in Regno Castellæ *Commendas* quadraginta duas, quarum duæ habent annui reditus 14000. ducat. Vna alia 12000. & vna alia 10000. & quę minimum 1000. ducat. Idem Ordo in Regno Legionēsi habet *Commendas* quadragiuta sex, cum maximis etiam reditibus.

Ordo *Calatraua* in vtroque simul regno prędicto Commendas habet trigiuta quatuor: Ordo *Alcantara* Commendas trigiuta duas. Ita hæc recensent fusius Marinæus, aliique.

*Seminaria Hibernorum* pro Catholica Fide in ea Gente conseruanda, Hispali vnum, alterum Salmanticæ, alterum Compostellæ, alterum Vlyssipone, alterum Compluti, hoc excepto, alia Rectores habent Societatis. His adde in Belgio Seminarium Louaniense, Antuerpiense, Insulense, Tornacense Harum singula totidem sunt Gemmæ charitatis, quæ in Hispaniæ Corona lucebunt in perpetuas æternitates:

De Regem Hispaniæ antiquitate, serie, & ordine successionis per singula huc vsque sæcula, vide hic paulò supra de Notitia Monarchiæ sæcularis.

## HIBERNIA.

DE *Hibernia*, vt alios præteream, sic scribit prædictus *Carolus Stephanus ver. Hibernia.* Britannicarum, inquit, Insularum maxima, collateralem habet Britanniam maiorem ab Oriente; solum Oceanum ab Occidente; ab Aquilonari verò parte trium dierum velifico cursu Borealium Insularum maxima Islandia iacet. Gleba præpingui, vberique frugum prouentu terra est fælix. Pecore montes, nemora feris abundant: Pascuis tamen quam frugibus, gramine quam grauo fœcundior: meile, & lacte diues: fluminibus egregijs scinditur, & rigatur. Falcones, accipitres, & nisos præ alijs Regionibus copiosè producit, cum Aquilarum, variarumque omnigenum auium numero. Ferarum quoque cunctas ferè species continet. Veneno sis omnibus caret. Terræ motus, hic numquam: vix semel in anno tonitru auditur. De moribus Incolarum, & stupendis naturæ operibus nulla scripsit ex Gyraldo *Ortelius*, & nos ad Vitam Sancti Patricij à nobis editam Anno 1671. De Constantia illius perpetua in Religione Romana, vide hic inferius *Tomo Tertio post Summam Doctrinæ Christianæ.*

Hi-

Hibernia quatuor Prouincias complectitur, & quintam, quæ Media siue Midia dicitur.

Episcopatus habet duodecim, cum his simul Archiepiscopatus quatuor, Armacanum, Dublinensem, Cassellensem, Tuamensem.

In ea à probatis Scriptoribus notantur Naturæ aut Gratiæ rara prodigia.

1. Quod nulla habeat in toto Regno animalia venenata, nec ranam quidem. Imo quod gleba aliqua illius Terræ alibi aduecta animalia venenata attactu enecet.

2. Quod in eo sit Lacus, in quo si per aliquod longius spatium palus ligneus vsque ad terram infingatur, pars quæ est Terræ infixa conuertitur in ferrum, pars quæ est in aqua in lapidem, pars verò, quę est supra aquam lignum permanet. De hoc meminit etiam Molina in descript. Galliciæ, alijque

3. Quod ad occidentalem Hiberniæ partem ad *Conatiam* sit Insula nomine *Aren*, à S. Brendano olim consecrata, in qua aliqua hominum corpora nec humantur, nec putrescunt, sic vt aliqui suos auos, atauos, & tritauos mirando aspiciant, & dignoscant.

4. Quod in *Momoniæ* prouincia Fons existat, cuius aquis si quis abluitur statim canescat. E contra in *Vltonia* sit Fons quo si quis abluitur non canescit amplius, ad quem accedunt viri, fœminæque quæ cupiunt canitiem vitare. *Geraldus* in Topographia Hiberniæ, alijque.

5. Quod in Momoniæ parte boreali duæ sint Insulæ, in quarum maiorem nullum fœminei sexus animal intrare potest quin statim moriatur. Quod sæpius experientia probatum refert *Cambrensis*, *Gretserus*, alijque. In minori verò Insula [ quod magis mirum] nemo vmquam moritur morte naturali, hinc Insula viuentium dicitur. Vnde morbo lethali grauissimè afflicti inde aliò transferuntur.

Hæc & plura alia Hiberniæ prodigia tradit partim, *Beda*, partim *Cambrensis*, & ex ijs, alijsque noster *Nierembergius*, in Histor. natur. l. b. 2. cap. 1. 2. & c.

## ANGLIA, ET SCOTIA.

DE *Anglia* sic scribit Ioannes Boemus in descriptione Europæ cap. 26. Ambitus illius quadragesies octies, & septuaginta millibus passuum constat. Dies illic longissimus 17. horarum deprehenditur, & æstate lucidæ sunt noctes. Formam habet triangularem instar Ciciliæ insulæ: Prouincias plures nominatas supra ait. 6.

Sunt Angli cærulei oculis, adeò venusta, & statuta procera, vt beatissimus Pontifex *Gregorius* cum forte Anglorum pueros Romæ videret: Bene, inquit, Angli dicuntur, quia vultu nitent vt Angeli, oportet illis ministrari iter salutis æternæ, quod per *Augustinum Monachum* eo delegatum incœpit.

*Lupos* Anglia non gignit, & ideò pecus sine custode securum est. Non gignit etiam Vinum, sed metallis diues est, vt argento: cupro, plumbo. Infunt, & margaritæ, & lapis mirabilis nomine Gagates qui ardet in aqua, & oleo extinguitur. Vrbes, & Villas habet numero multas, quarum caput Londinum cæterarum longè maxima: Ita idem Joannes Bohemus, &c. De Anglia plura hic in fine *Parlamentum* in Anglia comprehendit Domum ſ vt vocant ſ Superiorem, & Inferiorem. In Superiori sedent quinque gradus Nobilium, scilicet Duces, Marchiones, Comites, Vicecomites, Barones, & in his Episcopi. Filij prædictorum, quantumuis sint Ducum non habent locum in domo superiori, sed tantùm inferiori, donec Rex per Litteras patentes illos euehat ad superiorem.

Propositiones conclusæ in domo inferiori, debent deferri ad superiorem, nec potest aliquid ab vtraque authenticè, & finaliter concludi sine Regis permissu aut approbatione. Ita Morerus, alijque.

*Scotia* est Angliæ contermina, sic vt ab Anglia nullo separetur freto maris, sed tantum vno monte, & fluminibus, non magnis. Terra multum montosa est, & maximè ad Septentrionem vbi mari alluitur. Traditur illic tempore brumali, aliquando diem esse trium horarum. Reperiri etiam ibi Arborem, cuius fructum in aquam subiectam decidentes, mox in volucrem formentur, & euolent, ideo volucres has Anseres Scoticos appellant: quamuis sint qui tradant Arborem hanc apud Orcades insulas reperiri.

Scribit *S. Hieronymus* contra Iouinianum lib 2. Suo tempore Scotos carnibus humanis vesci, & quasdam earum partes in maximis delicijs habuisse, seque adolescentulum in Gallia id vidisse, vt ex ipso aliqui notant. Sed vide quantam vim postea habuerit Catholica Religio, ex *S. Chrysostomo* serm. de Pentecost. sic scribente: Ante hoc, inquit, quoties in Britannia humanis vescebantur carnibus, nunc ieiunijs reficiunt animam. Plura de Scotia *Ioan. Maior* in hist. Scotica.

Vrbes in Scotia præcipuæ sunt Edinburgum, & Glasquensis vrbs olim sedes Archiepiscopalis, Vrbs quæ dicitur Sanct. Andreæ, & alia quæ dicitur Eberdonia: &, in vtraque postrema est pridem fundata Vniuersitas. Sicut & pridem in Anglia Vniuersitas Cantabrigensis, & Oxoniensis, huius olim singularem excellentiam, & Collegiorum frequentiam annotat accuratè Iustus *Lipsius* in suo Louanio.

## ITALIA.

De *Italia* sic tradit Solinus, & alij. Longitudo eius ab Augusta prætoria, per Romam, Capuamque porrecta vsque ad oppidum Rhegium, decies centena, & viginta millia passuum esse colligitur. Latitudo verò quadringenta decem, vbi latior, vbi breuior centum triginta sex: habetque vmbilicum in Agro Rheatino, qui dudum ex latere Maris superis Rubiconem fluuium pro finibus habuit.

Est Italia metallis grauida, vbique Vitalis, & perennis salubritas, eximia cœli temperies, campi fertiles, aprici colles, innoxij saltus, opaca nemora, munifica Syluarum genera, mira frugum, Vitium, & olearum fertilitas, nobilia pecori Vellera, opima tauris colla, perspicui, & piscosi lacus, fluuius, fonteſque saluberrimi, portus plurimi; ipsa auidè ad mortales iuuandos in maria procurrens, & velut gremium omnium Gentium commercio pandens, vt verè dicta sit à quibusdam, Terrarum omnium alumna, atque eadem parens cœlestium prouidentia electa, quæ sparsa congregaret imperia, mollireque efferatarum Gentium ritus; discordes ad colloquia linguæ munere litterarum, latinoque sermone congregaret.

Figura Italiæ est quasi Cruris humani. Limites illius à *Septentrione* sunt Alpes montes, qui separant eam à Germania.

Ab *Oriente* habet mare Mediterraneum quod dicitur Adriaticum. A *Meridie* adiacet mare Inferum siue Tuscanum.

Ad *Occidentem* vnam habet partem Alpium cum fluuio Var quibus terminatur ex parte Franciæ, & Sabaudiæ.

*Principes* Italiæ maximi sunt, Pontifex Romanus, cui subest ducatus Spoletanus, Vrbini, & Ferrariæ, Marchionatus, Anconitanus, Romaniola, Bononia, & ducatus Beneuentanus in Regno Neapolitano.

Dux Florentinus, familiæ de Medicis, qui possidet maxima ex parte ditionem Toscanam. Dux Sabaudiæ, qui tenet ditionem Pedemontanam, &c.

Dux Mantuanus, familiæ de Gonzaga, habet Ducatum sui nominis, & Montseratensem. Dux Parmensis, domus Farneſiæ, tenet Ducatum Parmæ, & Placentiæ. Dux Mutinensis familiæ Destensis, possidet ducatum Modenæ, & Regio. Princeps de Massano familiæ Cibo, habet Principatum sui nominis. Est & Princeps de Monaco, familiæ Grimaldi, aliæque familiæ illustres.

*Respublica* etiam in Italia sunt Quatuor: duæ maiores, Venera, & Genuensis; duæ minores, Lucana, & S. Martini.

*Vrbes Italiæ* præcipuæ sunt hæ, quæ singulari decorantur epitheto. Roma dicitur, vrbs Sancta: Neapolis, nobilis: Florentia, pulchra: Genua, superba. Mediolanum, magna: Rauenna, antiqua: Venetia, opulenta: Padua, docta: Bononia, pinguis, ratione soli.

*Episcopatus* in nulla Orbis Regione plures quam in Italia.

*Vniuersitates* etiam sunt præ alijs plurimæ, scilicet Paduæ, Venetijs, Turini, Pauiæ, Siennæ, Bououiæ, Romæ, Ferrariæ, Maceratæ, Fermini, Neapolis, Salerni, &c.

GAL-

## GALLIA.

*Gallia*, de cuius Regibus supra *Art. V.* & Episcopis *pag. 76.* non potest breuiter & eleganter melius describi, quam apud *Baptistam Mantuanum* in suo Dionysio, lib. 2. sic eam metricè exponentem.

*Gallia* terreni pars est non infima mundi,
Sed longè latèque patens, Hispanica tangit
Oppida ab occasu. Sese coniungit ab ortu
Italiæ: nostro hinc pelago qua respicit Austrum
Clauditur, Oceano geminas qua respicit Vrsas,
Vnde venit Boreas hybernaque frigora surgunt,
Et Vada Theutonici tangit vastissima Rheni.
Terra hominum, frugumque ferax, armenta, gregesque,
Vberibus pascens glebis, non languida Cœlo
Tabifico: non mortiferis infesta Venenis
Vt Lybiæ, non perpetuis adoperta pruinis,
Sicut hyperborei montes; non torrida ab æstu,
Qui faciat steriles, vt decolor India, campos.
Non etiam noctis pallens Semestribus vmbris
Quale sub Arcturo positum mare, & vltima Thule:
Sed nec vt Ægyptus, quæ fusa palustribus vndis,
Sed Cœlo, & teneræ fœcunda Vligine terræ.

## GERMANIA.

*Germania*, de cuius Imperatoribus &c. supra *Art.* 3. Regio Europæ amplissima tota Septentrionalis, pluribus constat Regnis, & Prouincijs, de quibus fusius qui supra *Ioannes Boemus cap.* 12. Germaniæ norma sic pridem metricè breuiterque exponitur.

Gens inuicta manet, toto notissima mundo.
Terra vbi se deuexa globo demittit in Arcton,
Solis, & algoris patiens, durique laboris,
Ingrata ignauam Vitæ tolerare quietem.
Indigena haud alia ducens primordia Gente,
Sed Cœlo producta suo, Demogorgonis aluus
Protulerat patulas vbi cuncta creata sub auras.
Germanos vocitant Itali, sed Græcus Adelphos,
Quod fratrum soleant inter se viuere more:
Nomen nobilibus quod adhuc Venerabile nostris
Pectoribus, similes ingentes corporis artus
Prodiga cui natura dedit; per lactea colla
Candida proceris tollentes corpora membris.
Flaua coma est, flauentque oculi, grataque coloris
Temperie iustam retinent sua membra staturam.
Vox habitum mentis cum gestu, & pectora prodit,
Vox quæ nil muliebre sonat, sed tota Virilis
Martia crassiloquo tessatur corda palato,

Quæque fidem Sancto, & constanti pectore feruet
Religionis amans, superumque & cultor Honesti,
Et Veri, Iustique tenax, mens consona labris,
Ficta coloratæ fugiens mendacia linguæ.

---

Dum hæc scribo, venam & mihi, licet siccam & senilem, excitat opportunè IACOBI II. quæ nunc celebratur Londini lætissima coronatio.

## DE ANGLIA AC HIBERNIA Authoris recens Votum.

*Anglia sis! Europæ maxima nostræ*
*Insula, tot Fidei, Cœlique, Solique, Marisque*
*Muneribus decorata, sacris totque inclyta bellis,*
*Perque Mare & Terras partis celebrata triumphis.*
*Per Te Sacra fides quanta incrementa tulisset*
*Si non splendorem Gentis maculasset Auerni*
*Inuidia, & Fidei radios fusc asset Erynnis.*
*Sed benè! non tantum potuit, poteritque valere*
*Hæresis atra, furor, rabiesque frementis Auerni*
*Quin Lux alma micet, sed & Anglia nescia flecti*
*Spiret adhuc, fideique memor, decorisque paterni*
*Conseruet veteris vestigia Relligionis.*
*Illi etiam fidas Pia iungit* Hibernia *dextras:*
*Illa, illa eximijs fidei fœcunda Magistris,*
*Sparsit & innumeros, veluti tot Sydera, Sanctos,*
*Quos variæ Gentes, quos Belgica nobilis olim*
*Authores habuit, defensoresque salutis.*
*Quam varias illi pariat* Constantia *Palmas*
*Testis adhuc toties Carcer, tot Vincula testes.*
*Proque Fide sacra tot iniqua Morte perempti.*
Anglia *macte animis, rursum perge auspice Cœlo*
*Hanc reuocare Fidem, Stygiasque fugare tenebras.*
*Nec dubita, quamquam egregios virtute dedisti*
*Athletas fidei, plures dabis: illa tuorum*
*Gesta, secuturus exempla heroibus, altos*
*Efficient animos, & dignas Numine vires.*
*Illa iterum pia Vota nouo sub Rege resurgant*
IACOBO, *claro meritis, nullique* SECVNDO.
*Sic, sic Catholicos cernes tibi fœdere iunctos,*
*Atque animis animos, & viribus addere vires.*
*Aspice,* REX, *tremulæ pallescunt Cornua Lunæ.*
*Deficient, pauidæque dabunt tibi terga phalanges*
*Turcarum: & sacris fera subdent colla triumphis.*

*Sic*

*Sic potes* Eoas *victor geſtare Coronas,*
*Sic potes* Occiduos *Fratres numerare Monarchas;*
*Sic tibi Catholici quotquot ſunt nominis, vno*
*Conſociare animo, qua totus panditus Orbis:*
*Nomine ſic vero* FIDEI DEFENSOR *haberi.*
*Maiorumque decus reparas, Tituloſque ſepultos.*
*Exere nunc animos tot pridem dotibus auctos*
*Anglorum* IACOBE *decus, generiſque* Stuarti
*Supremum columem, Fideique futurus Achille.*
*Pro Te certabunt Superi, fuſuſque tot annis.*
*Sacrorum Sanguis Pugilum, non vnus* Oates
*Quos Cœlo admouit toties, laqueuſque* Tiburni.
*Aſpice tot Proceres propriis è ſedibus actos*
*Gentis Hibernigenæ: ſed adhuc Regique, Deoque*
*Op:antes vitam, fidumque ſacrare cruorem.*
*Sic Tibi, ſic Triplicis plaudant Inſignia Regni:*
Anglia *cinge* Roſis *Regis caput: inque ſalutem*
Scotia *iunge tuos qui ſeruent regna* Leones.
*Et* Lyra *vatidicum decantet* Hibernica *Votum.*

*Hoc Chronico*
IaCobVs Veræ fIDeI
aVXILIVM.
*Anno Coronationis*
M. DC. LXXXV. 1685.
3. Maij St. Nouo 1. B.

INDEX

# INDEX RERVM

## Tomi Primi, Ordine Alphabetico, & per Paginas notatus.

### A


*Absolutio Sacramentalis, & peccatorum Confessio a Christo instituta, ostenditur.* pag. 100

*Absolutionis dilatio quæ non recta.* 189

*Adamus & Eua, de ijs hæreses.* 201

*Abstinentia. vide ieiunium.*

*Ætates mundi sex expositæ.* 224

*Anabaptistarum & Mennonistarum errores.* 141

*Ex Anabaptistis quænam sectæ pullulauerint.* 128

*Analysis fidei deducitur.* 11

*Andreæ Sall, fatua conclusio pro secta Protestantium, animæque suæ statu.* 136

*Antonij Ægani imposturæ contra Missionarios Apostolicos refutatæ.* 134

*Animæ rationalis Immortalitas pluribus argumentis demonstratur.* 9

*De Anima hominis variæ Hæreses.* 201

*De Aqua Errores.* 202

*Apostatis non fidendum ipsis Sectarijs, ad quos confugiunt* 136

*Hominis Apostatæ status infelix graphicè descriptus.* 137

*Angliæ Reges, Series & successio.* 238

*Anglict Regni notitia.* 245

*In Anglia vnde Religionis prima mutatio.* 139

*In ea aduersus Patres Societat. calumniæ refelluntur.* 137

*Anglicanæ hæresis Protestantium, Independentium &c.* 139

*Antilogiæ Lutheri, Caluini, aliorumque exponuntur.* 205

*Articulos fidei diuidentes in essentiales, & accidentales erroris conuincuntur.* 16

*In Articulis essentialibus ipsi Sectarij non conueniunt.* 18

*Astutia & artes variæ Nouatorum.* 120

*Attributa diuina & veracitas in reuelando demonstratur.* 11

*Aphricæ notitia.* 241

*Americæ Partes ac diuisio.* 242

*Asiæ situs, partes & notitia.* 241


### B


*Baptismum tantum & Cœnam Domini ex Sacramentis admittunt passim Sectarij.* 112

*Post Baptismum remanere in puero peccatum Lutherus admittit.* 124

*De Baptismo quid doceant Anabaptistæ, & Mennonistæ.* 141. *De eodem.* 115. §. V.

*Hæreses aliæ de Baptismo.* 203

*Baianæ propositiones earumque Censura in diplomate Vrbani VIII. Pij V. singulæ exprimuntur.* 191. & seqq.

*Basilienſe Concilium quale, & quæ docuerit.* 73

*Beatitudo de ea hæreses.* 194

*Bulla integra Innocentij X. & Alexandri VII. contra doctrinam Ianſenij.* 196

*De Bulla eadem recipienda in sensu ab Authore intento Decretum adducitur.* 198


### C


*Calumniæ Nouatorum de cultu imaginum, Cruce. Ioanna Papissa.* 130

130 & sequentibus.
Catholicus V. Hæreticus, & Ecclesia.
De Charitate variæ Propositiones proscriptæ referuntur. 185
Coelibatus Clericorum defenditur. 114
Cæremoniæ quibus vtitur Ecclesia Romana contra Sectarios stabiliuntur. Cap. XIV. §. VII. 117
Christus, & circa illum hæreses plurimæ. 205
Confessio Sacram. stabilita. 100
Variæ circa eam hæreses. 205
Censuratæ propositiones V. Bulla. 192. & seqq.
Communio. V. Eucharistia. 94
Concilia generalia & particularia eorumque notitia. 66. & seqq.
Series omnium Conciliorum generalium, & gesta præcipua. 68
Concilia generalia legitima. ibid.
Concilia generalia illegitima. 71
Concilia partim probata partim improbata. 71
Speciatim de Concilio Basileense. 73
Concilium generale an sit supra Pontificem. 47
An definitiones Pontificis sine assensu Concilij generalis sint infallibiles. 49
Confessionistæ hæretici qui & quales. 129
Confessio Sacramentalis contra Sectarios. 100
De Christo eiusque natura, persona, vnione &c. Variorum errores. 186. De his doctrina Catholica. 187. & seqq.
Confirmatio verum est Sacramentum. 112
Constitutio Pontificia V. Bulla.
Controversiæ particulares modernæ & Ianseniana & methodus facilis in ijs decidendis. 81

## D

Decalogi præcepta V. præceptum.
Deiparæ cultus & priuilegia contra monita salutaria. 109
Dei existentia demonstratur ex serie & dependentia creaturarum. 2
Demonstratur eadem ex ipsa Hominis conscientia, & ordine Perfectissimo huius Vniuersi. 3
Dei notitiam & cultum, conuincunt miracula vim naturæ exuperantia; &c. 5.
Dei existentia demonstratur ex proportione Partium in Homine &c. pag. 4. nu. 6.
De Deo errores varij collecti. 207
Demonstratio vna Ecclesiæ Rom. quamlibet Orbis Sectam conuincens. 121
Dilemmata decem sectario insolubilia. 45
Discordiæ Sectarum modernarum. 128. & seqq.
Dubia et incerta fides non sufficit ad salutem. 21

## E

Ecclesia vera est sola Romana. 24
Sola ostendit doctrinam & potestatem a Christo deriuatam. ibid. & seqq.
Sola habet antiquitatem. 26
Et omnium gentium consensum. 27
Sola habet gloriam Miraculorum. 30
Et decisionem fidei infallibilem. 32
Et Iudicem controuersiarum. 38
Si Ecclesia Romana non sit vera, nulla est in mundo. 28
Perierunt in Æternum maiores nostri ante Lutherum per 12 Secula, si Ecclesia Lutheri sit vera. 29
Ad Ecclesiæ Apostolicæ notitiam non sufficit prætensa successio Doctrinæ, sine successione Pontificum. 26. num. 7.
De Ecclesia alij errores. 207
Errores vulgi a vera Ecclesia retrahentes refelluntur. 119
Erroves particulares nouarum Sectarum. 138
Eucharistia & realis Christi præsentia defenditur. 94
Impanatio Lutherana in Eucharistia refutatur. 97
In Eucharistia realis Christi præsentia nouis argumentis manifestè confirmatur. 95
De Eadem Doctoris Morlæi in Anglia effugia refelluntur. 96
De Eucharistia errores collecti & refutati. 208
Europæ diuisio, & notitia partium. 243

## F


Fallacia variæ Nouatorum referuntur. 120
Felicitas temporalis non est nota vera religionis. 120
Fidem esse conuincitur qui Dei agnitionem ... voluntatum liberè auersatur. 6
Fides sola non iustificat sine bonis operibus. ...
De Fide, Spe, Charitate variorum errores & propositiones reprobatæ. 189
Neglectus Fidei igne æterno plectendus demonstratur. 6
Ad Fidei veræ notitiam præparatio animi requisita exponitur. 24
Fidelitatis Iuramentum 138
Fidelitas eximia Catholicorum Angliæ & Hiberniæ erga suum Regem Carolum II. cum fratre profugum breuiter in memoriam reuocatur. 239


## G


Galliæ notitia. 247
Galliæ Regum Series, & successio. 236
Germaniæ notitia. 247
Germaniæ Imperatorum Series & gesta singularia. 234
Gratia & liberum arbitrium. De his controuersiæ recentiores. 86
Quomodo per Iansenium exortæ. ibid. & seqq.
Illius doctrina de Gratia, & quinque Propositiones refutantur. 87. & seqq.
Gratia actualis quid sit & quotuplex. 167
De ea errores Pelagij. ibid.
Possibilis est status puræ naturæ sine gratia supernaturali. 168
Gratia merè sufficiens necessario admittenda. 170
Datur Gratia sufficiens omnibus etiam obduratis, excæcatis & facientibus quod est in se viribus naturæ. 171
Sine Gratiæ adiutorio quid possint vires naturæ, inseruanda lege naturali. 173
Quid in superanda tentatione graui, aut leui. 175
Quid in exercendis actibus moraliter bonis. ibid.
Item in eliciendo amore Dei super omnia. 176
De Gratia efficaci & in quo consistat. 177
De ea variorum & modernorum sententiæ discutiuntur. ibid. & seqq.
Nostra explicatio. 180
De Gratia habituali. ibid.
Distinguitur ab omni actu iusti. ibi & seq.
Non tamen ab habitu Charitatis. 181
Stare nequit Gratia habitualis cum peccato mortali etiam absolutè. ibid.
Græcorum schisma, origo & erreres, qui & refelluntur. 143
Falsò iactant Caluiniani, & Lutheranis suam Ecclesiam a Græcis approbari. 144


## H


HAEreticorum modernorum in singulis Sectis dogmata particularia proponuntur. 138
Ab Hæreticis Lutheranis varia Scripturæ loca fraudulenter deprauata adferuntur. 122
Eorum antilogiæ siue contradictiones. 124
Sectarum Modernarum inter se confusio & discordia. 128
Hæresum singul. ab initio notitia generalis. 200
Hæreticorum singulorum ab initio nomina & tempora. 220
Calumniæ contra Ecclesiam Romanam à modernis Hæreticis confictæ. 130
Apostatæ Egani & Salli errores miseraudi. 134. 135
In Hollandiæ Hæret. quanta pridem repugnantia circa ipsa Dei Attributa. 126
Hiberniæ Regum Series, & antiquitas. 239
Hiberniæ notitia, eiusque fidelitas. 244
Hispaniæ notitia. 243
Hispaniæ Regum Series & successio. 235


## I


IAnsenij Doctrina & eius origo. 86
Illius quinque propositiones de Gratia, libertate exponuntur & refelluntur. ibid. & seq.
Ad aliqua de his recentius obiecta respon-

*ſponſio.* 92
*Iacobi II. Regis Angliæ coronatio celebrata.* 248
*Conſtitutio Innocentij X. & Alexandri VII. de ijſdem V. Bulla.*
*Ignorantia qualis ab Hæreſi formali excuſet.* 22
*Imaginum cultus defenditur.* 110
*De cultu Imaginum calumniæ ſectariorum refelluntur.* 130
*Ieiunium defenditur.* 103
*Indulgentiæ defenduntur.* 104
*Ioanna Papiſſa qualis, & calumnia refutata.* 132
*De Incarnatione Verbi errores varii.* 186
*Ieiunia Eccleſiæ Romanæ legitima declarantur.* 104
*Italiæ notitia, Principum, & Vrbium eiuſdem.* 246
*Imperatorum Romanorum ſucceſſio à Carolo Magno hucuſque.* 230
*Quis ſit Iudex infallibilis Controuerſiarum fidei.* 38
*Quis Iudex infallibilis in quæſtionibus facti, ſenſu authoris &c.* 51
*De Iure & iniuria variorum errores.* 186
*Iuriſdictioni & Inſtitutioni ſolius Pontificis quæ reſeruata.* 58

## L

*LEx naturę à Deo indita ex ipſa hominum conſcientia iunoteſcit.* 3
*De Legibus hæreſes.* 211
*Libertinis modernis demonſtratur in Deum Religio ex creaturis.* 1
*Item ex propria conſcientia & Ordine huius vniuerſi.* 3
*Conſtat illa ex ſpiritibus incorporeis & ex effectibus, ac prodigiis vim naturæ ſuperantibus.* 5
*Oſtenditur Libertinos fatuis connumerandos.* ibid. *& obnoxios eſſe pœnæ æternæ.* 7
*Libertinorum argumenta & effugia eneruantur.* ibid.
*Libri probibiti.* 222
*Lutheri & Caluini Antilogiæ manifeſtæ.* 124
*Secta Anglicana Lutheri antiqua & moderna.* 125
*Refertur Origo & confuſio Sectarum quæ pullularunt ex Lutheranismo.* 128
*Lutheri dogmata propria.* 138
*Lutheri hæreſes cum Caluino comunes.* ibi.
*Contra Lutheri errores ſingulos Bulla dogmatica Leonis X. verbatim profertur.* 145

## M

*MAriæ Virginis cultus.* 109
*De ea hæreſes.* 211
*Matrimonii Sacramentum contra Sectarios modernos.* pag. 16. cap. 14. §. VI.
*Memoriæ admirandæ in variis hominibus exempla ſingularia.* 11
*Merita bonorum operum contra Caluinum &c.* 170
*Meritum quid & quotuplex.* 181
*Meritum de condigno & meritum de congruo.* ibid. *& ſeqq.*
*Sola opera iuſtorum merentur de condigno gloriam & gratiæ habitualis augmentum.* 182, 183
*Meritorius actus non debet eſſe à ſola Charitate elicitus aut imperatus.* 184
*De meritis bonorum operum variæ propoſitiones reprobatæ proponuntur.* 184
*Miſſę Sacrificium contra Sectarios.* 98
*Mirabilia orbis varia.* 243
*Miracula notæ ſunt veræ Eccleſię.* 46
*Miracula à Lutbero, & Caluino ficta.* 31, 32
*Miracula qui negant eſſe, veræ Eccleſię notam, ſeipſos manifeſtè iugulant.* 35
*Monarchia orbis ſacra, & ſecularis.* 224
*Monarchia vrbis Romanæ, & varius illius ſtatus.* 228
*Monarchia ſecularis Imperatorum & Regum Chriſtianorum cum rebus aliquot geſtis, per ſingula ſecula ad noſtra tempora.* 230
*Mundi æternitas impugnatur.* 3
*De Mundo alii errores.* 212
*Mundi ſex ætates, & res præcipuæ ad præſentem annum deducuntur.* 224

## N

*NAturę purę ſtatus eſt poſſibilis.* 168
*De Naturę viribus ſine adiutorio gratiæ.* 173

Quid

*Quid possint solius Naturæ vires in seruanda lege naturæ in tentatione, graui, leui, ibid.*

*Naturæ vires circa actus moraliter bonos, & amorem Dei super omnia.* 175. 176

*Notæ variæ veræ Ecclesiæ.* 24. & seqq.

*Notæ illæ singulæ, cum obiectionum aliquarum dissolutione.* 32

*Notam miraculorum negantes sibi contradicunt & seipsos manifestè iugulant.* ibi.

*Notæ manifestæ falsæ Ecclesiæ in sectis modernis.* 122

*Nouarum sectarum dogmata particularia proponuntur.* 138

*Nouatorum fallax genius deregitur.* 120

*Numerus Sacramentorum Septenarius reiectus apud Sectarios stabilitur.* 112

*Numerus Conciliorum legitimorum, illegitimorum &c.* 68

*De Nuptijs errores.* 213

*Vide matrimonium.*

O

*Opera bona ad salutem utilia & necessaria contra Sectarios.* 82.

*Oratio.* 213

*Ordinis Sacramentum in Ecclesia necessarium euincitur.* 113

*Defectu veri Ordinis quantum laboret Ecclesia Anglicana pro suis Episcopis, &c.* 114

*Ordo successionis singulorum Pontificum Romanorum.* 59. & seqq.

*Ordo Scriptorum in sex primis seculis primitiuæ Ecclesiæ.* ibid.

P

*Papa, vide Pontifex hic infra.*

*De Peccato actuali, & originali propositiones damnatæ & censuratæ.* 184

*De Peccato originali doctrina Catholica.* 185

*De Pœnitentia errores.* 215

*V. Confessio. Absolutio.*

*De Peccato originali, mortali, & veniali Nouatorum controuersiæ refelluntur.* 106

*De Peccato aliæ hæreses & errores.* 214

*Pontificis infallibilitas demonstratur contra Sectarios.* 39. 40

*De Pontificis auctoritate controuersiæ recentiores.* 47

*Pontifex est supra Concilium generale.* ibi.

*Eius definitiones sine Concilio infallibiles.* 49

*Quomodo Pontifex sit expers erroris in Quæstionibus facti.* 51

*In declarando sensu Scripturæ aut doctrina libri Canonici.* 52

*In sensu hæretico libri quem damnat, & mente Authoris.* 53. & seq.

*In materia morum declaranda.* 56

*In Canonizatione Sanctorum.* 56. 57

*In Beatificatione.* 57

*De Pontificis potestate controuersiæ aliquæ Gallicanæ recentiores.* 73

*Pontificum prærogatiuæ speciales à Patribus & Concilijs omni ævo illis attributa.* 77

*Pontificis Romani aliæ prærogatiuæ.* 58

*Quot Pontifices & qui hactenus fuerint.* ib.

*Quinam ex illis fuerint Sancti, Religiosi, variarum Nationum &c.* ibid.

*Omnium Pontificum Romanorum ordo successionis per singula secula deductus.* 59

*Item Scriptorum Præcipuorum primitiuæ Ecclesiæ.* ibid.

*Rerum sub illis memorabilium 2. postremis seculis annotatio.* 61. & seq.

*Præceptum, hæreses de illo.* 215

*Prophetiæ S. Malachiæ specimen de successione etiam futura, singulorum Pontificum.* 64

*De Prædestinatione, Sectariorum errores refelluntur.* 164

*Prædestinatio Caluiniana singulariter exponitur, & refellitur.* 182

*Alij errores.* 216

*De Prædestinatione & reprobatione ante præuisa merita & demerita, variæ in scholis Catholicis sententiæ referuntur & refelluntur.* 162

*Ostenditur Prædestinationem siue electionem ad gloriam factam fuisse post præuisa merita.* 164

*De hac Censura Louaniensis à Sixto V. reprobata.* 166

*Quid de ea doctrina senserint S. Selapus, ibid.*

*Principatus tam secularis quem Ecclesiasticus*

Iustificus quot modis à Sectarijs indignè tractetur. 230
Purgatorium. 101. 215
Prædeterminatio physica, status & historia & controuersiæ. 158
Ostenditur Prædeterminationem physicam non esse necessariam. 159
Nec admittendam ad causas liberas. 159
Refelluntur aliorum responsa. 161
Vt detur illa ad actus peccaminosos repugnare videtur Sanctitati diuinæ. ibid.
Varijs modis discernitur à doctrina Ianseniis de libertate. 162
Protestantium, Puritanorum, Independentium sectæ quid doceant, quomodo dissentiant. 134
In articulis fidei quas vocant Essentiales ipsi non conueniunt. 16
Purgatorium de fide admittendum contra Sectarios. 101

R

RAtio naturalis docet existentiam vnius & supremi Numinis. 1
Religio vera à falsa facilè discerni potest. 20
Ad Religionis electionem non sufficit quod Secta aut eius fides appareat probabilis. ibid.
Neglectus inquisitionis verę Religionis est plerumque inexcusabilis. 21
Regula certa pro decisione controuersiarum fidei est in sola Romana Ecclesia. 32
Regula fidei non est sola Scriptura. ibid.
Religionis Romanę Demonstratio vna quamlibet in mundo Sectam ad eam amplectendam euidenter conuincens. 20
Resurrectionis mortuorum hæreses & refutatio. 216
Reliquiarum veneratio defenditur. 111
Per Reliquias Sanctorum miracula varia in primitiua Ecclesia referuntur. ibid.
Reprobatio ante prævisa merita reijcitur. 166. & seq.
Ritus in veneratione imaginum defenditur. 110
Romanæ Vrbis origo, progressus, monarchia. 228

S

SAcerdotium, de eo hæreses. 216
Sacramentarij hæretici quales & quam diuersi. 125
Sacramentorum numerus septenarius probatur. 112
De Sacramentis & eorum effectu varia dogmata damnata aut censurata. 187. & 218.
De Sacramentis singulis dogmata alia in Tridentino damnata indicantur. 117
Sacrificium Vid. Missa. 98
Sanctorum cultus & inuocatio contra Sectarios. 107
De cultu Sanctorum Doct. Morlęi Angli noua effugia præcluduntur. 109
Satisfactio ante absolutionem malè requiritur. 139
Scholasticę Theologiæ quæstiones moderne deducuntur. 150
Scientię diuinę notio & diuisio varia ibid. & seq.
De scientia Media, status & origo controuersię. 151
Scientię Mediæ necessitas probatur. 152
Contra Scientiam Mediam variorum argumenta dissoluuntur. 154
Stat pro ea auctoritas plurimorum. 157
Sectarij moderni non possunt in sua Secta saluari. 14
Secta Indifferentium qualis & quam falsa ostenditur. ibid.
Sectarius obligatur ad veræ fidei seriam inquisitionem. 20
Methodus refellendi quodlibet Sectarij moderni argumentum. 41
Dilemmata varia formantur, Sectario proponenda. 45
Sectarum ex se mutuo nascentium confusio, discordia, contraditiones. 128
Sectæ modernę docent hæreses in primitiua Ecclesia damnatas. 26
Sectarum modernarum discrepantia in Articulis fidei maximè fundamentalibus, vlterius declaratur ex ipsarum verbis manifestis. 19
Simoniacus quæstus de Pontifice, & alijs Ecclesiasticis, & Missionarijs confictus refutatur. 134
Scriptores præcipui primitiuę Ecclesiæ ordine temporis recensentur. 59

*Scriptores ab initio pro Hæreticis.* 220
*Et Scriptores Catholici contra illos vsque ad hæc tempora præcipui adducuntur.* 222
*Scriptura sola non est regula fidei.* 34
*Non est per se clara.* 35
*Nequidem prædestinatis.* 36
*Loca Scripturæ à Sectariis deprauata.* 222
*Eorum calumnia.* 37
*De Scriptura hæreses.* 217
*Spiritus priuatus refellitur.* 36
*Societatis Iesu Patres quas calumnias in Anglia sustineant, & quomodo refutentur.* 137
*Spes, & de ea variæ hæreses.* 217. *Et sæpius alibi.*

T

*D. Thomæ authoritas de Gratiâ fidei certò danda facientibus quod in se est solis viribus naturæ.* 173
*Traditione necessariò admittendæ.* 37
*Testimonia SS. Patrum pro Eucharistia, & contra reliqua dogmata modernorum hæreticorum.* 94
*Timor gehennæ an sufficiat ad dolorem in Sacramento.* 188
*Fusius in Tomo 2.*
*Timor probabilis de relapsu an impediat absolutionem dispositi.* 189
*Tremblantium siue Tremulorum noua secta quid sentiat.* 140
*Tridentini Concilii initium, progressus, exitus.* 71
*Turcarum Secta & errores.* 142
*Propagata est vi non veritate.* *ibid.*

V

*VEnialium frequens confessio & absolutio laudabilis.* 191
*Vera Ecclesia vnde cognoscitur.* 24
*Virginitas non melior nuptiis damnatum in Conc. Rom.* 168
*Virtutes morales sine vera fide non saluant Sectarios.* 119
*Virtus miraculosa in signo Crucis.* 131
*Vnctio extrema verum Sacramentum probatur.* 113
*Vota Monastica defenduntur.* 114
*De votis aliæ hæreses.* 218
*Votum Authoris pro Anglia & Hibernia.* 248

FINIS.